
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
18 M
28



SELECTA
De Substantijs Immaterialibus.

AVCTORE
CÆSARE MACRINO
Aquilano, Societatis Iesu, Theologo.

Opus Posthumum:

In quo plurima noua, nec passim agitata, subtilissimè disputantur.











NEAP. Ex Typographia Lucæ Antonij Fusci, 1660.

Superiorum Licentia.



ILLVSTR. ET EXCELLENT. DOMINO

D. ALPHONSO DE CARDENAS

Principi Sacri Romani Imperij, Marchioni Laini, Comiti Acerrarum &c.






Væ me cauſa impulit (Excellentiſſime Princeps) vt non ante has elucubrationes prælo permitterem, quàm tuo ſiſterem patrocinio, ea non vna fuit, aut altera, ſed multiplex quidem certe. Poſthuma hæc enimvero Authoris proles eſt, ac ſepulcrales inter vmbras, pene dixerim, deuoluta; Iure igitur te in Patronum optauit, legitq; in Præſidem, vt ſi forte in extincto parente, lucis iacturā fecit, eam à te vno, nec ſine gloriæ fœnore, auſpicetur. Quantum enim in te ſplendoris, quantum luminis ſemiconſpicua hæc funerati ingenij ſoboles nacta dicetur? An quia fumoſæ ſunt tui Nominis Imagines, idcirco non omnis inde fulgor erumpet? Fateor namq; è ruderibus antiquitatis tuæ gentis memoriam eruendam; at hoc ipſum eſt, quod lucis incrementum authori apprimè commodat, quando eam ſuis faſtis gloria adamantino ſtylo adſcripſit. Vtinam poſſem hic ego eos percenſere numerando lectiſſimos illibatæ nobilitatis

flores,quibus ære perennius monumentum fixit æternitas:quot nimirum habuerit præclarissima domus tua Polemarcos ad laureas, quot ad bellicas expeditiones emiserit Duces, quot Archithalassos præfecerit classibus. Quàm vellem amplissimos magistratus, prænobiles legationes, insignes titulos, ac ditiones commemorare! Verum illud mihi perspicuum est, hæc omnia non tàm auxisse tuo nomini decus, quàm hausisse sibi à tuo Nomine. Tuam hic ego constantiam, tuas voces haudquaquam piaculari omittam silentio ter maxima heroina,Marchionis Laini cõiux Sidonia,quæ minitabūdum Gallorum supercilium,in captiui pignoris vitam irruentium,nisi obsessam dederes arcem,minimè extimuisti;quin in illud iuisse diceris præclarissimum sane effatum,te quatuor superstites mancipaturā cædi natos, modo Caroli Cæsaris staret gloria. Quare iure quidem meritò Laini Marchionem,tuum, hoc est ingentis animi filium, inter eos magnates Carolus V. Bononiæ adlegit,quibus secum alloqui operto capite fas est,qui profectò honos apud Hispanos summus dignitatis apex habetur. Proh robustissimi animi præsentia! Ambigit etiamnum fama feliciusne deprædicet Romæ fatum, quæ Lupæ sub auspicijs ortum duxit,an Arcis huius,quæ Lupis vel tesserarijs patrocinantibus occasum effugit. Quidni igitur censoriam paritèr obtrectantium seueritatem, & delicatuli æui tela exeat volumen hoc quando tanto sub auspice in lucem prodit? Illa deinde ad se vocat laus,quę propria tui animi est,quæq; in causa etiam fuit, cur hanc ego tractationē tibi addixerim:ea enim de substātia agit,ab omni materiæ concretione seiuncta,quàm aptè igitur te sibi patronum adiunxit, qui eas dotes vel animi, vel ingenij præfers, vt ferè humanum supra vulgus toto hominis

habitu

ɔitu assurgas, ac proinde virtutum omnium manu f.
ıs videaris? Accessit demum ad præstantem, eximiā-
ıe Naturam illa, qua in nostrum ordinem ferris bene-
ɔlentia, quæ quidem Societati iure profectò in pretio
t, quando altius in ea defixa tanti viri vestigia depre-
ːndit. Cæterum æqui consulas, rogō, boniq; me tam in-
lytæ domus splendorem, probatissimos mores tuos,
tq; egregiæ in nos humanitatis insignia adumbrasse,
ɔotius, quàm attigisse; Hoc enim est maximarum rerū
ˈitum, calamum à laudatione deterrere verius, quàm
ad laudationem allicere. Non leuis interim meæ erga
te obseruantiæ, monumentum excipias precor vel le-
ue. Vale.



MARCELLVS SPINELLVS
Præpositus Prouincialis Societatis Iesu in Regno Neapolitano.

CVm P. Cæsaris Macrini è Societate Iesv librum, cui titulus est (Selecta de substantia Immateriali) tres eiusdem Societatis Iesu Theologi, quibus id cōmisimus, recognouerint, ac in lucem edi posse probauerint, potestate ab Admodum R. P. N. Gosvino Nichel Præposito Generali ad id nobis tradita, facultatem concedimus, vt typis mandetur, si ita ijs, ad quos pertinet videbitur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostræ Societatis munitas dedimus. Neapoli 6. Martij 1658.

Loc. ✠ Sigilli

Marcellus Spinellus.

Congreg. habita coram Eminentiss. Dom. Cardin. Philamarino Archiep. Neap. sub die 30. Septembris 1658. fuit dictum quod Reu. P. M. Arpinus Ord. Præd. reuideat, & inscriptis referat eidem Congr.

A. de Ianuario Vic. Gen.



Can. D. Matthæus Renzi S.T.D. & S.Off. Consul.

EMINENTISS. ET REVER. DOM.

Librum cui titulus, Selecta de substantijs immaterialibus P. Cæsaris Macrini Societatis Iesu Theologi, accurate perlegi: opus quidem posthumum, sed nihilominus sui auctoris spirans viuidum ingenij acumen, laude nunquam intermoritura dignissimum; fateor me in eo reperisse omnia, & catholicæ fidei, & integerrimæ pietati, & christianis moribus consona, necnon multiplici eruditione redundantia, vt proinde nedum censeam, verum etiam summopere exoptem quam primum typis datum, in maximum studiosorum prodeat emolumentum:

Ita F Aloysius Brunus Arpinas Ord. Præd. inter Theologiæ candidatos minimus; testor censeoque.

In Congr. habita coram Eminentiss. Dom. Card. Philamarino Archiep. Neap. sub die 11. Decembris 1658. fuit dictum quod stante relatione supradicti reuisoris Imprimatur.

A. de Ianuario Vic. Gen.

Can. D. Matthæus Renzi S.T.D. & S.Off. Consul.

ECCELLENTISS. SIG.

Luc'Antonio di Fusco supplicando dice à V. E. come hà da stampare vn'Operetta del quond. P. Cesare Macrino intitolata(Selecta de substãtijs immaterialibus)Per tanto la supplica li sia dato il solito Regio Imprimatur,che l'hauerà à gratia da V. E. vt Deus.

Reu. P. Carolus Florillus videat,& in scriptis referat.

Burgos Reg. Vlloa Reg.

EXCELLENTISS. DOMINE.

Posthumas P. Cæsaris Macrini de immaterialibus substantijs lucubrationes attento oculo percurri;nihilq; in eis quod Regiæ Iurisdictioni, politicoue regimini aduersetur,inueni. Theologicas porrò hasce disceptationes, quà ingenij acumine, quà animi pietate prædicas, ad Catholicæ Ecclesiæ normã sub Catholico Rege imprimi valde consonum reor. In Collegio S.Francisci Xauerij 15.Aprilis 1659.

Excellentiæ Vestræ

Addictissimus Seruus
Carolus Florillus Societatis Iesu

Imprimatur seruata forma supradictæ relationis verùm tempore publicationis obseruetur Reg.Prag.

Zufia Reg.Burgos Reg.Musettula Reg.

Prouisum per S E.Neap. die 26.Iunij. 1659

Maggius

DISPVTATIO I.

De Immaterialitate.

CAPVT I.

Quæ sit hæc Immaterialitas.

IMmaterialitas, vt ex ethymologia, & vsu constat, dicitur materiæ exclusio, non quidem vniuersalissima, & transcendens, quæ formaliter est distinctio à materia, hæc.n.conuenit omnibus, quę non sunt materia, siuè sint immaterialia, siuè materialia, siuè entia, siue non entia. Similiter nec est exclusio materiæ orta ex imperfectione, & defectu; quia purum nihil, chimæræ, & similia excludunt hoc modo materiam, & tamen nec sunt, nec dicuntur immaterialia. Est igitur immaterialitas exclusio, seù remotio materiæ ex excessu aliquo perfectionis, seù actualitatis supra ipsam: & est etiam varia pro varietate materiæ exclusæ.

Vna itaquè immaterialitas est lata; est.n.exclusio, & abiectio materię sumptę satis amplè pro quauis ratione potentiali siuè physica, siuè metaphysica: & hæc immaterialitas est summa solius actus purissimi, qui solus proindè in hoc sensu est immaterialis, vt pote ab omni prorsus potentialitate immunis: omnis verò creatura est materialis, cum sit composita ex potentia, & actu, vel componens, aut componibilis cum potentia aliqua, aut actu: & ipsi etiam Angeli comparati ad Deum, dicuntur a Damasceno corporei, & materiales inueniri, & ab Auctore de causis suum hyleathin, idest suum materiale habere.

Alia immaterialitas est stricta, quia excludit materiam nimis arcte acceptam pro entitate sensibili, in quantum disposita, & apta est per accidentia sensibilia immutare sẽsus, & sẽsationes terminare, causãdo, & immettẽdo in eos quasdã qualitates, quæ dicuntur species, seù formæ sensibiles, & obiectorũ similitudines intentionales: ob quam rationem color, prout immutatiuus, & terminatiuus visus, dici solet color in materia, seù color materialis, realis, & naturalis: & sic proportionaliter se habent alia aliorum sensuum obiecta: & hæc immaterialitas speciebus ipsis intentionalibus, & sensationibus attribuitur; quæ licet absolutè, & re vera sint materiales, cum extensa subiecta, nempè aerem, organa, & similia informent, & ab ijs pendeant; passim tamen à Doctoribus appellãtur formę immateriales, & spirituales, nimirum comparatiuè ad obiecta realia, quorum sunt

imagines; non .n. habent modum essendi adeò sensibilem, & materialibus dispositionibus affectum, sicut illa: & propterea ab Aristotele dicuntur tales formæ fieri sine materia, idest sine illa materia magis sensibili, & sensibiliter disposita formarum realium propria: species .n. coloris fit sine subiecto proprio coloris, quod est corpus terminatum, & terminatiuum visus. & hoc intendit Auerroes in lib. de anima dicens, intentiones, seù species intentionales colorum non habere esse naturale, sed extraneum, quia nimirum non sunt in subiecto proprio, & naturali ipsi colori, scilicet in corpore illo terminato, sed in materia pura, & diaphana, quæ est extranea formæ coloris, & inde etiam est, vt notat Aegidius quodl. 5. q. 10. quòd quamuis intentionales formæ sensibus deseruientes, re vera educãtur de potentia materiæ, cum causæ earum efficientes præsupponant præsentiam passiui, & hoc causalitatem aliquam erga illas habeat; tamen possunt eæ non inconuenienter dici non educi de potentia materiæ, non quidem simpliciter, & per omnem modum, sed respectu formarum realium: nã formæ reales in sui productione egent maiori transmutatione materiæ, de contrario scilicet in contrarium, suntque magis in eius potentia, & plus habent de potentialitate: at intentionales vel nullam, vel modicam requirunt subiecti transmutationem, & ideò minus dicuntur esse in potentia materiæ, seù passiui, & minus habere de potentialitate, & plus de actualitate, & magis contineri in potentia actiui, & in talibus dicitur videri agens quasi totum facere, atque adeò quodammodo, & respectiue has de potentia materiæ non educere. Insuper dicuntur formæ illæ esse spirituales similitudinarie, quia more rerum spiritualium producuntur vel cum nulla, vel cum modica transmutatione sui subiecti, & statim ad sui actiui præsentiam: non.n. oportet, per se loquendo, in inductione formarum intentionalium materiam de contrario in contrarium transmutari, cum species. e.g. albi, & nigri simul sint in eodem subiecto, sed sufficit præsentia agentis ad passum.

Tertia immaterialitas est media, est.n. exclusio materiæ medio modo sũptę, sed tamẽ proprie, pro entitate habẽte partes integrantes quantas, siuè ea sit corpus substãtiale simplex naturale, quale multi volunt esse Cælum, siuè aliter se habens, siuè sit quantitas ipsa: qua ratione Deus, Angeli, Anima humana, & res omnes proprie, & absolutè spirituales, sunt immateriales, quia hanc materiam à se abijciunt ex opposita perfectione inepta includere in se intrinsece illã, aut se illi commensurare. Non sic verò sunt puncta, si dantur, quia, & eam entitatem includunt, vt subiectum, saltem remotum, & sunt aliquid quantitatis, & incoexten-

dibi-

bilitas, seù incōmensurabilitas, tam habent ad ipsam, non est ex rfectione, sed ex defectu, & eò sunt pure materialia.

Quarta immaterialitas est ad- ic media, sed magis propria, ia ex vi, & eminentia aliqua tius remouet materiā magis pro- iè sumptam, & absolutè, & an- nomasticè dictam, nempè mate- im primam corpoream, quæ est rs essentialis potentialis compo- i substantialis physici, quantita- , seù dimensionum capax, & nsequenter excludit etiam à re iantitatem ipsam, atque adeo nnem entitatem quantificabi- n. Quod vt magis declaretur, to, posse aliquid ex aliqua inentia, seù perfectione suæ tualitatis excludere à se dictam ateriā vel simpliciter, seù quoad bstantiam, vt ita dicam materiæ l solum secundū quid, & quoad quem modum. Priori exclu- ne remouet res à se totam enti- em materiæ vel vt partem sui, o modo e conuerso eam inclu- compositum: vel vt pure com- rtem vnibilem, quo modo eam cludit anima rationalis: vel vt mpartem substētatiuam per mo- m subiecti, qua ratione mate- m includunt formæ substenta- es, de materiæ potentia eductæ: tam vt partem, quàm vt pure npartem vnibilem, quàm vt su- tatiuam, qua ratione nulla res teriam illam includit. Et hinc etur immaterialitas simplici- , & per antonomasiam: quæ ta- men non est quæcunque ex his exclusionibus primi generis: nam nō est exclusio materiæ vt partis; quamuis .n. exclusio hæc partis sit necessaria tali immaterialitati, non tamen sufficit, quia stat cum ma- terialitate omnium formarum ma- terialium, quæ cum sint simplices, materiam, quam vt compartem in- cludunt, excludunt vt sui par- tem. Item non est exclusio ma- teriæ, vt compartis pure vnibilis, seù non est exclusio per puram inunibilitatem ad materiam, vt compartem; quia hæc sola inunibi- litas, nec est necessaria ad talem immaterialitatem, cum anima hu- mana sit pure vnibilis materiæ, tan quam pure comparti, & sit imma- terialis, nec est sufficiens, si qui- dem compositum ipsum propriè est inunibile materiæ, vt pure comparti, & tamen est materiale: & quia idem compositum est etiā inunibile materiæ, vt comparti su- stentatiuæ, materia .n. nullo modo potest esse compars cōpositi, ideò neque potest dicta immaterialitas esse sola inunibilitas ad materiam vt compartem sustentatiuam alte- rius compartis. Nec demum po- test ea adæquate consistere in to- tali, & omnimoda exclusione ma- teriæ, vt partis, & vt compartis tàm pure vnibilis, quàm sustentati- uæ; talis namque immaterialitas est nimis perfecta, nec conuenit omnibus rebus propriè, & absolu- te spiritualibus, sed soli Deo, & Angelis, eorumque affectionibus, non verò animæ rationali, quæ ex-

cludit quidem materiam à se, vt sui partem, & compartem sui sustentatiuam, eam tamen vt compartem sibi pure vnibilem, saltem aptitudinaliter, includit. Quare immaterialitas simpliciter, & per antonomasiam est exclusio materiæ corporeæ, vt causæ intrinsecæ ex eminentia actualitatis supra ipsam: seù est independentia in essendo actualis, & aptitudinalis ab illa materia, vt causa intrinseca ex excessu actualitatis supra ipsam: seù est eminens impossibilitas includendi materiam, vt causam sui intrinsecam, idest tam vt partem, quam vt compartem substentatiuam per modum subiecti, siuè proxime, siuè remote, hæc .n. vocatur causa materialis rei intrinseca. Et hinc sequitur, eminens independentia rei ab eadem materia, vt subiecto, seù organo in operando operationes proportionatas, & immaterialitati correspondētes. Et immaterialitas sic explicata est communis omnibus rebus, quæ secundum omnes sunt vere, & proprie spirituales, nulla .n. ex his est, quæ aut ex materia prima corporea constet, aut ab ea, vt subiecto sit sustentabilis: nec alijs rebus, quę absolutè spirituales non censentur conuenire potest. Idque verum est siuè sumatur immaterialitas, & exclusio quasi completiue, pro negatione inclusionis, & dependentiæ à materia, siuè solum pro perfectione, ac ratione positiua, ex qua hæc negatio pullulat, vt de se clarum est.

Posterior exclusio eiusdem materiæ, nempè exclusio secundum quid, est imperfecta, nec remouet, quantum est de se, substantiam seù entitatem materiæ, vt causam intrinsecam rei, sed solum peculiarem aliquem modum dependendi ab ea ob eminentiam aliquam actualitatis, & dominij supra ipsam. Et hæc est immaterialitas secundum quid, sensitiuis brutorum animabus conueniens. Pro quo noto ex S. Tho. 2. con. gen. c. 68. formas in esse suo à materia dependentes, varij esse generis. quædam .n. vt formæ elementares, non possunt nisi in operationes, ad quas se extendunt qualitates, quæ sunt dispositiones materiæ, vt calidum, frigidum, humidum, siccum, rarum, graue, leue, & similia: & hæ formæ sunt infimæ, & omnino materiales. Aliæ, vt formę mistorum, sunt superiores, quæ operationes prædictas causare interdum possunt altiori virtute corporea ex cælestibus corporibus accepta, sicut magnes trahit ferrum. Aliæ, vt animæ plantarum, sunt perfectiores; nam possunt in effectus quosdam, nempè in nutritionem, & augmentationē, in quos nō se extēdūt dictę qualitates, licet ad illos jisdem qualitatibus, vt instrumentis, vtantur, & insuper Cælorum motoribus assimilantur, in quantum tales formæ sunt principia motus rebus viuentibus, quæ mouent se ipsas. Aliæ demum, vt animæ brutorum, sunt nobiliores, quæ similes etiā sunt superioribus sub-

stantijs, non solum in mouendo, sed etiam aliqualiter in cognoscendo: & sic possunt in operationes sensuum, ad quas nec instrumentaliter concurrunt prædictæ qualitates organicæ: sentire.n.& imaginari non completur calefaciendo, & infrigidando, licet hæc ad debitam organi dispositionem necessaria sint. Vnde patet, has animas præ alijs illis formis esse secundum quid à materia indepēdētes, seu excludere secundū quid à se materiā; tū in operādo, quia in suis sēsationibus non pendent per se, & proximè ab ijs qualitatibus valde materialibus, seu materię deseruientibus, sed vtuntur accidentibus purioribus intentionalibus; propter quod dicuntur esse aliquo modo in cognoscendo similes substantijs intellectiuis, non sic vero aliæ illæ formæ: tum in essendo, quia ex se sunt actualiores, & materiæ magis dominantes. quamuis.n. sint simpliciter materiales; tamen magis elongantur à materia, quam omnes aliæ materiales formæ, quia non ita immediatè illi vniuntur, nec pendent ab ea, vt ita potentiali. nam animæ sensitiuæ, quatenus tales, informant materiam, vt ordine naturæ, aut rationis magis præactuatam, tum actuatione accidentali variæ, ac multiplicis dispositionis, tum etiam actuatione substātiali: quam explicans Aureolus in 1. d.35. a.2. propositione 3.§. Ad propositum, animæ, inquit, magis elongantur à materia, quam formæ elementares, & mistorum, nec illi ita immediate vniuntur; omnes.n. animæ sunt additæ formis mistorum, vt Auerroes dicit 7.metaph. com. 13. & sunt formæ in substantia in actu existentes, & non in prima materia immediatè, vt vult idem 5. metaph. com. 15. Quod tamen non probo intelligendū de addito reali, & de immediatione vnionis, secundum entitatem formæ; non.n. anima in viuentibus est forma realiter distincta à forma misti, illique actu superaddita, & immediatè per suā entitatem vnita, vt suppono; est tamen verum de addito virtuali, & per æquiualentiam, & de immediatione secundum vltimam perfectionem formæ; quia vnica realiter forma in viuente, nempè anima, est virtualiter forma multiplex physica, imo est æquiualenter plures formæ physicæ, quàm sit forma cuiusuis compositi physici non viuentis: anima.n. non solum est forma substantialis, & forma corporis, sicut omnes aliæ, & etiam est forma misti, sicut formæ aliorum mistorum; sed insuper est forma vegetans in plantis, est etiam sensitiua, in brutis, in Homine p̄terea est forma rationalis: ergò quęuis anima sēsitiua vt sic vniendo se materiæ p̄supponit virtualiter in ea se ipsā, non solū secundū prædicata superiora, & inferiora omnibus formis communia; sed etiam vt formam physicam altiorem, & altioris semper gradus æquiualenter, & eminenter purificatam, nimirum vt formam misti, & vt formam vegetatiuam, & in hoc excedit omnes

alias

alias formas materiales, quæ non toties se ipsas, vt formas physicas præsupponunt cum anima sensitiua, saltem, vt forma sensitiua, seù secundum vltimum gradum suum .s.sensitiuũ addat se supra omnes, vt patet; ergò anima hæc virtualiter additur sibi ipsi, vt pluries præsuppositæ physice per æquiualentiam ad plures formas physicas; ergò animæ sensitiuæ brutorum, vt sic, secundum vltimum gradum suæ perfectionis, non ita immediatè vniuntur materiæ, sicut illæ alię, nec quà tales formæ physicæ sensitiuæ sunt, pendent à materia, vt ita potentiali, sed vt magis actuata actuatione physica etiam substantiali, ac proindè sunt ex se actualiores: & vlterius sunt magis materiæ dominantes, quia habendo eam sibi deseruientem in pluribus tum potentijs, & operationibus, tum substantialibus perfectionibus, magis illam sibi subijciunt, eiusque quasi seruitio, tàm multipliciter vtuntur: ergò tandem ex eminentia suæ actualitatis, & dominij supra materiam, habent eiusdem materiæ exclusionem secundum quid, quæ est immaterialitas secundum quid; & hæc immaterialitas quamuis non remoueat ab ijs formis ipsam materiæ substantiam, vt causam intrisecam sustentantem, imò eam admittat: tamen ob illam intrinsecam perfectionem, remouet modum illum peculiarem dependendi ab ea, qui in operando est per dependentiam proximam à qualitatibus materiæ seruitio, & officio mancipatis, & in essendo est per vnionem immediatiorem pendere ab eadem, vt magis potẽtiali: & hæc remotio fit ponendo modum dependendi à materia minimum actualiorem, & substãtijs intellectualibus affinem, & ex his duabus immaterialitatibus, vna simpliciter, altera secundum quid, abstrahi potest immaterialitas ab vtraque præscindens, quæ est exclusio materiæ corporeæ ex aliqua eminentia actualitatis supra ipsam abstrahendo à modo excludendi, & naturæ cognitiuæ in communi à sensitiua, & intellectiua abstrahendo couenit. Scio, aliquos explicantes materialitatem per impenetrabilitatem, explicare immaterialitatem per penetrabilitatem de quo commodiùs infra agam.

Denique in hac disputatione non agimus de immaterialitate nimis lata, nec de nimis stricta, nec de ea, quæ ad naturam cognitiuam in communi sumptam refertur, sed de immaterialitate proprie, ac simpliciter accepta: hæc.n.est immaterialitas, seù abstractio, & immunitas à materia per eminentiam, quæ naturæ intellectiuæ, vt sic, communiter attribuitur; cuius attributionis rationem, & inter hæc duo connexionem, quia multum ad intellectualitatis, & intelligibilitatis Diuinæ, Angelicæ, & humanæ notitiam conducit hic etiam explicare intendimus, & coincidere videtur hæc immaterialitas cum incorporeitate: incorporeum.n. proprie sumptum, & excludit à se per ele-

natio-

rationem; & eminentiam corpus de prædicamento quantitatis, & similiter corpus de genere substantiæ, cum nec sit substantia quanta, nec à materia quanta pendens. Verum est tamen, animam rationalem, quæ ex hac eminenti exclusione materiæ, & quantitatis est forma in se verè incorporea, & immaterialis, ob quam rationem S. Thom. 2. con. gen. c. 86. dixit, eam excludere totum genus corporeũ, posse adhuc dici formam corpoream, in quantum est forma corporis, seu compositi substantialis constitutiua: in quo etiam sensu aliqui, vt Aegidius in 2. d. 3. q. 2. ar. 5. dicunt, animas rationales esse materiales in quantum sunt perfectio materiæ, & immateriales, in quantum non sunt eductæ de potentia materię, & ideò aliquid de vtroque participare.

CAPVT II.

Argumenta contra prædicta.

OBijcitur primò. Si Angeli, vt quidam volunt, sunt ex forma, & spirituali materia compositi, verè per eminentiam excludunt à se omnino materiam corpoream; & tamen denominari debent materiales, non verò immateriales; ergò immaterialitas vera, ac propria non est formaliter prædicta exclusio materiæ corporeæ per eleuationem supra ipsam. Prima pars antecedentis patet. Secunda probatur. quia omnis materia est apta dare denominationem sibi proportionatam rebus ex illa compositis: ergò si Angeli sunt compositi ex materia spirituali, hæc erit apta eos denominare materiales, denominatio .n. proportionata materiæ, est materiale; ergò denominari debẽt materiales, non verò immateriales. Nec dicas, Angelos dici, & esse simpliciter immateriales ex exclusione materiæ corporeæ, & ideò non posse, etiam in illa opinione, denominationem contrariã à materia spirituali suscipere; nam contra est. quia si Angeli sunt verè, & simpliciter immateriales ex exclusione materiæ corporeæ; ergò è contrario substantiæ corporeæ erunt simpliciter immateriales ex exclusione materiæ spiritualis Angelicæ: non .n. est maior ratio cur vna exclusio ponat immaterialitatem, non vero altera, cum vtraque neget materiam primam propriè dictã, scilicet partem potentialem compositi substantialis.

Ob. secundo. Multæ operationes, & virtutes operatiuę includũt materiam, vt causam intrinsecam, seù vt subiectũ sustentans; & tamen eæ videntur dici debere immateriales; Ergò immaterialitas non est impossibilitas includendi materiam, vt causam intrinsecam. Antecedens quoad primam partem constat verum esse in operationibus, & virtutibus actiuis elementorum, & aliorum mistorum,

quæ vtique à materia pendent. Quoad secundum verò probatur, quia immaterialitas in operationibus, & virtutibus dicitur per oppositum ad operationes organicas, atque adeò materiales, exercitas per organa determinata, seù per determinatas partes corporis determinate complexionatas; ita vt idem sit esse immateriale, ac esse inorganicum: ideò .n. operationes intellectus, & voluntatis, & hæ ipsæ potentiæ sunt immateriales, quia sunt inorganicæ: illæ autem multæ operationes, & virtutes elementorum, & aliorum nec exercẽtur, nec se exercẽt per organa prędicta, aut partes corporis determinate affectas, vt clarum est; Ergò se habent modo opposito ad operationes, & virtutes organicas; ergò sunt inorganicæ; ergò videntur dici debere immateriales.

Ob. tertiò. Certum est apud omnes, Cælum esse, & dici simpliciter materiale; & tamen incertum est, an includat materiam corpoream vt causam intrinsecam, an verò eam excludat, & sit corpus simplex; ergò nec certum est, immaterialitatem simpliciter esse exclusionem illius materiæ, vt causæ intrinsecæ.

Ob. quartò. Materia est materialis, seù est quid materiale; & tamen non pendet in suo esse à se ipsa; ergò materiale non dicitur, quod in suo esse pendet à materia; ergò nec immateriale dicitur, quod est independens à materia.

Ob. quintò. Si aliquæ formæ sunt immateriales respèctiuè, & comparatiuè ad alias magis materiales, sequitur omnes formas mistorum esse immateriales, quia comparatæ formis elementorum, inueniuntur non ita immediatè immersæ, & vnitæ materię, saltem secundum gradus vltimos, & proprios, qui presupponunt plures qualitates, quàm formę elementares, & etiam plures gradus, ac perfectiones substantiales, supra quas addunt gradum vltimum formę misti proprium. Similiter si ad immaterialitatem secundum quid sufficit posse operari cum independentia proxima à qualitatibus, quę sunt dispositiones materię, vt calor, frigus, & similes; ergò virtutes motiuę, vt grauitas, & leuitas, quia in operando, ab ijs nõ complentur, sunt secundum quid immateriales: & multò magis immateriales erũt virtus magnetis attractiua ferri, pręsertim si ex corporibus cęlestibus deriuatur, & alię consimiles. Hoc autem est absurdum, & inauditum.

Ob. sexto. Vna forma potest esse perfectior alia, & non cum maiori elongatione à materia, sed quia ex se, & ex sua ratione formali talis est; seù quia est principium operationum ex sua natura perfectiorum: vt e.g. forma ignis, & forma aeris sunt perfectiores alijs formis elementaribus; & tamen non magis sunt à materia elongatæ, sed ęquè in illa immersę ac alię. Sic etiam multę formę mistorum inanimatorum, puta lapidum, possunt se

habere multę formę viuentium, etiam sensitiuorum; ergò animę sensitiuę brutorum, etiam si sint perfectiores alijs materialibus formis; hoc non habent cum maiori, ut ex maiori elongatione, & independentia à materia, sed aliunde.

Ob. septimo. Mistum æquè diuiditur in mista inanimata, & in animata, seù viuentia: ergò formæ inanimatorum secundum gradus superiores, & inferiores non sunt pauciores formis viuentium secundum gradus similiter sumptos; vel saltem omninò incertum est, quæ sint plures, quæ pauciores: vtrobiquè.n. possunt semper multiplicari species subalternæ secundum plures similitudines, & conuenientias maiores, vel minores. Similiter etiam nec constat, sint ne plures species plantarum, an brutorum; dicet.n. quis, æquè facilè vtrasquè multiplicari posse per generum subalternorum varietatem; ergò animæ brutorum non pluries præsupponunt se ipsas virtualiter in materia, nec pendent ab ea, vt magis præactuata substantialiter, quàm aliæ formæ materiales.

Ob. octauo. Forma substantialis secundum omnes, & singulos suos gradus informat immediatè materiam; Ergo cùm forma est materialis, pendet secundum eosdem immediatè ab eadem, eodem.n. modo forma pendet à materia, quo eam informat; ergò animæ brutorum non possunt vniri materiæ secundum vltimos suos gradus mediatè, nec ab ea mediate pendere. Antecedens probatur. Tum quia forma substantialis secundum se totam vnitur per informationem immediatè materiæ: si quidē secundum se totam immediatè est actus, sicut materia secundum se totam immediatè est potentia. Tū quia dicta forma vnitur immediatè materiæ secundum quod constituit vnum per se cum ea: sed vnum per se cum ea constituit secundum omnes, & singulos suos gradus, per nullum.n. suum gradum facit cum illa vnum per accidens; ergò secundum omnes, & singulos suos gradus vnitur immediatè materię, seù eam informat. Tum quia si vnus gradus formæ informat mediatè materiam; ergò non nisi mediante alio gradu prius, & immediatius informato; non.n. apparet alius modus informationis mediatæ; ergò gradus medius informatus est verè potentialis, ac receptiuus respectu alterius gradus informantis, non minus quam materia ipsa sit potentia respectu formæ: Hoc autem repugnat, quia sicut materia in ordine ad compositum est tota, & totaliter potentia, nihil prorsus in se habens, quod sit informatiuum, siuè mediatè, siuè immediatè; ità forma substantialis in ordine ad idem compositum est tota, & totaliter actus nihil in se includens, quod siuè immediatè, siuè mediatè sit substantialiter receptiuum, recipiendo scilicet vnum gradum substantialem per alium; licet accidentaliter possit esse receptiua,

Ob.nono. Materia prima est essentialiter potentialis, seù potentia ergò est indiuisibiliter talis, nec potest fieri magis, aut minus potentialis; ergò omnes formæ materiales pendent ab ea, vt æquè, & inuariabiliter potentiali; ergò animæ brutorum non possunt pendere à materia, vt minus potentiali, nec ab illa maiorem, quam aliæ formæ elongationem habere; ergò nec sunt actualiores.

Ob.decimo. Per hoc, quod formæ brutorum in operando, seù in sentiendo non pendeant proximè, & per se à qualitatibus elementaribus, & similibus, non habent vllam veram independentiam à materia maiorem, quàm habent aliæ formæ; ergò nullo modo sunt immateriales secundum quid magis, quàm illæ. Antecedens probatur: Tum quia illæ qualitates non sunt magis materiales, quàm formę accidentales animabus sensitiuis deseruientes, cum vtræquè indiuisibiliter, ac proindè æqualiter pendeant in suo esse à materia, vt pote ineptæ existere sine illa; ergò independentia ab jis qualitatibus in operando non ponit in animabus illis maiorem vllam independentiam à materia supra alias formas: Tum quia qualitates elementares, & similes non tenent se ex parte materię, sed ex parte formarum, & magis spectant ad formas, quàm ad materiã. nam, & sunt proprietates non materiæ, sed formarum, vt calor, & siccitas formę ignis, humiditas, & frigiditas formę aquę: & insuper quamuis sint dispositiones materię; tamen hoc non habent propter ipsam, sed propter bonum formarum; ergò non dependere ab ijs qualitatibus per se in operando non affert veram vllam independentiam à materia in rebus aliunde ab ea pendentibus.

Solutiones.

AD 1. nego secundam partem antecedentis. Ad probationem concedo, omnem materiam esse aptam dare denominationem sibi proportionatam rebus ex illa compositis; sed nego hinc sequi, materiam spiritualem, si ex ea compositi sunt Angeli, esse aptam denominare eos absolutè, & sine addito materiales, hęc .n. denominatio non est proportionata tali materię. Tum quia sicut materia spiritualis non est materia absolutè, & sine addito, sed solum cum addito, idquè habetur ex vsu Doctorum, qui per materiam absolutè sumptam intelligunt materiam sumptam per antonomasiam .s. materiam corpoream, & entitatem quãtificabilem; ità nec Angelos denominare potest absolutè materiales, sed compositos ex materia spirituali, & hęc est denominatio ipsi proportionata: Tum quia Angeli sunt simpliciter immateriales ex exclusione materię antonomastice sũptę, & ideò non possunt à materia spirituali sumere denominationem contrariam, qua materiales dicantur.

ar. Et ad replicam do antecedens, sed nego consequentiam: benè .n. possunt Angeli ex exclusione materię corporeę esse verè, & simpliciter immateriales, quia, & excludunt à se materiam magis propriè, & antonomastice dictam, nimirum corpoream, & eam ex perfectione, & eminentia excludunt: at substantię corporeę non possunt ex exclusione materię spiritualis Angelicę esse simpliciter immateriales; quia, & hęc materia est minus propriè, & solum cum addito materia, nempè spiritualis; & ab ijs ex imperfectione tantum, & defectu exclusa: vndè ad summum substantiæ illę dici poterunt immateriales similiter cum addito, & secũdum quid, nimirum quoad carentiam materię spiritualis: sicut subiectum habens vnam formam, & carens alia, non potest ob hanc carentiam dici simpliciter informe, sed solum respectu eius formę; absolutè .n. est formatum per aliam. Quod maxime verum est, quando prior illa forma est simpliciter apta dare talem denominationem, & potiori iure, quam altera, vt est in casu nostro. quo etiam modo proportionaliter se habent color realis, & color intentionalis: vndè subiectum coloratum colore reali, non potest dici incoloratum simpliciter ob carentiam coloris intentionalis, sed solum incoloratum quoad hunc colorem: & potius vice versa subiectum habens colorem intentionalem, & carens colore reali, qui dicitur absolutè, & sine addito color, dicitur simpliciter incoloratum, & imperfectè coloratum. Quod voluit Aristoteles 2. de anima com. 138. dicens, Amplius autem, & videns tanquam coloratum est, & Aegidius explicat, & videns, idest, organum visus, vel ipsa visio tanquam coloratum est. Vbi non dixit, videns, quod vtiquè in se habet colorē intentionalem, esse simpliciter coloratum, sed tanquam, seù quodammodo coloratum.

Ad 2. nego item secundam partem antecedentis, & ad probationem noto, organum di partem materiæ, aut corporis determinate complexionatam in ordine ad vitam. Vndè includit per se primo materiam, vt causam intrinsecam, dicit verò per se secundo hanc, vel illam accidentium complexionem, vt patet in oculo, auribus, & alijs: & denominat organicum tum totum corpus, ac viuens, vt pote multiplici organo instructum, tum aliquas operationes, nempè vegetatiuas, & sensitiuas, & earum potentias, seù virtutes, quia sunt affixę ipsi organo, & ab eo pendent, saltem quoad operari, & propterea sunt res verè materiales. Inorganicum verò dicitur, quod organum à se excludit; & est duplicis generis, vnum, quod excludit organum adęquatè sumptum, tam scilicet quoad materiam, seù materię partem, quàm quoad dictam complexionem: & hoc potest dici inorganicum negatiue, quia incapax est organi, & etiam inorganicum ex

eminentia, & excessu supra totam organorum, & materiæ naturam, vt causam, & ex consequenti est verè, & proprie immateriale, vt sunt Deus, Angeli, & anima rationalis,& res omnes spirituales, licet anima quoad operationes aliquas organum includat. Alterum est quod includens in se materiam, excludit organum inadęquate tantum quoad illam complexionem, eiusquè varietatem: & hoc voco inorganicum priuatiue, quia ratione saltem suę materię est capax organi,quo caret; & insuper inorganicum ex defectu, quia nimirum ob natiuam imperfectionem, & limitationem caret organis, quia caret ea multiplici virtute, & operatione, ad quàm illa requiruntur. Propter quod Scotus quodlib.q.9. §. de ista quarta ratione, dixit, illam solam formam dici principium operandi organice, quę quodammodo illimitata in agendo, potest esse principium difformium actionum, quę non possunt elici,nisi per partes dissimiles, & organicas,qualis forma est proprie sola anima, non verò alię formę. Ad probationem ergò nego, immaterialitatem, vt sic, in operationibus,& virtutibus dici vniuersaliter per oppositum ad operationes organicas, vniuersaliter .n. dicitur per oppositum ad inclusionem materię, seù per exclusionem materię, vt causę intrinsecę, hęc .n. exclusio est ratio à priori, non quidem causalis,sed formalis. Quare cum operationes, & virtutes elementorum includant hoc modo materiam, sunt, & dicuntur verè materiales: in aliquo tamen corpore organico, seù varijs organis constante immaterialitas aliquarum operationum, & virtutum, intellectus nimirum, & voluntatis tanquam à signo cognoscitur ex esse inorganico, & independenti ab organo, nullum .n. assignari potest organum, cui sint affixę;idquè habent ex oppositione ad alias operationes, & virtutes organis alligatas,atquè adeò materiales. Et cum dicitur, operationes intellectus, & voluntatis, & has ipsas potentias ideò esse immateriales, quia sunt inorganicę, distinguo,Ideò à priori,& vniuersaliter, nego;sunt.n.immateriales ex causa dicta: Ideò à posteriori, & in aliquo casu,& concedo: Tum distinguo ly inorganicę, quia sunt inorganicę quomodocunque, & nego: Quia sunt inorganicę ex eminentia supra totam organorum naturam, & ex excessu supra alias operationes, & virtutes organicas eiusdem compositi, & excludunt organum adęquatè sumptum, & concedo:in vno.n.& eodem viuente, nempè homine sunt plures operationes,& virtutes, alię organicę, alię inorganicę: & sicut illę ex affixione ad organa arguuntur esse materiales, quia hoc ipso sunt à materia pendentes: ità alię ex contraria independentia ab organis dignoscuntur esse immateriales;quia hoc ipso sunt à materia independentes:illa.n.diuersitas organici, &

inor-

inorganici non potest ibi ex alia radice prouenire, quàm ex dependentia, vel independentia eminentiali à materia. Non sic se habent virtutes, & operationes elementares, & aliæ similes: hæ.n. non sunt inorganicæ ex eminentia, sed ex defectu; nec à se excludunt organum adæquatè acceptum, cum in se includant materiam, sed solum inadæquatè quoad accidentalem complexionem, & dispositionem. Quod oritur ex peculiari finitate, & imperfectione earum.

Instabis. Vel inorganica sunt perfectiora organicis, vel sunt æquè perfecta, vel sunt imperfectiora. si primum; ergò nulla sunt inorganica ex defectu, quasi scilicet deficiant à perfectione organicorum. Si secundum, sequitur idem: & insuper nulla erunt inorganica ex eminentia supra omnia organica. Si tertium; ergò non modo nulla sunt inorganica ex eminentia supra omnia organica, sed è contra, hæc sunt supra omnia illa. Nec dicas, inorganica dicta negatiue, & ex eminentia esse perfectiora organicis; inorganica verò dicta priuatiue, & ex defectu esse eisdẽ imperfectiora: nam contra est. quia, quæ sunt propinquiora perfectioribus, sunt perfectiora remotioribus: sed inorganica dicta priuatiue sunt propinquiora perfectioribus, nempè inorganicis dictis negatiue, conueniunt .n. cum ijs in esse inorganico; inorganica autem sunt remotiora, vt pote ab ijsdem omnino disconuenientia; ergò inorganica dicta priuatiuè, sunt perfectiora organicis, atquè adeò non sunt inorganica ex defectu; ergò dici debent immaterialia præcisè, quia sunt inorganica.

Respondetur, aliqua inorganica esse perfectiora, aliqua imperfectiora organicis, vt dictum est. & sermo est de organicis propriè sumptis, quæ sunt animata; non verò de ijs, quæ dicuntur organica impropriè, & æquiuocè, vt sunt cadauera, fœtus inanimati, & similia.

Ad instantiam distinguo maiorem. Quæ sunt simpliciter propinquiora perfectioribus, sunt perfectiora remotioribus, & concedo maiorem: quæ sunt secundum quid tantum propinquiora perfectioribus, sunt perfectiora remotioribus, & nego maiorem. Illa autem voco simpliciter propinquiora perfectioribus, quæ ijs magis assimilantur in eo, in quo perfectiora sunt formaliter, seu in ipso gradu maioris perfectionis: illa verò secundum quid tantum propinquiora, quæ sunt illis magis affinia in aliquo solum prædicato communiori minus perfecto, saltem præcisiuè, & permissiuè, presertim analogo. Tum ad minorem dico, inorganica dicta priuatiuè non esse inorganicis negatiue dictis simpliciter propinquiora, quàm organica, quia non sunt illis affiniora in ipso gradu maioris perfectionis, qui est gradus vitæ intellectiuę, & exclusio ex eminentia omnis materiæ corporeæ, atquè adeò omnis

orga-

organi adæquatè sumpti, sed solum analogice, & diminute in prędicato analogo minus perfecto, quod est excludere organum inadæquate tantum quoad complexionem accidentium, non ex perfectione, & eminentia supra ipsam, sed ex limitatione supra explicata. Nec maior perfectio inorganicorum negatiue sumptorum supra organica, vt sic, est præcisè, & qualitercunque excludere talem complexionem, sed ex prædicta eminentia, & etiam ex excessu altioris gradus viuendi; in quo tamen gradu propinquiora ijs sunt organica propriè sumpta, vt pote viuentia, quam alia inorganica, quæ inanimata sunt: & ex consequenti hæc sunt simpliciter ab ijsdem remotiora, illa verò simpliciter viciniora, quia eadem magis attingunt in eo, in quo perfectiora sunt. & hinc habetur, posse vnum, & idem prædicatum excludi ab vno per defectum, & ab alio per excessum, & eminentiam. Sic compositio ex materia, & forma excluditur à simplicitate per defectum conuenientem ipsi materiæ, & formæ seorsim sumptis, hæ.n. sunt simplices non verò ex materia, & forma compositæ: excluditur etiam per excessum à simplicitate Angelica. Sic discursiuum excluditur per defectum ab inanimatis, & etiam à plantis, & brutis, per excessum verò à Deo, & ab intelligentijs, sic demum videntur vniuersim se habere prædicata media inter extrema imperfectiora, & perfectiora.

Vrgebis. Si inorganica priuatiue, vt sunt elementa, & similia, dicuntur inorganica ex defectu, hoc ideò est, quia carent principio difformium actionum, quæ non nisi per partes dissimiles, & organicas exerceri possunt: sed etiam inorganica negatiue .e.g. Angeli carent tali principio, non .n. habent vim eliciendi varias, ac difformes actiones vitales, quales exercent animalia; ergò dicentur etiam inorganica ex hoc defectu; ergò dicentur immaterialia præcisè, quia sūt sic inorganica. ergò similiter omnia organica dici debent immaterialia per oppositū ad organica, siuè includāt in se materiam, siuè excludant.

Respondetur, inorganica priuatiue non ideò dici inorganica ex defectu, quia præcisè, & quomodocunq; sed quia ex peculiari limitatione, & imperfectione, qua infra illud sunt, carent, tum eo, tum etiā eminentiore perfectione: at inorganica negatiue carent eodem ex natiua perfectione maiori, & altiori principio, quo sunt supra ipsum per eminentem æquiualentiam, aut excessum simpliciter, quo excedunt organica, vt Angeli animata, & intellectus. Neque obstat, quod organa habeant plura principia cognitiua, & elicitiua plurium actionum difformium, puta sensationum variorum generum, & in hoc extensiuè excedant multa inorganica negatiue dicta, quæ vnicum tantum habent cognoscendi principium, nempè intellectum; nam hoc vnum est eminenter su-

pra omnia illa,& ex sua illimitatione omnia longe super excedit, etiã extensiuè in cognoscendo: intellectus .n. vnus non solum cognoscit quæcunque plures sensus cognoscunt, sed incomparabiliter plura, quàm infiniti sensus cognoscant,& ex his negata maiori quoad causalem,& minori in vno sensu concessa, & in alio negata, negantur omnes consequentiæ. Vndè inorganica negatiue non dicuntur immaterialia ex illo prædicato communi ipsis, & inorganicis priuatiuè, nempè esse inorganico vt sic, quod est carentia illius principij difformium actionum, sed ex peculiari ratione à priori,& posteriori supra declarata; ac proindè nec omnia inorganica dici debent immaterialia per oppositum ad organica,sed solum ea, quæ materiam excludũt, & hinc habetur vtraque inorganica conuenire in hoc, quòd excludunt organa: propter quod Scotus loco citato dixit, etiam formas pure materiales, modo sint vniformes in toto, & in qualibet parte,non dici operari per organa, sicut ignis non dicitur operari per organum citatque Auerroem 7. meta. com. 31. dicentem, virtutes existentes in seminibus assimilari intellectui per hoc, quod non agũt per organum. differunt tamen tum per alia, tum per hoc, quod inorganica priuatiuè, & ex defectu sunt semper composita ex materia,& forma, & organis carent: & si spectentur præcisè ratione formæ, sunt inorganica negatiue, horum.n.formæ,puta ignis, aquæ, & similium sunt organorum incapaces, & in se, & in suo subiecto, quæ incapacitas ex his redundat in tota ipsa composita collectiuè sumpta, & in eorum partes, virtutes, & operationes, quæ proindè omnia,vt sic, sunt negatiuè inorganica:at attenta sola eorum materia, quia hæc de se capax est organorum,quæ illa non habent,dicuntur esse inorganica priuatiuè, sicut etiam dici possunt esse illæ formæ partes, virtutes, & operationes, vt pote eandem materiam, vt causam sustentantem includentes: Inorganica verò simpliciter negatiue sunt semper entia simplicia, vel tota completa, vt Deus, & Angeli, vel vt formæ incompletæ substantiales,vt animæ rationales, vel vt formæ accidentales à materia iadependentes; quia hæc omnia ita carent organis, vt ad ea quoad esse suum omnimodam habeant repugnantiam, quæ ex substantia in ea accidentia redundat. Et hinc oritur aliud discrimen, quod formæ, virtutes, & operationes priuatiuè inorganicæ nunquam possunt esse in toto organico, nec solæ, nec cum alijs organicis: at formæ,virtutes,& operationes negatiuè inorganicę, & ex eminentia possunt esse in aliquo toto organico simul cum aliquibus organicis accidentibus, sicut in composito humano sunt anima rationalis, intellectus, voluntas, & operationes spirituales,& insuper potentiæ vegetatiuę, & sensitiuæ. Et ratio discriminis habe-

organi adæquatè sumpti, sed solum analogice, & diminute in prędicato analogo minus perfecto, quod est excludere organum inadæquate tantum quoad complexionem accidentium, non ex perfectione, & eminentia supra ipsam, sed ex limitatione supra explicata. Nec maior perfectio inorganicorum negatiue sumptorum supra organica, vt sic, est præcisè, & qualitercunque excludere talem complexionem, sed ex prædicta eminentia, & etiam ex excessu altioris gradus viuendi; in quo tamen gradu propinquiora ijs sunt organica propriè sumpta, vt pote viuentia, quam alia inorganica, quæ inanimata sunt: & ex consequenti hæc sunt simpliciter ab ijsdem remotiora, illa verò simpliciter viciniora, quia eadem magis attingunt in eo, in quo perfectiora sunt. & hinc habetur, posse vnum, & idem prædicatum excludi ab vno per defectum, & ab alio per excessum, & eminentiam. Sic compositio ex materia, & forma excluditur à simplicitate per defectum conuenientem ipsi materiæ, & formæ seorsim sumptis, hæ .n. sunt simplices non verò ex materia, & forma compositæ: excluditur etiam per excessum à simplicitate Angelica. Sic discursiuum excluditur per defectum ab inanimatis, & etiam à plantis, & brutis, per excessum verò à Deo, & ab intelligentijs, sic demum videntur vniuersim se habere prædicata media inter extrema imperfectiora, & perfectiora.

Vrgebis, Si inorganica priuatiue, vt sunt elementa, & similia, dicuntur inorganica ex defectu, hoc ideò est, quia carent principio difformium actionum, quæ non nisi per partes dissimiles, & organicas exerceri possunt: sed etiam inorganica negatiue .e.g. Angeli carent tali principio, non .n. habent vim eliciendi varias, ac difformes actiones vitales, quales exercent animalia; ergò dicentur etiam inorganica ex hoc defectu; ergò dicentur immaterialia præcisè, quia sũt sic inorganica. ergò similiter omnia organica dici debent immaterialia per oppositũ ad organica, siuè includãt in se materiam, siuè excludant.

Respondetur, inorganica priuatiue non ideò dici inorganica ex defectu, quia præcisè, & quomodocunq; sed quia ex peculiari limitatione, & imperfectione, qua infra illud sunt, carent, tum eo, tum etiã eminentiore perfectione: at inorganica negatiue carent eodem ex natiua perfectione maiori, & altiori principio, quo sunt supra ipsum per eminentem æquiualentiam, aut excessum simpliciter, quo excedunt organica, vt Angeli animata, & intellectus. Neque obstat, quod organa habeant plura principia cognitiua, & elicitiua plurium actionum difformium, puta sensationum variorum generum, & in hoc extensiuè excedant multa inorganica negatiue dicta, quæ vnicum tantum habent cognoscendi principium, nempè intellectum; nam hoc vnum est eminenter supra

pra

TRibus modis potest intelligi, hanc virtutem, & naturam esse vniuersalem in cognoscendo; ex parte cognitionis, vt si cognoscat per omne genus cognitionis sensitiuæ, intellectiuæ, abstractiuæ, intuitiuæ, euidentis, probabilis, discursiuæ, à priori, à posteriori, intensæ, remissæ: ex parte medij, seù speciei intentionalis, vt si cognoscit per species vniuersales in repræsentando, quales à multis dicuntur esse similitudines intelligibiles Angelis congenitæ, & etiam per omne genus specierum: & ex parte obiecti, cognoscendo nimirum naturas vniuersales, vel etiam singularia, siuè aliqua, siuè omnia, siuè corporea, siuè incorporea, atque adeò attingédo intentionaliter ens, vt ens, secundum totam latitudinem, & amplitudinem eius, imò etiam extendendo se ad non entium, atque impossibilium cognitionem. & potest quæri tum de natura, tum de potentia cognitiua immateriali: fingi.n.posset, aliquam talem potentiam non esse in cognoscendo vniuersalem, esse tamen sic vniuersalem naturam, non per vnam, sed per plures potentias cognitiuam. Hic agetur tantum de tertio modo aliàs de alijs. & agetur tam de natura, seù substantia immateriali omninò abstracta, qualis est Angelus, quàm de abstracta quidem, sed tamen vnibili materiæ, vt est anima rationalis, & etiam de vtriusque potentia cognitiua.

Dico primò non posse dari Angelum, qui per lumen naturale non possit euidenter abstractiuè cognoscere Deum. Prima ratio est. Quilibet Angelus necessariò potest per lumen naturale cognoscere comprehensiue se ipsum; ergò quilibet etiam potest intuitiue videre, se non esse à se ipso, nec ab

alijs

alijs Angelis, aut rebus inferioribus, hæc .n. independentia quoad esse tàm à se, quàm ab ijs alijs est illi maximè intrinseca, & connaturalis, vt per se constat; ergò necessariò etiam naturaliter potest euidenter cognoscere se esse à superiori principio creaturę, seù à creatore, qui Deus est; ac proindè necessariò etiam potest naturaliter cognoscere euidenter abstractiue in se ipso, vt in effectu, Deum ipsũ vt causam; ergò nullus potest dari Angelus, qui per lumen naturale dicto modo Deum non possit cognoscere. Antecedens patet, quia quilibet Angelus, etiam ex possibilibus, si actu ponatur, necessariò habet naturalem vim cognoscendi adæquatam cognoscibilitati suę connaturali. quia omnis substantia totaliter intellectiua, & totaliter intelligibilis, sicut habet naturalem vim intelligendi, & intelligibilitatem naturalem cõmensuratas, & proportionatas sibi, vt pote suas proprietates; ita easdem habet proportionatas, & adæquatas inter se inuicem; non.n. est maior ratio, cur vna aliam possit excedere, non verò è contra: quilibet autem Angelus est substantia totaliter intellectiua.i. per solas vires intellectiuas cognoscitiua, non per sensitiuas; & est etiam totaliter intelligibilis.i. solo intellectu, non verò sensu cognoscibilis: vndè tales vires necessario habet inter se adæquatas, ita vt non possit plus, aut alio modo de se ipso naturaliter intelligere, quàm ipse sit.

DISPVTATIO II.

An omnis virtus, & natura cognitiua immaterialis, sit necessarió vniuersalis in cognoscendo.

TRibus modis potest intelligi, hanc virtutem, & naturam esse vniuersalem in cognoscendo. Primò ex parte cognitionis; vt si cognoscat per omne genus cognitionis, sensitiuæ, intellectiuæ, abstractiuæ, intuitiuæ, euidentis, probabilis, discursiuę, simplicis, à priori, à posteriori, intensæ, remissæ. Secundò ex parte medij, seù speciei intentionalis: vt si cognoscat per species vniuersales in repræsentando,

do, quales à multis dicuntur esse similitudines intelligibiles Angelis congenitæ, & etiam per omne genus specierum. Tertiò ex parte obiecti, cognoscendo nimirum naturas vniuersales, vel etiam singularia, siuè aliqua, siuè omnia, siuè corporea, siuè incorporea, atque adeò attingēdo intentionaliter ens, vt ens secundum totam latitudinem, & amplitudinem eius: imò etiam extendendo se ad non entium, atque ad impossibilium cognitionem. & potest quęri tum de natura, tum de potentia cognitiua immateriali: fingi.n. posset, aliquam talem potētiam non esse in cognoscendo vniuersalem; esse tamen sic vniuersalem naturam, non per vnam, sed per plures potentias cognitiuam. Hic agetur tantum de tertio modo, aliàs de alijs. & agetur per varia capita, & dubia tum de natura, seù substantia immateriali omninò abstracta, qualis est Angelus, quàm de abstracta quidem, sed tamen vnibili materię, vt est anima rationalis, & etiam de vtriusque potentia cognitiua; ex quorum dubiorum explicatione habebitur quęstionis resolutio.



CAPVT I.

An possit dari Angelus, qui naturaliter non possit cognoscere Deum euidenter abstractiue.

Pars affirmans probatur primò. quia non est, vndè implicet Angelus sic limitatus. Vel.n. implicat ex eo, quòd Angeli iam creati, non sunt sic limitati, atque adeò nec alij possibiles: vel ex eo, quòd nec animæ nostrę sunt sic limitatę, cum cognoscant naturaliter Deū, ac proindè multò minus Angeli: vel ex eo, quia obiectum adæquatum cuiusuis intellectus est ens, comprehendens etiam Deum. Non primum, quia malè arguitur à rebus actualibus negatiue ad possibiles quoad omnes conditiones. Nec secundum, quia quamuis animæ nostræ, quoad hanc cognitionem imperfectam, & abstractiuam Dei exceduntur secundum quid aliquem Angelum possibilem; simpliciter tamen, & in alijs multis excederunt ab eo, vt in modo cognoscendi absque discursu, & phantasmate, absque compositione, & diuisione, & etiam in cognoscendo intuitiue omnes alios Angelos, quòd non possent animæ nostræ corporibus vnitæ. Nec tertium, tum quia petitur principium: dici.n. potest dari posse intellectum naturaliter limitatum ad obiectū, seù

ſeu ad ens creatum. Tum quia eſto obiectum adæquatum cuiuſuis intellectus ſit ens, vt ens; non tamen ſequitur, omne comprehenſum ſub ente, ſpectatum in particulari, poſſe naturaliter cognoſci, etiam abſtractiue, à quouis intellectu, atque adeò poſſe ſic cognoſci Deũ: aliàs poſſet etiam naturaliter cognoſci Deus, vt trinus, & incarnatio poſſibilis, quòd falſum eſt. Sat ergò eſt, ſi aliqua in particulari, & diſtinctè, aliqua in communi, & confuſe cognoſcãtur. Secundo probatur eadẽ pars. quia Deus eſt ens ſecundum ſubſtantiam, maximè omnium ſupernaturale; ergo debet eſſe ſupra naturalem vim intelligẽdi alicuius ſubſtantiæ intellectiuæ, ſaltem poſſibilis, etiam Angelicæ; aliàs non omnino eſſet ſupra naturam. Tertio probatur. quia ſi non poteſt dari dictus Angelus, hoc ideò eſt, quia quiuis Angelus neceſſariò habet Dei imaginem in ſua natura impreſſam, & ex conſequẽti cognoſcendo ſe ipſum, cognoſcit etiam Deum per eius ſimilitudinẽ, hæc n. videtur eſſe ratio S. Thomæ 1. p. q. 56. a. 3. Hoc tamen non videtur vrgens. Tum quia natura, ſeù ſubſtantia Angeli non eſt imago, ſeù ſimilitudo Dei, qua, quales ſunt ſpecies rerum intelligibiles, & ſenſibiles, ſed in qua, vt clarum eſt: vel ergò Angelus cognoſcit naturam ſuam, vt imaginem Dei reduplicatiue, & expreſſe, vel ſolum ſpecificatiue, & quaſi materialiter, cognoſcendo nimirum id, quòd eſt imago Dei, non tamen proùt imago Dei eſt: ſi primum; ergò non cognoſcit per eam primò Deum, ſed aliundè eum præcognouit: nemo n. poteſt cognoſcere, aliquam rem verè eſſe imaginem alicuius, & expreſsè, vt talem, niſi priùs cognouerit imaginatum, aliàs vndè ſciet, eam eſſe imaginem illius potius, quàm alterius? Si ſecundum; ergò verè non cognoſcit, eam eſſe imaginem Dei; ergò nec cognoſcit Deum. Tum quia iam Angelus cognoſceret naturaliter Deum per diſcurſum, quòd non ſolet admitti. ſequela patet. quia cognitio per ſimilitudinem repræſentantem, vt cognitam, ſeù in qua, eſt cognitio diſcurſiua, per hoc n. differt à cognitione per ſimilitudinem, ſeù ſpeciem qua incognitam: ſed cognitio Angeli de Deo per ſuam naturam eſt per ſimilitudinem repræſentantem vt cognitam, cum ſit mera ſpecies, qua, nec n. ſubſtantia Angeli eſt per ſe ad hoc munus inſtituta, vt ſcilicet ſit pura ſpecies, qua, repræſentatiua Dei; ergò eſt cognitio diſcurſiua. Quartò probatur idem. ſicut ſe habet ſenſitiuum ad ſenſibilia, ita intellectiuum ad intelligibilia: ſed non omne ſenſitiuum poteſt circa omnia ſenſibilia, multa n. animalia ſunt limitata ad cognoſcenda determinata tantũ obiecta; ergò nec omne intellectiuum poteſt circa omne intelligibile, præſertim naturaliter, & circa Deum, qui eſt intelligibile ſuperexcedens; ergò non eſt, vndè repugnet, dari Angelum non valentem naturaliter attingere prædicto modo

do Deum. Quintò ad idem. saltem potest dari anima aliqua rationalis inferior nostra, accipiens species à sensibus paucioribus, & imperfectioribus, quàm sint nostri sensus; cur.n. talis anima implicet? ergò poterit ea esse ex natura sua ita limitata ad intelligenda obiecta creata, vt non possit Deum, saltem naturaliter, cognoscere euidenter, quę .n. contradictio in his terminis apparet?

Dico tamen primò, non posse dari Angelum, ita limitatum in cognoscendo, vt naturaliter non possit cognoscere Deum euidenter abstractiuè. Prima ratio est. quilibet Angelus necessariò potest per lumen naturale cognoscere comprehensiue se ipsum; ergo quilibet etiam potest intuitiuè videre, se non esse à se ipso, nec ab alijs Angelis, aut à rebus inferioribus, hęc .n. independentia quoad esse tàm à se, quàm ab his alijs est illi maximè intrinseca, & connaturalis, vt per se constat; ergò necessariò etiam naturaliter potest euidenter cognoscere se esse à superiori principio creante, seù à creatore, qui Deus est; ac proindè necessario etiam potest naturaliter cognoscere euidenter abstractiuè in se ipso, vt in effectu, Deum ipsum vt causam; ergò nullus potest dari Angelus, qui per lumen naturale dicto modo Deum non possit cognoscere. Antecedens patet, quia quilibet Angelus, etiam ex possibilibus, si actu ponatur, necessario habet naturalem vim cognoscendi adęquatam cognoscibilitati suę connaturali. quia omnis substantia totaliter intellectiua, & totaliter intelligibilis, sicut habet naturalem vim intelligendi, & intelligibilitatem naturalem commensuratas, & proportionatas sibi, vt pote suas proprietates; ita easdē habet proportionatas, & adæquatas inter se inuicem; non.n. est maior ratio, cur vna aliam possit excedere, non verò è contrà: quilibet autem Angelus est substantia totaliter intellectiua .i. per solas vires intellectiuas cognoscitiua, non per sensitiuas, cum sit incapax sēsuum; & est etiam totaliter intelligibilis .i. solo intellectu, non verò sensu cognoscibilis: vndè tales vires necessariò habet inter se adæquatas; itaut non possit plus, aut alio modo de se ipso naturaliter intelligere quàm ipsa sit ex parte sua intelligibilis, nec vice versa plus, aut alio modo ipse ex parte obiecti sit naturaliter intelligibilis, quàm ipse idē ex parte potentię possit naturaliter se intelligere. Vndè fit, vt possit se comprehēsiuè cognoscere. Secùs est de anima nostra, quæ, cum sit spiritualis, est totaliter intelligibilis, seù solo intellectu, non autem sensu cognoscibilis; quia verò est simul forma intellectiua, & sensitiua, non est totaliter intellectiua, sed inadæquate cognoscitiua per intellectum, inadæquate per sensum, & indè est, quòd eius vis intelligendi non est adequata eiusdem connaturali cognoscibilitati, vndè nec potest, saltem vnita corpori se comprehendere. Atque

hæc prima ratio est etiam clara ex eo, quòd quilibet Angelus res omnes naturales se inferiores etiã comprehensiue cognoscit, saltem comprehensione rei quoad essentiam, & naturam, & quoad ea, quæ cum illa necessariam connexionem habent. Secunda ratio. Anima nostra naturaliter cognoscit euidentia abstractiua Deum à posteriori ex effectibus eius absque illorum comprehensione; Deum .n. esse naturali lumine demonstrari potest, vt hic suppono; ergò multo melius, & clarius idem cognoscere potest, & cognoscit naturaliter quilibet Angelus, etiam ex possibilibus, si creetur, quia, & excellentius lumen naturale habet, & rerum naturas magis penetrat, vt pote simpliciter perfectior in gradu intellectiuo, quàm quæuis anima, vt infra; ergò nullus dari potest Angelus, &c.

Ad 1. in oppositum dico, Angelum illo modo in cognoscendo limitatum ex eo implicare, tum quia implicat esse ita limitatum, vt non cognoscat euidenter, & intuitiue se non esse ens à se ipso, nec à causis creatis, ac proindè esse à principio creante increato, seù à creatore, qui Deus est; tum quia etiam repugnat, eum non cognoscere euidenter aliàs res creatas, quas intuitiue videt, non esse à se ipsis, nec quoad totam ipsarum collectionem, & seriem esse à causa creata, ac proindè necessario esse ab ente à se; tum quia implicat, substantiam simpliciter in intelligendo perfectiorem, vt est Angelus, excedi à substantia imperfectiori, nempè anima rationali, in cognoscendo per vires naturales summum obiectum, qualis est Deus, quem talis anima cognoscit,

Ad 2. distinguo antecedens. dupliciter .n. potest Deus dici ens secundum substantiam supernaturale. vno modo prout ex se ipso habet excessum supra totam exigentiam naturæ, (quicquid nunc sit natura) & inconnexionem ad ipsam; quod quidem habet vel vt attingibilis in se immediatè realiter per vnionem hypostaticam, & intentionaliter per aliquos actus nostros vitales; vel vt radix perfectionum naturæ omninò indebitarum, vt est vbi Sacramentale corporis, aut quid simile. & hoc modo Deus dicitur ens proprijssimè, & maximè secundum substantiam supernaturale: & sic concedo antecedens, & consequentiam: verè .n. Deus tali modo spectatus, est non solum supra totam naturalem vim intelligendi alicuius substantiæ intellectiuæ, siue actualis, siue possibilis, sed simpliciter supra totũ lumẽ naturę, atq; adeò via naturali incognoscibilis euidẽter ab omni natura intellectiua creata, & etiã creabili, saltem, vt terminus dictæ realis vnionis, & vt trinus, secundum communem sententiam, quicquid sit de alijs rationibus. Alio modo prout excedit totam naturam, vt principium tamen, exemplar; & finis naturæ, & his modis cum ea connexus. & sic nego antecedens; licet

enim possit Deus etiam in hoc sensu dici ens supernaturale secundũ substantiam; tamen non ita propriè, vt primo modo, imò nec ratione omnium: quia verè natura est connexa cum ipso, ipsumq; exigit. vndè nec ipse est omnino supra totum lumen naturale, sed est per hoc euidenter cognoscibilis ex connexione naturæ cum illo. Imò etiam posset negari consequentia ob aliam rationem: quia quamuis Deus hoc modo consideratus esset supra naturalem vim intelligendi alicuius substantiæ intellectiuæ; non tamen sequitur fore supra vim substantiæ Angelicæ, sed ad summum supra vim alcuius animæ rationalis possibilis valdè imperfectæ, si hęc tantę imperfectionis dari posset.

Ad 3. iam allatæ sunt rationes, cur non possit dari Angelus ille. Ratio etiam D. Thomę optima est, nec differt à nostra prima, & ad eius impugnationem nego minorem. Ad cuius primam probationem dici potest cum Capreol. in 2. d. 3. q. 2. a. 3. vbi etiam Syluest. & cum Caieta. 1. p. q. 56. a. 3. essentiam Angeli esse imaginem Dei vtroque modo. s. qua, & in qua. Sed esto sit tantum imago, in qua; dico Angelum cognoscere naturam suam exercitè, vt imaginem Dei reduplicatiuè, & expressè: nego autem consequentiam, qua infertur, non cognoscere per eam primo Deum, sed aliunde præcognouisse. benè. n. potest aliquandò res aliqua cognosci expressè, vt imago alicuius exemplaris antea non præcogniti. Sic accidit quandò imagines sunt per se, & naturales, ex natura sua ordinatæ, & institutæ ad ducendum in cognitionem alterius, tanquam effectus, seu imitationes, aut res originatæ ab ipso: & sic se habet essentia Angeli in ordine ad Deum: vndè cum eam Angelus primo intuetur, vt ens non à se, in eodem signo cognoscit simul esse à creatore, vt eius effectum, & imitationem; ac proindè tunc cognoscit etiam Deum, etiam si eũ prius non cognouerit. Sic etiam proportionaliter se habet imago aliqua intentionalis, nempè verbum mentis simplex, in quo secundum multos tanquam in imagine cognita cognosci primo potest eius obiectum simul. & ratio est, quia cognitio imaginis naturalis, & per se, hoc est sua natura ordinatæ ad repræsentandum alterum, est essentialiter relatiua, & ex consequenti non sistit in sola imagine, sed transit vlterius in exemplar: vndè etiã si hoc non fuerit prius cognitum, sufficienter tunc primo cognoscitur. Scitur autem eam esse imaginem huius potius, quàm alterius ex natura, & conditione peculiari ipsius imaginis, quæ ex se ipsa habet, vt sit imago vnius determinati exemplaris, non verò alterius. Secus accidit, quando imagines sunt per accidens, & quoad externas solum figuras, quales sunt imagines artificiales, aut similes: tunc. n. quia non sunt ex natura sua ordinatę ad repręsentandum alterum, nec

sunt

sunt per se effectus eius, sed per accidens ex vi artis, aut aliunde fiunt ei similes; non possunt cognosci expresse, vt imagines alicuius determinati exemplaris, quod antea non fuerit aliquo modo præcognitum, aut tunc ex dicto alterius, aut alia via cognoscatur. Et hinc habetur, imaginem vt sic, in communi sumptam, abstrahere ab hoc, quòd sit primo ductiua in cognitionem exemplaris, vel non sit: contrahi verò posse ad aliquas imagines sic primo ductiuas, & ad alias non primo. Ad secundam probationem nego sequelam. Neque hæc bene probatur per maiorem, quæ falsa est. Nec cognitio per similitudinẽ, in qua, differt à cognitione per similitudinem, qua, quia ea sit discursiua, non verò hæc: sed quia sit per medium, vt cognitum, nec se habens, vt puram rationem cognoscendi, & actuationem potentiæ, sed se habens, vt quod, seù vt obiectum, quamuis non vltimatum; altera per medium, vt incognitum, se habens, vt quo, seù puram rationem cognoscendi actuatiuam, & completiuam potentiæ in actu primo. Non ergò ea cognitio est discursiua; quia per eam Angelus non cognoscit vnum ex alio, deducendo cognitionem Dei ex priori cognitione Angeli; sed vnum in alio, vt dictum est. An verò hic sit discursus virtualis, alibi dicitur.

Ad 4. concedo maiorem inadæquate, quoad aliqua, vt quoad indigentiam specierum intentionalium propter obiecta: quoad attingere obiecta per sentire, & intelligere, qui non sunt actus imperfecti, sicut est motus, sed dicuntur actus perfecti, non tendentes in vlteriorem formam: quoad non posse attingere perfecte obiectum excellens: hæc .n. omnia communia sunt sensitiuo, & intellectiuo creato: nego verò maiorem adæquate, & quoad omnia. nam intellectiuum, vt potè eleuatius, & illimitatius est reflexiuum, & est discursiuũ actu, vel virtute, etiam inter obiecta spiritualia, & vniuersalia: secus sensitiuum secundum omnes. Sic etiam intellectiuum ex eminentia sua est abstractiuum, & præcisiuum; non sic sensitiuum. Deinde data minori, distinguo primum consequens. Si .n. sensus sit, quòd non omne intellectiuum possit, præsertim naturaliter, circa omnia, & singula obiecta intelligibilia, quæcunque sint, id nunc transeat, infra discutiendum: si verò sit sensus, quòd ita non possit circa omnia, vt ex eorum numero, in quæ potest etiam naturaliter, excludatur Deus, sic nego consequentiam. licet .n. Deus sit obiectum superexcedens, est tamen iuxta supra habita, cum natura connexum, & ex his nego secundam consequentiam.

CAPVT II.

An saltem possint in aliquo Angelo dari duo intellectus, vnus cognitiuus dicto modo Dei, alter non, sed obiecti tantum creati.

PRocedit tam hoc dubium, quam sequens data distinctione ex natura rei potentiarum vitalium tum inter se, tum à substantia viuente; licet proportionaliter habeat etiam locum stante distinctione rationis.

Dico igitur, non posse dari duos illos intellectus. Ratio est, quia implicat intellectus Angelicus, qui sit cognitiuus obiectorum creatorum, & non Dei abstractiue. nam Angelus tali intellectu cognosceret comprehensiue aliqua obiecta creata, saltem se ipsum, & omnes res æquales, & inferiores; ergò necessario videret, neque has, neque se ipsum esse entia à se, sed à creatore, vt dictum est; vndè necessario cognosceret abstractiue creatorem, seù Deum. Nec dici potest, talem intellectum non esse comprehensiuum horum obiectorum, sed pure intuitiuum inadæquatum per defectum cum illorum intelligibilitati, tum illius Angeli intellectiui-tati; nec esse necesse, omnem intellectum adæquari his rationibus, sicut nec omnis sensus adæquatur omni sensibilitati, ac sensitiuitati, seù naturæ sensitiuæ, in qua est; nam contra est Primo quia esto ita sit, hoc nobis sufficit. nam is intellectus intuendo solum, & videndo clare obiecta illa creata, iam cognoscit ea quidditatiue, & essentialiter longe melius, quàm eadem cognoscat anima nostra, quæ tamen ex his cognoscit Deum; ergò clare cognoscit ille intellectus, res illas non esse à se, sed ab alio, nempè à Deo, hoc.n. est prædicatum ijs maxime intrinsecum, & quidditatiuum; ergò adhuc cognoscit abstractiue Deum in suis effectibus. Contra secundo, quia Angelus prout intellectiuus per talem intellectum re vera est proportionatus sibi, vt obiecto primario suo, ac directo, & etiam obiectis æqualibus; obiecta verò sua inferiora longe excedit; ergò non est, cur non sit horum omnium comprehensiuus. Contra tertio si is intellectus est incomprehensiuus illorum omniū obiectorum, certè est comprehensiuus sui ipsius, atque adeò adhuc vrget ratio. Contra quarto, quia si est incomprehensiuus, & inadæquatus dictis obiectis, quæro de illo altero intellectu cognitiuo Dei, an similiter sit inadæquatus, & incomprehensiuus rerum creatarum, in quibus mediate cognoscit Deum, non .n. hunc cognoscit immediatè, vt supponimus, an verò sit comprehensiuus. Si primum; er-

gò

gò iam sunt in tali Angelo plures intellectus inadæquati, & incomprehensiui, qui si sunt ambo æqualis perfectionis, iam alteruter naturaliter superfluit; Si verò inæqualis, iam qui perfectior est, melius cognoscit quæcumque cognoscit inferior, ac similiter hic est omninò superfluus, vt fuse infra. Contra quinto, si Angelo dari potest talis intellectus natura sua incomprehensiuus illorum omnium obiectorum, iam dari poterit alter incomprehensiuus obiecti immediatè se inferioris, comprehensiuus verò omnium aliorum, quia hic non est vndè implicet, illo alio non implicante: similiter dari poterit alius intellectus incomprehẽsiuus duorum obiectorum inferiorum propinquiorum tantum, & alius trium tantum, & alius solum quatuor, & sic deinceps, comprehensiuus verò omnium aliorum inferiorum minus perfectorum, quia in his non apparet specialis repugnantia, si non est in illo primo, quæ sane inaudita, & ridicula videntur. Contra sexto, vel ille Angelus præter intellectum illum sic incomprehensiuum, haberet alium comprehensiuum naturæ proprij subiecti, & aliarum rerum, vel nō; si haberet; ergò ex dictis supefluit intellectus incomprehensiuus. si non; contra adhuc est; quia natura totaliter intellectiua, vt est Angelica, habet intellectualitatem radicalem sui ipsius directè cognoscitiuam, & sibi adæquatam, idest à se non excessam, cum non modo sit obiectum maximè sibi proportionatum, sed sit formaliter ipsamet intellectualis natura; ergò necessario exigit naturaliter intellectualitatem formalem, seù potentiam proximam intellectiuam similiter sibi proportionatam, & adæquatam: alioquin si hæc excederetur, iam intellectualitas radicalis, seù remota posset aliquid remotè, quòd proximè non posset intellectualitas formalis, seù intellectus circa obiectum sibi maximè connaturale; cum tamen id omnino repugnet; quia quicquid potest remotè potentia remota, potest proximè potentia proxima; potentia n. remota non nisi per proximam operatur complete; ergò insuper hic intellectus illi naturæ intellectiuæ adæquatus, atque adeò comprehensiuus, esset vnus simplex, non verò plures inadæquati, alioquin singuli seorsim per se essent circa eadem prorsus obiecta incomprehensiui, quod iam impugnatum est: secus accidit in sensibus particularibus; qui nō sunt circa eadem obiecta; nec singuli respiciunt, ac complent naturam sensitiuam indiuisibiliter, vt sequenti dubio dicam; ergò tandem dictus intellectus, si est adæquatus modo supra explicato intellectiuitati propriæ naturæ intellectiuæ, iam est etiam adæquatus intelligibilitati, tum eiusdem naturæ, tum rerum æqualium, & inferiorū, quia ab ea ratione, ac veritate nō exceditur. Et hinc patet, nec in anima vlla rationali dari posse duos illos intellectus.

Obijc.

Obijc. Melior intellectus requiritur ad cognoscendum Deum, quàm ad obiectum creatum; ergo non omnis intellectus, qui potest cognoscere obiecta creata, potest etiam Deum. Antecedens probatur, quia perfectior potentia necessaria est ad attingẽdum obiectum perfectius, vel effectum perfectiorem, quam minus perfectum.

Respondeo ad cognoscendum Deum intuitiuè, seù in se ipso requiri intellectum meliorem, non secundum substantiam, sed secundum accidens per maiorem eleuationem, quàm ad cognoscendum obiectum creatum extra verbum; & in hoc etiam sensu non omnem intellectum, eodem modo sumptum, qui potest cognoscere obiecta creata, posse inuariatum, & sine eleuatione cognoscere Deum intuitiuè, neque hoc est contra prædicta, & sic conceditur antecedẽs, & consequentia; At ad cognoscẽdum Deum abstractiuè nullo modo requiritur melior intellectus, sed idem prorsùs, qui sufficit ad cognoscendum obiectum creatũ, satis etiam est ad cognoscendum eo modo Deum, quia cognoscere Deum abstractiuè est eum cognoscere non in se ipso immediatè, sed in alio, hoc est in obiecto creato. & sic negatur antecedens, & ad probationem nego vniuersaliter, & absolutè assumptum, licet comparatiuè ad potentias diuersi generis puta ad intellectum, & sensum, possit esse verum, & in ordine ad disparata, & opposita obiecta, vt spirituale, & corporeum: sicut etiã in ordine ad reales effectus, quia non intentionaliter, sed realiter causari debent: potest similiter verificari de potentia, saltem totali, & completa, quæ sit perfectior, vel substantialiter, vel accidentaliter, vel formaliter, vel virtualiter, vel operando per maiorem conatum.

CAPVT III.

An absolute in vno intellectiuo, seù in vna intellectiua natura dari possint plures intellectus cognitiui.

Hi intellectus fingi possunt varie. Primò ita, vt singuli sint inadæquati ipsi intellectiuo in vi intelligendi, ex eo quia singuli non sunt vniuersales ad omnia obiecta illius, sed limitati ad certa obiecta, perfectiores nimirum ad perfectiora, imperfectiores ad minus perfecta, & inter se specie, aut numero heterogeneè distincti, & eleuabiles, aut non eleuabiles ad obiecta aliorum. Secundò vt sint quidem inadæquati, & limitati; sed inter eos sit vnus aliquis illimitatior, & communis circa obiecta aliorum. Tertiò vt singuli sint adæquati eidem intellectiuo, & vniuersales, & illimitati ad omnia eius obiecta, & inter se æqualiter, aut inæqualiter perfecti, & specie, aut heterogenee ex modo diuerso intelli-

telligendi distincti, aut puro numero differentes. Intellectiuum similiter potest fingi in triplici serie. Prima est series naturarũ, quæ sint vniuersales in intelligendo ens communissimum, & omnia prorsus intelligibilia per vnum tantum connaturalem intellectum, quales sunt omnes naturæ intellectiuæ nunc existentes, & aliæ consimiles possibiles; sed imaginando in quilibet earum capacitatem obedientialem ad plures intellectus. Secunda est naturarum ita quidem vniuersalium, & illimitatarum ad omne intelligibile, vt prior es, non tamen per vnum, sed per plures intellectus connaturales. Tertia est naturarum, quæ non sint ita vniuersales, vt præcedentes, in intelligendo, sed particulares, & limitatæ ex se ipsis ad aliqua tantum obiecta per plures intellectus similiter attingibilia, eleuabiles, aut non eleuabiles ad alia.

Rationes pro parte affirmante.

PRima ratio. In vno sensitiuo, seù animali dari possunt plures sensus inadæquati, particulares, & limitati ad certa obiecta, vt visus ad colorem, auditus ad sonum, & alij ad alia; ergò similiter in vno intellectiuo dari possunt plures intellectus inadæquati, particulares, & limitati ad determinata obiecta: sicut.n. se habet sensitiuum ad sensus, sic intellectiuum ad intellectus. Nec dicas, sensus, vt pote imperfectiores, esse ex se limitatos, & sic posse in vno sensitiuo multiplicari; intellectus verò, cum sint potentiæ perfectiores, esse illimitatos erga omnia obiecta, & sic non posse in eadem natura intellectiua plurificari; nam contra est. Tum quia quòd intellectus sint perfectiores sensibus, solum facit, vt possint illi cognoscere obiecta perfectiora, nempè spiritualia, sensus verò solum materialia; ergò adhuc possunt intellectus in eodem intellectiuo esse plures, & limitati: Tum qu a dicere, intellectus esse ad omnia obiecta illimitatos, est petitio principij apud eum, qui contenderet, dari posse intellectus limitatos, & inadęquatos. Nec rursus dicas, sensus limitari, & multiplicari ex limitatione, & multiplicatione organorum, quibus carent intellectus, nam contra est, quia prior est limitatio, & multiplicatio sensuum in vno sensitiuo, quàm organorum, & horum origo est illa: à priori.n. non quia organa sunt limitata, & plura ideò limitati, & plures sunt sensus; sed è conuerso, quia sensus sunt ex se, & sua natura limitati, & plures, ideò limitata, & plura exigunt organa; licet à posteriori ex organis diuersis cognoscantur diuersi sensus: propter quòd S. Thom. 1. p.q. 7. a. 3. Non sunt, inquit, potentiæ propter organa, sed organa propter potentias. Vndè non propter hoc sunt diuersę potentię, quia sunt diuersa organa: & ideò natura instituit.

tuit diuersitatem in organis, vt congruerent diuersitati potentiarum, & Marsilius in 2. q. 11. a. 6. ait, Animę propter nobilitatem suam sunt plures potētię, & infra, & ideò diuersa organa. Preterea esto, vel limitatio, & multiplicatio organorum, vel horum exigentia sit ratio sufficiens ad limitandos, & multiplicandos sensus; nō tamen est vniuersalis, pręcisa, & adequata respectu omnium potentiarum. nam respectu aliquarum, quales sunt potentię intellectiuę, dari potest alia ratio sufficiens eas limitare, & plurificare: formalis quidem propria earum natura, & conditio; radicalis verò naturá, & cōditio al cuius peculiaris substantię intellectiuę. Cur. n. dici non potest, aliquos intellectus in tali substantia vna possibili esse tum ex huius conditione, & essentia sic limitata, cum ab intrinseco ex propria natura, seù ratione formali, & finitudine, ad certa obiecta limitatos, & plures? quę. n. in hoc relucet implicantia? Nec dicas implicare ex eo, quia tales intellectus forent infiniti; nam contra est, quia sicut in vno sensitiuo dari possunt plures sensus, non tamen infiniti; sed finiti in numero certo; sic dici potest de intellectibus, quòd in vno intellectiuo possint esse sua natura tot, & non plures. Et hinc fit

Secunda ratio. In vno sensitiuo dantur plures sensus particulares limitati, & preter hos datur etiam vnus sensus communis illimitatus, potens attingere omnia illorum obiecta, & actus; ergò sic etiam in vno intellectiuo dari possunt plures intellectus particulares, & limitati, & alius illimitatus, & vniuersalis valens cognoscere omnia obiecta, & operationes eorum. Consequentia probatur, tum quia sicut se habent sensitiuum, & sensus ad sensibilia, ita intellectiuum, & intellectus ad intelligibilia: tum quia ideò in sensitiuo, preter plures sensus particulares, datur ille communis quia obiecta sensibilia habent proprias naturas valde diuersas, & secundum has, vt diuersę sunt, aptę sunt fundare, & exigere in sensitiuo sensus particulares diuersos: & insuper conueniunt, seù sunt vnum in ratione sensibilis in communi, & secundum hanc nata sunt specificare vnum sensum communem: sed etiam obiecta intelligibilia habent proprias naturas, longè inter se diuersas, & preterea sunt vnum in ratione veri, seù intelligibilis, seù entis in communi; ergò per hanc sunt apta fundare in vno intellectiuo, vnum intellectum communem, seù vniuersalem, per illas verò, vt diuersę sun, specificare plures, ac diuersos intellectus particulares. Cur. n. diuersitas, & vnitas inter sensibilia sunt efficaces ad fundandos varios illos sensus, etiā in vna natura sensitiua; diuersitas verò, & vnitas inter intelligibilia erunt inefficaces, & impotentes ad determinandos dictos plures intellectus in vna natura intellectiua? Nec dicas, hos non posse dari,

ri, quia iam intellectus vniuersalis esset perfectior, & potens circa omnium aliorum obiecta, vndè alij essent superflui; nam contra est, quia in sensitiuo datur sensus ille communis perfectior, & potens circa omnia obiecta aliorum sensuum, & tamen hi non sunt superflui, quia aliunde sunt vtiles, imò necessarij animali; ergò sic etiam dici potest de intellectibus. Adde quòd superfluum non arguit implicantiam.

Tertia ratio. Non implicat in vno sensitiuo dari, etiam in vno, & eodem organo, plures. e.g. potentias visiuas, singulas limitatas ad certum obiectum, vnam nimirum ad album tantum, aliam ad nigrum, alias ad alia; ergò nec implicant in vno intellectiuo plures intellectus pariter limitati, vtrobique .n. videtur esse par ratio. Antececedens probatur, quia vel id implicat ex parte organi, vel ex parte potentiarum, vel ex parte obiectorum, aliud .n. implicantiæ caput non apparet. Non primum, quia vnum, & idem organum est accommodatum ad videndum varia obiecta visibilia, vt patet; vndè ipsum de se indifferens est, quod id fiat per vnam, vel plures potentias visiuas limitatas. Nec secundum. Cur .n. repugnet aliqua potentia visiua sic ex sua natura imperfecta ac limitata, vt sit vel essentialiter, vel connaturaliter addicta vnius, tantum speciei obiecto, nempè albo: & alia, quæ sit addicta nigro, & sic deinceps? potentia .n. visiua, vt sic in communi, non dicit in sua ratione, quòd possit positiuè attingere omne coloratum, sed se habet ad coloratum præcisiuè sumptum: vndè non esse necesse, quòd quælibet potentia visiua inferior possit extendi ad omne coloratum, sed aliqua possit, aliqua non: sicut potentia sensitiua in communi respicit sensibile in communi, spectatum præcisiuè, non positiuè; Et indè est, quòd nõ quælibet potentia sensitiua potest versari circa omne sensibile. Nec tertium. quia obiecta sensibilia sicut si sumatur prout vnum in aliquo genere proximo, vt omnia colorata in colorato, apta sunt fundare vnam specie potentiam, puta visiuam aptã attingere omnia; ita quia diuersa specie inter se sunt, non est, vndè ijs, vt talia sunt, repugnet posse determinare, etiam in vno sensitiuo, & organo plures potentias. e.g. visiuas singulas singulis addictas. Imò ita de facto nunc esse tenent Landunus 3. de anima tex. com. 40. putans visum non esse vnum secundũ speciẽ specialissimã, sed multiplicem pro multiplicitate visionum specie distinctarum, & sic etiam obiectorum, & idem dicit de auditu, & alijs sensibus.

Quarta ratio. Plus multiplicari potest dependens, quàm independens, omnia .n. dependentia reducuntur ad vnum independens: sed intellectus in vno homine est dependens a sensibus, qui ab illo sunt independentes, & tamen multiplicantur, vt constat; ergò plus

multiplicari, poteſt intellectus.

Quinta ratio. Si non poſſunt dari plures intellectus cognitiui in vno intellectiuo, hoc vtique ideò eſt, quia obiecta ab eo intelligibilia conueniunt in aliquo vno, quòd proindè fundat, aut exigit in eodem vnum tantum intellectum. Hoc autem dici non poteſt. nam hæc vnitas eſt vel numerica, vel ſpecifica, vel generis ſubalterni, vel generis generaliſſimi, vel entis, aut veri in communi, alia.n. non apparet. Non poſſunt dici quatuor prima, aliàs talis intellectus vnum tantum numero, aut vnam ſpeciem, aut vnum ſolum genus ſubalternum, ſiuè analogum, ſiuè vniuocum, aut vnum ſolum genus generaliſſimum. e.g. ſubſtantiam poſſet intelligere, non verò alia obiecta, quòd falſum eſt. Nec eſt verum ſecundum Primò, quia in vno intellectiuo circa latitudinem entis, & veri dari poſſunt plures actus cognitiui ſpecie diſtincti: & hoc ideò, quia ſub ente, aut verò, vt ſic, continentur multæ rationes peculiares determinantes, & limitantes illos actus; ergò ſic etiam poſſunt in eodem dari plures intellectus, ſeù potentiæ intellectiuæ determinatæ, & limitatæ à pluribus rationibus peculiaribus, quæ ſint vniuerſaliores, quà m illæ aliæ: cum.n. ens, & verum ſit quid vniuerſaliſſimum, & ampliſſimum, neceſſariò ſub ſe continet non duas, aut paucas tantum, ſed plures, & innumerabiles rationes inferiores, aliquas magis particulares, quæ ſint aptæ ſpecificare dictos actus; alias magis vniuerſales, ſufficientes, etiam in vno intellectiuo, determinare, & diuerſificare plures potentias intellectiuas, quę actibus ſunt vniuerſaliores: clarum eſt enim non omnia membra inferiora ſub communiſſimo ſuperiori contenta, æqualis eſſe inter ſe latitudinis, ſed debere eſſe omninò inæqualis, multa ſubalterna, magis, aut minùs ampla, & plura ſpecialiſſima. Imò in vniuerſali potentiæ non ſpecificantur immediatè ab obiectis, ſed ab actibus, ad hos enim proximè referuntur tanquam ad finem potentiæ enim ſunt propter actus, quia per hos perficiuntur: ſed non ſpecificantur ab actibus, prout hi ſunt vnum ſecundum genus, vnitas enim plurium in genere non potest tribuere alteri rationem ſpecificam, ſed tantum genericam, nemo enim dare poteſt quod non habet; ergo ſpecificantur ab actibus, prout ſpecie inter ſe diuerſis; ac proinde tot in aliqua cognitiua natura eſſe poſſunt potentiæ ſpecie diſtinctæ, quot actus ſpecificè differentes, qui certè plures ſunt. Secundò vnitas entis aut veri in communi non impedit, quo minùs dari poſſint plures, ac diuerſi ſpecie intellectus cognitiui in pluribus intellectiuis actu exiſtentibus, angelis nimirum, & hominibus, vel ob diuerſas attingibilitates ipſius entis, ac veri, vel ob diuerſos modos tendendi in illud, vel ob innumerabiles rationes ſub eo cōprehenſas; ergo nec impediet, quo

minùs dari possint in vno, & eodē intellectiuo possibili alterius seriei plures intellectus specie aut saltē numero heterogeneè inter se distincti ob varias attingibilitates, modos tendēdi,& rationes tali intellectiuo proportionatas. Cur.n. id repugnet in vno, si non repugnat in pluribus intellectiuis? nam vel natura entis, & veri est se ipsa infœcunda,& sterilis quoad originationem plurium intellectuum absolutè,vel est fœcunda, & apta: si primum; ergo siuè in pluribus, siuè in vno intellectiuo est semper inepta:si secundum; ergo est vbiq; fœcunda tàm in pluribus, quàm in vno;& sicut eius fœcunditas respectu actuum intellectiuorum indifferenter extenditur ad plura intellectiua, & ad unum,sic etiam se habebit in ordine ad potentias intellectiuas: & ratio est, quia dictæ naturæ omninò extrinsecum, & accidentariū est parere per modum obiecti siuè actus, siuè potētias intellectiuas in vno intellectiuo,aut in pluribus. Cur enim in uno intellectiuo sit adeo sterilis, si in pluribus est adeo fœcunda, cum longe maior difficultas sit in pluribus, quàm in uno? Tertiò omnia entia quia conueniunt in uno ente in communi, per te non fundant in uno intellectiuo plures cognitiuos,sed unum tantum,ergo nec fundant in homine duos intellectus, qui secundùm multos sunt diuersi, nempè agentem, & possibilem, sed hi erunt una tantum potentia uersans circa ipsum ens agendo speciem intelligibilem, & idem cognoscendo per intellectionem; ergo similiter nec fundant in uno intellectiuo plures potentias uitales distinctas, nimirum intellectum,& uoluntatem, sed unā tantum potentiam uitalem, quæ simul sit intellectiua, & uolitiua, tendens in ens, prout attingibile uitaliter. Probatur hæc consequētia,quia sicut omnia entia inter se diuersissima, quia conueniunt in ente uno analogicè, aut uero, nata sunt fundare unum tantum intellectum, qui omnia possit cognoscere; ita quia omnia,siuè sumantur ut uera, siuè ut bona, conueniunt in una attingibilitate dicti entis à principio uitali, cuncta.n. tàm uera,quàm bona, sunt unum ens analogum attingibile uitaliter, apta erunt determinare, ac specificare in uno intellectiuo, ut sic,unā tantum potentiam, quæ illa ualeat attingere tum cognoscendo, tum appetendo. Cur enim unitas entis, aut ueri,ut sic,sufficit ad unum intellectum cognitiuum in uno subiecto, & unitas entis in ratione uitaliter attingibilis non sat erit in in eodem ad unam uitalem potētiam? aut cur pluralitas, ac diuersitas entium sub ente in communi contentorum non sufficit ad plures intellectus; pluralitas autem uerorum, & bonorum sufficit ad plures potentias uitales, quarum una sit intellectus, altera voluntas? cum ratio ueri, & ratio boni sola ratione, ac conceptibiliter inter se differant, entia autem uera sæpè

differant à se inuicem realiter. nam diuersitas inter potentias oritur ex diuersitate obiectorum; ergò quando obiecta habent maiorem diuersitatem, potentiæ sunt etiam inter se magis diuersæ, & impossibile est, quòd maior diuersitas potentiarum oriri possit ex minori diuersitate obiectorum. Et tandem debet reddi ratio, cur vnitas formalis obiecti sufficiens specificare, ac determinare potentiam in intellectiua natura, vt sic, non sit vnitas specifica, aut generica, aut analoga infra ens, nec analoga in ratione attingibilis vitali modo, sed debeat esse vnitas in ente, vt vero, aut in ente, vt bono.

Sexta ratio. In quolibet intellectiuo nunc existenti datur vnus tantum intellectus vniuersalis cognitiuus omnium entium; ergò in aliquo possibili dari possunt plures intellectus cognitiui particulares, singuli limitati. Probatur consequentia, quia non minus aliqua peculiaria intelligibilia sunt apta determinare peculiarem intellectum, ac limitatum, & sic alia alium, quàm omnia intelligibilia intellectum vniuersalem; ergò non est, cur implicent hi plures intellectus in vno intellectiuo, quod sit minus vniuersale ad intelligendum per singulos, & per eos quasi sibi diuidat obiecta intelligibilia, aliqua intelligēdo per vnum, alia per alium. Antecedens probatur, quia ideò omnia intelligibilia sunt apta specificare in vno intellectiuo vnum intellectum vniuersalem, quia omnia conueniunt in ratione entis, aut veri vniuersalis: sed etiam peculiaria intelligibilia, puta creata, habent peculiarem conuenientiam in ratione peculiaris veri, nimirum creati, & multa entia creata conueniunt in aliquo peculiari prædicato minus vniuersali, & in alia in alio; ergò non minus hæc omnia sunt apta determinare peculiares intellectus limitatos, quàm illa vniuersalem. Nec dicas, obiecta intelligibilia peculiaria esse obiecta materialia contenta sub ente, aut vero in communi; aliàs non possent omnia intelligi ab intellectu vniuersali, & ex consequenti non posse fieri formalia, specificando ac determinando intellectus particulares; nam contra est. quia non repugnat aliqua obiecta esse materialia, & esse formalia respectu diuersarum potentiarum magis, vel minus perfectarum. vndè obiecta sensibilia diuersa comparata ad intellectum, sunt obiecta materialia; comparata verò ad sensum, sunt formalia respectu sensuum diuersorum: imò hæc eadem, quæ sunt obiecta formalia respectu sensuum externorum particularium, sunt materialia comparata ad sensuum communem internum. cuius obiectum formale est sensibile, vt sic.

Septima ratio. Intellectus speculatiuus, & intellectus practicus in homine sunt diuersæ potentiæ; ergò absolutè in vno intellectiuo dari possunt plures intellectus cognitiui. Antecedens probatur, tum quia intellectus speculatiuus est

circa verum speculabile, practicus circa verum agibile: tum quia minus differunt inter se obiectum intellectus Angelici, & humani, quòd est verum intelligibile absolutè, quàm obiectum intellectus speculatiui, & obiectum intellectus practici in eodem homine; & tamen illi intellectus circa vnum, & idem obiectum sunt valde inter se diuersi; ergò multo magis sunt diuersi isti alij circa diuersa obiecta.

Octaua ratio. In homine ratio superior, & ratio inferior sunt duo intellectus cognitiui diuersi; ergò. Antecedens probatur primo, quia ratio inferior regulatur,& dirigitur à superiori: idem autem non potest regulari,& dirigi à se ipso, sed à diuerso. Secundo quia in homine appetitus superior, & appetitus inferior, secundum omnes differunt inter se specie; ergò similiter ratio superior,& inferior. Tertio quia ipsemet appetitus inferior, seù sēsitiuus non est vna potentia, sed duæ, nempè concupiscibilis, & irascibilis; vna.n.tendit in bonum delectabile, altera in arduum; ergò multo magis sunt duæ potentiæ ratio superior,& ratio inferior, hæc .n. intendit temporalibus rebus, illa verò contemplandis æternis, ex August. 12. de Trinit.c.7.

Nona ratio. Non repugnat, vni, & eidem Angelo habenti vnum intellectum sibi connaturalem, infundi simul à Deo alterum intellectum similem priori, vel certè alterum perfectiorem, qui foret connaturalis alicui Angelo superiori possibili; ergò. Antecedens quoad primam partem probatur. quia vel id repugnat ex eo, quia absolutè non possunt dari plures intellectus inter se similes, & proportionati eidem Angelo: vel quia plura accidentia eiusdem speciei non possunt simul esse in eodem subiecto: vel quia intellectus illi essent duæ causæ totales in eodem genere,& ordine: vel quia alter esset superfluus. Non primum, tum quia non est, cur non posset Deus destruere intellectum, quem habet aliquis Angelus, & infundere ei alium illi similem, proportionatum, & connaturalem, sicut destructa subsistentia alicuius substantiæ, posset illi infundere, vel ingenerare aliam subsistentiam similem numero distinctam, eiq; propriam; vndè absolutè plures illi intellectus, & subsistētiæ dari possēt: tum quia, quamuis essentia illius Angeli sit vna tantum, tamen hinc non sequitur, intellectum illi connaturalem, ac proprium esse posse tantum vnum; intellectus .n. est accidens Angeli; ergò multiplicari potest, ac proindè absolutè possibiles sunt plures intellectus vnius seriei solo numero distincti, singuli connaturales, ac debiti eidem Angelo, & apti illi inesse, non quidem simul sed seorsim, ac diuisim, ita vt naturaliter quidem vnus tantum ex ijs à prima causa determinatus,& electus, emanet ab essentia Angeli, & alij sint possibiles; Tum quia intellectus cuiuslibet Angeli est in sua perfectione finitus, ac limitatus; ergò

gò absolutè potest habere alios sibi similes, & eidem subiecto proportionatos à Deo creabiles. Nec potest dici secundum: quia esto illud sit verum de accidentibus intentionalibus, quæ si simul ponantur, statim coalescunt in vnum accidens intensius; tamen est falsum de alijs, quæ sunt omnino incapacia intentionis, & indiuisibilia; hæc.n. simul posita, adhuc retinent proprios terminos, ac distinctionem, & tales sunt intellectus. Nec tertium est absurdum, quia illi intellectus non essent causæ totales respectu eiusdem effectus, sed respectu diuersorum actuum intelligendi, ac conceptuum. Quartum demum non obstat, quia superfluitas est solum odiosa naturæ, non verò ponit implicantiam. Quoad secundam verò partem probatur antecedens: quia stante distinctione reali inter intellectum, & naturam intellectiuam, non apparet, vndè implicet, Deum auferre intellectum ab Angelo superiori, & ponere in inferiori: aut saltem Angelum inferiorem habentem proprium intellectum, eleuare ad suscipiendum simul intellectum proprium Angeli superioris pure possibilis. Vel .n. id repugnat ratione inferioritatis, & superioritatis præcisè, vel ratione inferioritatis, & simultatis cum proprio intellectu Angeli inferioris. Primum est falsum. Tum quia minor est improportio, ac distantia inter Angelum inferiorem, & intellectum Angeli superioris, qui sanè sunt in eodem ordine naturali, quàm sit inter quęcunque. intellectum creatum, & lumen gloriæ, & visionem beatam, quia sunt in ordinibus longè differentibus; & tamen non repugnat creatum intellectum eleuari ad suscipiendum in se lumen gloriæ, & visionem beatam; ergò multo minus repugnat illud alterum: Tum quia longè maior est improportio inter intellectum creatum, & essentiam diuinam sumptam in ratione speciei intelligibilis repræsentatiuæ sui ipsius, quàm sit inter intellectum Angeli inferioris, & species intelligibiles proprias Angeli superioris; & tamen certum est, intellectum creatum esse eleuabilem ad habendam essentiam illam in ratione speciei, ergò sic etiam eleuabilis erit intellectus Angeli inferioris ad suscipiendas species superioris, imò etiam Angelus ipsi inferior ad recipiendum in se intellectum ipsius Angeli soperioris, quia tam hic intellectus, quàm illæ species sunt formæ accidentales, natæ informare naturam intellectiuam. Secundum neque obstat, quia non repugnat, eandem naturam cognitiuam cognoscere eadem obiecta per plures potentias inferiorem, & superiorem, aut per habitum, & etiam actum imperfectiorem, & per alium perfectiorem. Nam anima rationalis omnia obiecta, quæ cognoscit per sensum, cognoscit etiam per intellectum: & beati, quæ vident per scientiam beatam, & lumen gloriæ, cognoscunt etiam per lumen scientiæ imperfectioris infusæ,

fusæ, & aliqua etiam per habitus, & actus naturales. & ratio est,quia idem cognosci pluribus vijs, ac modis,imperfectiori, ac perfectiori per plura principia non est vndè contradictionem includat.

Notæ pro resolutione.

NOto 1. omnem creatam naturam cognitiuam,vt sic,esse remotè, ac radicaliter cognitiuam, seù perceptiuam,& etiam appetitiuam, & sic etiam perfectibilem ab obiectis,quia in visione, ac tendentia ad illa suum finem assequitur: sed differenter. nam natura cognitiua intellectiua secundum se, quia supponitur spiritualis, saltem quoad formam, & carens omni extensione formali, ac formalibus partibus, habet quidem extensionem quãdam virtualem,virtualesq;partes in ordine ad coexistendum spatio,aut corpori, non tamen in ordine ad intelligendum, aut appetendum,seù volendum; est .n.remotè apta intelligere, & appetere præcisè,& absolutè in se ipsa, vt omnino indiuisibiliter se habens,etiam si foret in puncto tam sui, quam loci, aut etiam nusquam, & sic quoque est indiuisibiliter perfectibilis ab obiectis,in vna nimirùm, & eadem prorsus indiuisibili entitate; adeò vt Aureol. in 3. d. 23. q. 1. circa finem dicat hominem, non solum sumptum secundum esse physicum, ac naturale, habere actu vim intelligendi, sed etiam productum, vel conseruatum à Deo sine omni quantitate, quem ipse vocat hominem metaphysicum, posse actu intelligere,etiam Deum ipsum, si se tali homini sub ratione obiecti præsentaret. At natura, seù forma pure sensitiua quia materialis est habet entitatem diuisibilem, saltem remotè, & fondamentaliter, & aliquo modo conflatam ex partibus integrantibus actu, vel potentia inthoatiue, & aptitudinaliter distinctis quantitati coexstibilibus; quæ quidem partes non sunt ita inter se merè homogeneæ,sicut sunt partes entitatiuæ formarum in rebus inanimatis exigentium materiam vniformiter in tota eius entitate dispositam;vndè, & sunt inorganicæ per defectum, & ex peculiari imperfectione;sed sunt aliquo modo heterogeneæ,quia ex perfectione,qua supra illas alias formas eleuantur non sunt natæ informare materiam dispositionibus omnino æqualiter, & homogeneæ affectam, sed varijs ac difformibus accidentium combinationibus, ac complexionibus, ac proindè organis in varijs suis partibus instructam: vndè anima sensitiua,eiusq;partes sunt ex natura sua formæ organicæ, seù actus corporis organici, in quo plura exigunt organa ob multiplex genus operationum, quas in ijs aptæ sunt exercere: & propterea Aristotiles 3. de anima tex. com. 66. dixit impossibile esse,simplex corpus esse animalis. Et indè est,quòd natura, seù amina merè sensitiua, etiam in vno animali,est remotè, ac radicaliter,

liter apta perfici à suis obiectis, non indiuisibiliter, aut in aliqua entitate indiuisibili, sed omnino diuisibiliter & in substantia physice diuisibili, & in varijs eius partibus per diuersa organa dispersis: alia n. est pars animæ, quæ est perfectibilis in solo oculo, in quo solo est principium videndi: alia in aure, in qua sola est radix audiendi, & sic de alijs: vndè sunt in vno corpore organico plures animæ sensitiuæ partiales, pluribus addictæ organis, & quasi pluribus formis sensitiuis æquiualentes. Anima autem rationalis, quia est immaterialis, ideò etiam quia forma sensitiua est, est virtualiter extensa, ac diuisibilis in partes virtuales in diuersis organis, ac organorum partibus: in o ex hac immaterialitate, & virtuali extensione habet, quòd exigat corpus maximè compositum. Quod notans Alensis in sum.par.2.q.77.memb.1.a.1.vt habetur, inquit, in libro de fonte vitæ, corpus hominis inter omnia corpora composita compositissimum est. cuius ratio est, quia quantò substantia aliqua est magis immunis à materia, tantò plurium operationum est effectiua; anima igitur intellectiua, cum maximè sit immunis à materia, eo quòd non dependet à materia secundum essentiam, & cum similiter multarum sit operatiua operationum; ideò cum has operationes de se habere non possit, nisi prout vtitur organis, oportet ipsum corpus, per quòd eas exercet esse hetorogeneum, & maximè compositum. sic ille, & hinc fit, vt talis anima sit radicaliter perfectibilis a suis obiectis sensibilibus diuisibiliter virtualiter, & proportionaliter ad alias animas sensitiuas & simile quid dici debet secundum multos auctores de animabus perfectorum brutorum, quas volunt esse formaliter indiuisibiles, etiam si sint materiales, hoc est à materia in suo esse pendentes.

Noto 2. omnem creatam naturam, seù substantiam cognitiuam, sicut in ratione actus primi proximè cognitiui, & appetitiui completur vitali modo à suis potentijs, cognitiua. s. & appetitiua, ad hoc n. hæ potentię sunt per se institutę, ita per easdem vltimatè compleri vitaliter in ratione proximè perfectibilis ab obiectis, ita vt potentiæ ipsæ vel in se ipsis, vel in aliquo sui sint per se aptæ immediatè, & proximè ab ijs perfici, quia per illud idem constitui debet natura in ratione proximè perfectibilis ab obiectis, per quòd constituitur in esse principij proximè cognitiui, & appetitiui eorundem, cum in hoc ipso esse inuoluatur necessariò talis perfectibilitas; sed cum hoc discrimine: quòd natura intellectiua, quà talis, completur per solas potentias sibi proprias, nec alteri innixas, aut alligatas, intellectū. s. & voluntatem, & hæ ab illa, & in illa intelliguntur effluere independenter ab omni concursu, ac dispositione materiæ, seu corporis. Vndè etiam anima rationalis, quamuis in eodem instanti reali, in quo creatur, vniatur corpo-

corpori maximè organico; habet tamen has suas potentias à se, & in se sola emanentes antecedenter ad talem vnionem, & informationem antecessione naturæ, vel rationis, quia sunt potentiæ immateriales, & inorganicæ per excessum, & eminentiam; & etiam si illa crearetur extra corpus, & inunita, adhuc ab ea huiusmodi virtutes effluerent sicut, & in eadem separata conseruantur. Natura autem, seù forma sensitiua, quà talis, completur quidem vitali modo per solas potentias sensitiuas, & appetitiuam sibi proportionatas, sed tamen prout addictas, & affixas certis organis, ac complexionatis materiæ partibus, à quibus pendent, vt à subiectis vel consubiectis, & complementis, sunt.n. potentiæ materiales, vt hic supponimus, & à potentijs spiritualibus, & inorganicis distinctæ, & ideò communiter dicuntur potentiæ organicæ. & indè est, quòd non possunt emanare ab anima sensitiua per se sola, & in aliquo signo priori ad vnionem cum materia, & organis, sed in posteriori præsupposita cum tali coniunctione, & informatione. Quod quidem est vniuersaliter verum, etiam in potentijs sensitiuis animæ rationalis, quà sensitiua forma est, quæ proindè ab ea fluunt post effluxum intellectus, & voluntatis, & propterea S. Thomas in disputatis q. vnica de anima a. 11. Ab anima humana, inquit, in quantum vnitur corpori, effluunt vires affixæ organis: in quantum verò excedit sua virtute corporis capacitatem, effluunt ab ea vires non affixæ organis. Quòd verò in hac anima gradus substantialis sensitiuus, cui respondent potentiæ sensitiuæ, sit natura, aut ratione prior gradu intellectiuo, qui est radix potentiarum spiritualium, non obstat. nam gradus sentiendi, secundum se est substantialis, & essentialis tali animæ, nec est pendens à materia, & organis, sed independens præcisiuè, & prout identificatus gradui intellectiuo, est independens positiue; & rursus secundum se est vniuersalior, & indeterminatior, quàm gradus intellectiuus; & ideò benè potest inesse dictæ formæ ante omnem informationem, & coniunctionem ad corpus organicum, & esse prior gradu intellectiuo ea prioritate, qua superiora sunt priora suis inferioribus, nempè potentialitate natura, aut ratione. secus est in potentijs sensitiuis; hæ.n. & sunt accidentales ipsi animæ, & pendent in suo esse, & fieri à corpore, nec resultant ad substantiam ipsius animæ præcisè, sed ad eam, vt coniunctam, ob quam rationem dicuntur communiter esse potentiæ potius coniuncti, seù compositi, quàm animæ: & ideò in emanando ab illa benè possunt præueniri à potentijs spiritualibus, quæ à sola, & in sola anima, aut spirituali substantia pullulare possunt. Gradus ergò sensitiuus in anima rationali, est quoad suam rationem, & in essendo prior gradu intellectiuo; sed in originando actu suas potentias est perfectior, quia quoad hoc

expectat consortium corporis, quòd ille alter non attendit in originem suarum. Nec est semper necesse, quòd omne originatiuum prius alio originatiuo, originet actu effectum suum, ante quàm aliud causet suum; sed hoc solum est verum de originatiuo priori, & adæquato: at in casu nostro principium originatiuum adæquatum potentiarum sensitiuarum non est anima secundum gradum sensitiuum per se solum, sed est totum coniunctum: quòd quidem clarum est in anima rationali præcedi à gradu intellectiuo, secundum quem talis anima est adæquata origo, & fons potentiarum spiritualium, intellectus nempè, & voluntatis. Quare vniuersaliter forma, seù anima sensitiua, vt sic, completur in ratione proximè cognitiui, & appetitiui per potentias sensitiuas, & per varia, & quasi diuersæ naturæ, ijs tamen congrua organa corporis: propter quòd, vt ait Alensis loco citato, cōuenientia animę, & corporis in hoc est, quòd vtrumque est multiplex, ista multiplicare potentiarum, illud multiplicitate naturarum, & partium organicarum, & paulo inferius, multiplicitas, inquit, operationum, quas exercet anima in corpore requirit multiplicitatem organorum, & ita multiplicitatē naturarum, & harmoniarum. Et S. Thom. in epistol ad ephes. c. 1. lect. 8. docens, corpori ob dictam rationem esse necessaria varia membra. s. manus, pedes, os, & huiusmodi, corpus inquit, est factum propter animam, & non è conuerso. Vndè secundum hoc corpus naturale est quædam plenitudo animæ. nisi. n. esset membra cum corpore completa, non posset anima suas operationes plene exercere.

Noto 3. naturam intellectiuam aliter esse perfectibilem ab obiectis, vt intellectiua, seù perceptiua est, ac vt est appetitiua, & idem accidere in eius potentijs. nam prout est radicaliter intellectiua, est nata perfici in se remotè, ac mediatè ab ijs tanquam à forma apta communicare se illi per suum esse intētionale, hoc est per species intelligibiles, ad hoc vt natura illa fiat, quodammodo ipsa obiecta, quorum est quasi attractiua ad se ipsum; proximè verò, & immediatè hoc modo nata est perfici illius naturæ potentia, quæ est intellectus. Communicari autem ijs hoc esse ob dictam rationem docent communiter. Vndè Scotus in 1. d. 39. q. 6. ad 4. Impressio, inquit, speciei est quidam motus rei ad animam, quatenus res habet esse in illa specie. Et S. Thom. quodlibet. 1. q. 2. a. 2. ait, species intelligibilis est, quodammodo quidditas, & natura rei secundum esse intellegibile. Et idem cum alijs sæpè dicit, entia cognoscitiua esse non solum ipsa, sed alia, & habere in se naturas aliorum. Et Caietan. 1. p. q. 79. a. 2. ait, oportere cognoscitiuum esse rem cognitam & hanc fuisse communem animi conceptionem antiquorum in 1. de anima, & ab Aristotele approbatum. Et Alensis 9. metaph. t. 5. Anima,

ma,inquit, est quasi omnia esse in conceptu, sicut materia est quasi omnia in effectu. Quæ omnia sunt conformia eidem Philosopho, qui in 3.de anima.tex.18.dixit, intellectum possibilē esse, quo est omnia fieri,& tex.38.Anima,ait,quasi manus est, nam manus instrumentum est instrumentorum.Vbi S. Thom. lect.13.Manus,inquit, est organum organorum: qua manus datæ sunt homini loco omnium organorum, quæ data sunt alijs animalibus ad tensionem,vel impugnationem,vel cooperimentum, omnia.n.hæc homo sibi præparat.& similiter anima data est homini loco omnium formarum,vt sit homo quodammodo totum ens:in quantum secundum animam est quodammodo omnia, prout eius anima est receptiua omnium formarum: nam intellectus est quædam potentia receptiua omnium formarum intelligibilium: & sensus est quædam potentia receptiua omnium formarum sensibilium. Hæc ille.fo. ma autem illa perfectiua, in qua conueniunt omnia obiecta intelligibilia,est ens, aut verum,vt dicto modo communicatiuum sui esse. Prout vero natura intellectiua est appetitiua,apta est remotè perfici ab obiectis, tanquam à fine, aut bono ad se attractiuo, quòd etiam proximè conuenit potentiæ appetitiuç, quç est voluntas.Et hoc totum est de mente eiusdem S.Thomæ q.15.de verit.a. 2.corp.vbi,in verum,inquit,intelligibile fertur intellectus, vt in formam,cum oporteat eo,quòd intelligitur intellectum esse informatum:in bonum autem fertur,vt in finem.Vndè à Philosopho in 6.metaph.dicitur, verum esse in mente; bonum, & malum in rebus, cum forma sit intus, & finis extra. Henricus etiam quodlibet. 1.q.17. ait, licet verum per modum formæ rationem ad discernendum necessitet; nullo tamen modo bonum per modum formç necessitat voluntatem ad consentiendum;est.n.& aliter verum obiectum cognitiuæ, & bonum obiectum affectiuæ:verum .n.est obiectum cognitiuæ, à quo ipsa mouetur, & informatur, sicut ab imprimente ei aliquid: bonum autem non sit obiectum affectiuæ, sed solum vt in quòd mouetur. Et in quolibet.11. q.6. Omnino dissimilis,inquit,est comparatio intellectus, & voluntatis referendo ipsa ad obiecta propria tantum quoad modum essendi in: quia intellectum,vt intellectum simpliciter esse habet in intelligente, & non nisi in intelligente, vt in illo, quem informat:volitum autem,vt volitum, nullo modo habet esse in volente, sed potius è conuerso volens in volito,vt in eo, quòd transformatur. sic ille;Nec refert, quòd S. Thom. in disputatis q.vnica de anima a.16. dicat intelligibilia non esse propter intellectus intelligentes ipsa, sed magis intelligibilia esse fines, & perfectiones intellectuum;vndè videtur sequi, quòd sint perfectiua per modum finis, sicut obiecta voluntatis:est.n. magnum discrimen, nam intelligibilia dicuntur intelle-

ornium fines latè accepti, in quantum sunt quoddam bonum ijs, eorumq; actibus conueniens, & congruens, & in quo aliquo modo, vt ad ipsos tracto, quiescunt cum tendentia tamen ad quietem alterius potentiæ.s.effectiuæ: obiecta verò voluntatis sunt finis magis propriè, quia habent rationem boni ad se allicientis præcogniti respectu alicuius inclinantis, & quodam quasi pondere tendentis in ipsum ad acquirendam quietem sui vltimatam, vel non vltimatam. Hoc autem inclinans propriè, & ex suo conceptu non est intellectus, sed voluntas: vt .n. docet S. Tho. q.22. de verit. a. 5. ad 3. Intellectus, si habet inclinationem in aliquid, non tamen nominat ipsam inclinationem hominis, sed voluntas ipsam inclinationem hominis nominat, & indè est, quòd, vt dicit 1.p.q.81.a.1. Actus appræhensiuæ virtutis non ita propriè dicitur motus, sicut actio appetitus. Abstraho autem nunc ab eo, quòd verum, ens, & bonum sumantur communissime, aut aliter, hæc.n.est alia difficultas. Et ex his infertur, quòd quælibet natura intellectiua, vt sic, radicaliter sumpta, est quoddam perfectibile à verò, seù ente, & bono, identicè vnum, & omnino indiuisibile physice, seù secundum entitatem; sed tamen formaliter, ac metaphysice est quasi duplex, habens duas rationes, nempè rationem informabilis, seù attractiui receptiui respectu entis, seù veri, ac obiectorum intelligibilium: & rationem attrahibilis, ac inclinantis respectu boni, & obiectorum appetibilium: sicut ista eadem obiecta habent rationes formales diuersas.s. rationem formæ, & attrahibilis, & rationem finis, seù boni, & attractiui; licet hæ rationes in diuersis rebus sint etiam diuersæ res. Et simile quid conuenit etiam naturæ sensitiuæ, vt sic, spectatæ secundum se: ipsa.n. quà perceptiua est, radicaliter perfectibilis, & immutabilis est à sensibilibus suis obiectis per modum formæ attrahibilis ad communicandum ijs suum esse intentionale: propter quod Caietanus 2. de anima tex.127. dixit, omni cognoscitiuo commune esse, quòd sit sit non solum ipsum, sed alia: & quia non potest anima esse sensibilia secundum esse materiale eorum oportet, ipsam esse talis naturæ, vt sit alia secundum esse sine materia, quòd est esse intentionale communicatum illi ab obiectis sensibilibus: quà verò eadem natura est appetitiua, habilis est perfici ab ijs, tanquam à bono attractiuo, seù fine materialiter .i. non cognito sub ratione finis. & totum hoc conuenit proximè, & immediatè eius potentijs, nempè sensibus, & appetitui sensitiuo, ita vt nati sint à suis sensibilibus perfici, vel in se ipsis, vel in subiectis, ac complementis suis, quæ sunt organa.

Noto 4. verum, seù ens intelligibile esse perfectiuum, vt quòd, ac denominatiue, dictam verò rationem formæ esse perfectiuam, vt quo, & formaliter naturæ intellectiuæ, eiusq; potentiæ: quia nimirum

rum ens est illud, quòd est ijs repręsentabile per illam formam, & cuius est illud esse intētionale tanquam obiecti,& quasi prototypi,in ordine ad quod attingendum natura illa,& potentia perfici debent: forma autem ipsa est imago, & ratio per quam talis attingentia,& perfectio acquiritur. Vtrumque autem perfectiuum est diuisibile in plura:& ens quidem in plura entia, & in varia, ac diuersa obiecta intelligibilia, quæ spectata in in esse rei, sunt inumera, & inter se formaliter specie, ac sæpè genere, & plusquam genere difformia, vt de se patet: sumpta vero in esse obiecti,omnia sunt apta perficere tum plures naturas intellectiuas, pluresq;intellectus in ijs dispersos, tum quamlibet earum cum proprio intellectu;clarum est.n.omnia obiecta intelligibilia, & singula posse aliquo modo intelligi ab omnibus naturis intellectiuis,& intellectibus nunc existentibus, & consimilibus, & insuper à singulis, vndè non necessario sunt addicta pluribus intellectiuis,sed quantum est ex se,permissiue se habent ad vnum,& ad plura:& comparata ad vnum,sunt inter se diuersa tantum materialiter,quia sunt perfectiua sub vna formali ratione, & modo mox explicando; relata vero ad plura intellectiua specie distincta, differunt inter se, etiam materialiter, si nil aliud addatur; differunt vero formaliter,in quantum obstat diuersis perficiendi modis. At vero forma, quæ est alterum perfectiuum, potest diuidi primo penes obiecta ipsa quæ complet in ratione perfectiui, & quorum ipsa est esse intentionale:& hæc diuisio est per differentias materiales,quia est per habitudinem ad ea,quibus ipsa conuenit quasi subiectis aptis per illam perficere actiue, vel quasi actiue:deinde diuidi potest formaliter,seù per differentias formales, quæ nimirum directè, & immediatè cadunt supra ipsam formam sub ordine ad diuersas naturas, ac potentias intellectiuas, & possunt plures disparatos, & oppositos, ac specie, vel genere diuersos modos perficiendi eas informatiuè, per multiplex .s. esse intentionale, seù intelligibile: vnum nimirum habitum per species intelligibiles acceptas ex speciebus sensibilibus, & respiciēs animam rationalem:aliud ordinatum ad Angelos, habitum per species intelligibiles vel successiue infusas, perfectiores ac nimus perfectas;vel congenitas,vniuersaliores,ac minus vniuersales in repræsentando: vel per species haustas ab obiectis magis, aut minus limpidas, ac puras iuxta varias auctorum sententias; & quicquid sit de primo modo, quilibet ex alijs modis continet sub se adbuc alios modo innumeros specie,aut genere diuersos iuxta latitudinem varietatis in maiori, & maiori specierum intentionalium perfectione, vniuersalitate, vel limpiditate, & puritate. Vndè necessariò fit, vt forma illa perfectiua conueniens enti, aut vero in communi, & sit gene-

generica, ac prædicabilis de pluribus inferioribus formis, seù modis formæ specie diuersis, ac omnibus obiectis intelligibilibus adaptatis, & insuper connotet, ac coexigat tanquã suum adæquatũ perfectibile radicale, naturam intellectiuam in communi, similiter genericam, diuisibilem in plures inferiores naturas,& de his prędicabilem: & etiam intellectum genericum illi consonum, tanquam suum informabile magis propinquum, & similiter diuisibilem in plures intellectus inferiores inferiorum naturarum proprios, & de his prædicabilem: perfectiuum .n. & perfectibile forma, & informabile sunt correlatiua,& sibi inuicem correspondentia, & ex his habetur, prædicta obiecta materialia omnia, & singula esse apta perficere per modum formæ tum naturam ipsam intellectiuam in communi cum eius intellectu,cum omnes, & singulas naturas intellectiuas inferiores,siue vniuersales,siue singulares cum earum intellectibus:quia talia obiecta,quantum est ex se, possunt aliquo modo intelligi omnia, & singula ab omnibus, & singulis illis naturis,& potentijs:signatè quidem à natura,& potentia suprema, & generica,& ab alijs naturis,& potẽtijs vniuersalibus inferioribus, exercitè vero à singularibus;vt patet in naturis, & potentijs intellectiuis iam creatis, & alijs similibus & constat hoc ex eo, quia perfectiuitates, & intelligibilitates omnium, & singulorum obiectorum sine dubio non pugnant inter se ex parte ipsorum, nec se impediunt respectu naturarum intellectiuarum omnium, & singularum, nec intellectuum; sunt.n. tantum rationes disparatæ; nec est caput, cur, sumptæ in actu primo, ab eodem perfectibili, & intellectiuo, vel pluribus se excludunt, saltem vt reducibiles successiue in actus perficiendi, & informandi, siue vnam, & eandem naturam, cum eius intellectu; siue plures cum pluribus intellectibus: vndè quòd Deus .e.g. sit intelligibilis ab vna natura, & ab vno intellectu, & à pluribus, & consequenter sit intelligibiliter perfectiuas eorum non impedit, quo minus ab ijsdem sit intelligibilis Angelus, homo, & aliæ res, & hæ sint illarum perfectiue.& inde est, quod obiecta intellegibilia materialia sunt communia omnibus,& singulis intellectiuis,quantum est ex se. Secus se habent obiecta formalia: hæc .n. sunt quidem omnia perfectiua omnium naturarum inferiorum,& omnium earum intellectuum respectiuè, ita vt quodlibet ex ijs sit est parte sua natum perficere proprium perfectibile sibi correspondens etiã circa omnia dicta obiecta materialia, vt de se patet in omnibus intellectiuis existentibus, & alijs similibus;non tamen omnia, & singula sunt perfectiua absolutè,& indifferenter omnium,& singulorum prædictorum. Tum quia obiecta formalia sunt restrictiora, ac minus ampla, quàm materialia,

si qui-

si quidem plura materialia contineri solent sub vno formali, vt patet in omnibus. Tum quia modi illi constituentes obiecta formalia, sunt adeo inter se diuersi, & oppositi, vt non possint simul conuenire vni, & eidem naturæ sub vna potentia intellectiua; aliàs ambæ essent ex sua ratione formali aptæ, & potentes intelligere sua obiecta per inumerabiles species perfectiores, & simul per species minus vniuersales, & pauciores, & simul per species minus perfectas: vel per innumeras species vniuersaliores, & pauciores, & simul per species minus vniuersales, & plures: vel per innumeras species limpidiores, & simul per species minus limpidas; quæ vel est contradictio, vel connaturalis inco.npossibilitas, vel naturalis superfluitas: species .n. illæ minoris perfectionis, vniuersalitatis, & limpiditatis essent superfluæ, & tamen naturaliter perfectiuæ essent. An vero omnes illi modi, vel aliqui ex ipsis solo numero heterogeneè distincti, possint conuenire vni, & eidem naturæ intellectiuæ, quæ habere fingatur plures cognitiuos intellectus, est præsentis dubij punctus. Atque hinc fit, vt neque omnia illa, & singula obiecta formalia, secundum proprias rationes specificas sint apta perficere naturam illam intellectiuam genericam in se ipsa, sed solum quatenus conueniunt in generica ratione formæ perfectiuæ, tum quia hæc est correspondens, & proportionata naturæ genericæ: tum quia talis forma generica non est diuisibilis in omnes illas inferiores formas, seù modos formæ constituentes diuersa obiecta formalia, in ipsa natura generica, sed sub ipsa, vt pote conuenientes respectiue naturis inferioribus sub illa contentis. Vnde natura intellectiua generica, eiusq; potentia non sunt perfectibiles in se, vt supponunt simpliciter, aut absolute à forma generica eiusq; inferioribus formis, sed tantum, vt supponunt personaliter pro suis inferioribus: ipsæ vero se habent præcisiue, ac permissiue, & perfectibiles tantum sunt consequenter, & materialiter. Et conformiter, ac proportionaliter ad dicta de vero, seù ente intelligibili, & de forma in ordine ad intellectiuum dici debet de bono, ac fine in ordine ad appetitiuum: vndè bonum est perfectiuum eius, vt quod, ac denominatiue; ratio vero finis, quæ est bonitas ipsa, se habet saltem secundum modum significandi, vt quo seù vt ratio formalis, intrinseca tamen ipsi bono: & vtrumque perfectiuum potest diuidi in plura: & bonum quidem in plura bona, tanquam obiecta appetibilia materialia, valde inter se diuersa: finis verò in primis in multa quasi subiecta, quæ diuisio est per differentias materiales: deinde formaliter, seù per plures differentias formales, seù modos per se, ac directe diuidentes ipsam rationem finis, & bonitatis attractiuæ, ac constituentes plura obiecta formalia appetibilia sub ordine ad diuer-

diuersas naturas, ac potentias appetitiuas, seù volitiuas: qui etiam modi varij sunt pro varietate modorum formæ perfectiuę, seù iuxta multiplicitatem formalem esse intentionalis, & intelligibilis obiectorum: quia finis, & bonitas respectu naturæ, & potentiæ attrahibilis, nō habent vim attractiuam, nisi dependenter, subordinate, & proportionate ad esse proprium intentionale, & ad esse cognitum, aut cognoscibile in vi cognitiua eiusdem naturæ præsuppositum, vt ostensiuũ, ac directiuum: vnde hi etiam modi sunt innumerabiles, & necessario coexigentes plures, ac plures naturas appetitiuas proportionaliter ad illos alios modos, iuxta quos sunt alia his applicanda. Quo etiam fit, vt ratio finis, ac boni in communi sit generica, & prædicabilis de pluribus inferioribus finibus, seù modis finis specie diuersis, & omnibus obiectis appetibilibus accomodatis, & præterea coexigant, vt suum perfectibile naturam intellectiuam, vt appetitiuam, genericam prædicabilem de pluribus naturis, & similiter appetitum, seù voluntatem similiter genericam ad multas inferiores voluntates. Demum ex dictis patet, in intellegibilibus diuersitatem modorum perfectiuorum instar formæ non oriri ex diuersitate obiectorum secundum esse rei, seù naturale ipsorum, si quidem omnes tales modi possunt aliqua ratione conuenire omnibus his obiectis, cum omnia sint intelligibilia per hos omnes modos, quantumuis diuersos; sed haberi ex ipsa intrinseca natura formæ intelligibiliter perfectiuæ, quæ est ipsum esse intentionale per species intelligibiles, quod quidem potest esse multiplex, ac varium ex se ipso penes maiorem, aut minorem limpiditatem, aut puritatem, vel vniuersalitatem, aut alium modum, & ex connexione ad varias, ac diuersas naturas intellectiuas. & idem proportionaliter accidit in diuersitate modorum perfectiuorum ad instar finis in obiectis appetibilibus, seù volibilibus.

Noto 5. etiam obiectum cognoscibile sensibile esse perfectiuum, vt quod, ac denominatiuè; formam vero sensibilem esse perfectiuam, vt quo naturæ, ac potentiæ sensitiuæ, & vtrumque posse diuidi in plura. Et sensibile quidem in plura obiecta sensibilia, inter se formaliter specie, & sæpe genere diuersa in esse rei, in esse autem obiecti non omnia sunt apta perficere omnes naturas, ac potẽtias sensitiuas, sed aliqua aliquas; euidens est .n. non omnia animalia omnesq; sensus posse cognoscere omnia, & singula obiecta sensibilia, vndè non omnia hæc sunt obiecta, siuè materialia, siuè formalia omnium, sed determinata determinatorum, & substãt varijs perficien di modis, quod infra patebit oriri ex imperfectione, & limitatione sensitiui, in quo differt ab intellectiuo. forma vera ipsa sensibilis diuiditur aliquo modo materialiter penes obiecta ipsam participantia, vt

sunt

sunt colores, soni, sapores, & alia sensibilia, quamuis non omnia hæc spectent ad idem cognitiuum; & deinde etiam formaliter in plures disparatos, & specie differentes modos perficiendi, & immutandi naturam ipsam sensitiuam, ac sensum, habitos per multiplex esse intentionale sensibile, & per varias vias in organis omnino difformibus. Vndè sæpe obiecta illa, quæ secundum se sola sunt materialia, prout substant alicui peculiari modo immutandi, solent dici formalia Quò fit, vt forma sensibilis in communi sit generica, & exigat etiam naturam sensitiuam genericam, diuisibilem in naturas inferiores, & genericam potentiam sensitiuam, seù sensum diuisibilem similiter in inferiores sensus sub illo cõtentos: & particulares etiam formæ, seù modi formæ exigunt particulares naturas, ac potentias. Nec omnes, aut singuli hi modi sunt absolute, & indifferenter perfectiui omnium, & singularum naturarum, & potentiarum sensitiuarum, sed tantum determinati determinatarum. Et hinc etiã fit, vt nec omnia obiecta sensibilia materialia, nec omnia formalia, secundum proprias rationes specificas sint apta perficere in se ipsa naturam, & potentiam sensitiuam genericam, sed tantum quatenus sunt vnum in ratione formæ sensibilis genericæ, hæc.n. est illi correspondens. Imo neque ipsa hęc communis forma adequate est perfectiua illarum in se ipsis, alioquin esset etiam perfectiua singularum naturarum, & potentiarum, cum omne perfectiuum naturæ communis in se ipsa, & secundum se absolute, sit etiam perfectiuum inferiorum eius; sed vt supponunt personaliter: secundum se verò sunt perfectibilia pręcisiue, & solum consequenter, ac materialiter. Quilibet etiam ex dictis modis immutandi, non solum cum est genericus, aut specificus, est multiplicabilis respectu plurium naturarum sensitiuarum, sed etiam comparatus ad vnam, eandemq; naturam sibi correspondentem est diuisibilis tum specifice, & formaliter in varijs organis, & partibus inter se heterogeneis; tum etiam numero materialiter, & physice in varijs particulis vnius, & eiusdem organi, in quo differt à modo perfectiuo formæ intelligibilis. Porro organa sunt media inter sensus, & obiecta sensibilia, & vtrisque proportionata: sicut.n. potentiæ istæ non sunt aptæ sentire, nisi per organa ita nec talia obiecta sunt apta eas immutare, ac perficere, nisi per eadem: vnde sicut sensus sunt organici, ita & obiecta dici possunt organica, sed illi in essendo, & in operando, ista vero in operando tantum, seù in operando, & mouendo: obquam rationẽ Henricus quodlibet. 3. q. 14. dixit, sensum esse in potentia propinqua in organo, licet in essentia animæ sit solum in potentia remota, ita vt sensus antequam actu recipiat speciem, sit quodammodo ipsum sensibile, propter eandem rationem. Sunt

H pre-

proportionem, quæ est organi, medij, & obiecti, quæ potentiam sensitiuam determinat in organo. Et indè est, quod organa sunt, non solum subiecta, aut consubiecta sensuum, qua ratione sunt priora ijs in genere causæ materialis, & in via generationis, & executionis, quo modo materia præcedit formam; sed etiam sunt eorundem complementa in ratione proximè immutabilis ab obiectis sensibilibus, atque adeò in ratione sensitiui: organa.n. ob dictam proportionem harmonicam, & quasi sympathiam, quam habent cum sensibus, & cum obiectis sensibilibus, vt intentionaliter actiuis, & cum eorum speciebus sensibilibus, sunt harum aptissima receptacula, & ad sensationes accomodatissima: propter quod Albertus 2. de anima tract. 4. c. 1. dixit, quia organa plantarum non sunt harmonice proportionata ad solas sensibilium species recipiendas, non possunt sentire plantæ: carent autem huiusmodi harmonia in organis, propterea quod terrestres sunt, &c. 2. Non qualibet passiua, inquit, vel passibilia recipiunt actus actiuorum quorumlibet: sed actus sensibilium recipiunt quædam passiua secundum quod harmonice sunt sensitiua eorum. Imò, vt addit Capreolus in 2. d. 3. q. 3. a. 3. verius loquendo corpus sensibile non agit in sensum, sed in organum sensus, vel in compositum ex sensu, & organo. organa ergò vt complementa, possunt comparari dupliciter ad sensus. Primò ad ipsos spectatos præcise secundum proprias entitates: & sic in via intentionis, & in genere finis sunt consequentia quidem illos, ac posteriora ijs; organa.n. sunt propter sensus, & propter sensuum bonum intenta, & instituta, non autem vice versa; vnde sunt illis accidentalia, sed tamen sunt complementa ab ijsdem necessario tracta, connotata, ijsq; omnino ex parte ipsorum connexa; adeò vt ipsi sensus in ipso conceptu, & essentiali differentia constitutiua potentiæ sensitiuæ, vt sic, includant, intrinsecum ordinem transcendentalem ad organa, quibus alligari, & modo explicato compleri possint; nec sine hoc ordine, & exigentia possunt intelligi; vnde si organa implicarent, implicarent etiam sensitiuæ potentiæ, quia sunt essentialiter organicæ, & ob hoc primo ab inorganicis distinctæ: & ideò iure Albertus c. 1. citato incapacitatem sentiendi in plantis refert in defectum organorum. Secundò possunt organa comparari ad sensus, in quantum hi per ea, vtpote sua natura proportionata, adaptata, & addicta certis obiectis, prout immutatiuis, sunt vltimate completi ex parte ipsorum in ratione proximè passiui, & immutabilis ab ijsdem obiectis, ac proindè in esse sensitiui: ex se .n. soli sensus sunt immutabiles, ac sensitiui incomplete, ac remote; remotius vero, & inchoatiue est talis natura ipsa sensitiua. & hoc modo organa, secundum proprias dispositiones, & com-

complexiones se habent, vt formæ completiuæ constitutiuæ,& determinatiuæ eorundem sensuum, suntq; ijs substãtiales,& priores in genere causæ formalis. & sub ijs rationibus est verum, quod dicit Henricus supra, ante specierum susceptionem aliter esse intellectum in anima in potentia,& aliter sensum: intellectus .n. est in anima tantum in potentia remota, & indeterminata, spectando nimirum eum absque connotata specie superueniente, & quantum ad habere esse obiectum, intellectus.n. ante specierum intelligibilium receptionem, nihil omnino est ipsorum intelligibilium ex Philosopho, quia nullam habet determinationem ad ipsa: sensus verò, vt dixi, est in potentia proxima in organo,& etiam ante receptas species, est quodammodo ipsum sensibile ob proportionem organi cum ipso, & determinationem ad idem: quamuis in hoc conueniant, quod neuter sit in actu perfecto in ordine ad operandum, nisi per species. Et ex his etiam fit, vt organa sint vltimate, & proximè completiua obiectorum sensibilium in vi proximè, & immediatè immutatiua, ac perfectiua ipsorum sensuum: talia .n. obiecta non sunt vltimate apta illos immutare, nisi per organa, aut in organis, imò nisi immutando organa ipsa, sensibus vnita, & adaptata: & indè etiam est, quod diuersitas organorum est de complemento, & vltimata ratione diuersitatis formarum, seù modorum sensibilium immutandi, ac perficiendi diuersos sensus, & consumat varias, ac difformes differentias formales diuisiuas formæ sensibilis, natas constituere diuersa obiecta formalia diuersorum sensuum, quod secus accidit in formis intelligibilibus, vt pote inorganicis. Demum prædicta de perfectiuitate obiectorum,& formarum sensibilium sunt proportionaliter applicanda, tum bono sensibili in communi sumpto, & formæ sensibili .s. sensibili bonitati, tum bonis materialibus, & formalibus, seù modis perficiendi ad instar finis: tum naturæ sensitiuæ in communi, & naturis sensitiuis inferioribus: cum hoc tamen discrimine, quod modus boni perfectiui est multiplicabilis numero completo, & etiam sæpe specie in varios modos respectu diuersarum naturarum,& potentiarum sensibilium appetitiuarum; tamen respectu vnius,& eiusdem naturæ sensitiuæ non potest multiplicari specie, nec numero; quia in vna, & eadem natura sensitiua, licet sint plures sensus, tamen vnus tantùm numero est appetitus sensitiuus, residens in vno peculiari organo: & hoc ideò, quia secundum communem opinionem hic appetitus non multiplicatur ad multiplicationem sensuum, nec sequitur ad quemcunque sensum, sed tantum ad phantasiam, aut æstimatiuam, quæ in vno animali vna tantum numero est: & propterea modus perficiendi, & immutandi talem appetitum,& eius organo,& natu-

ram, non poteſt eſſe, niſi vnus illi proportionatus:vndè ſicut is appetitus eſt indiuiſibilis in plures ſpecie,aut numero appetitus totales, ſed tantum in plures partes entitatiuas ſimilares, cum ſit materialis; vel in plures vires, concupiſcibilis .ſ. & iraſcibilis; proportionaliter erit indiuiſibilis, & diuiſibilis modus boni perfectiui illius, eiq; correſpondens. Quare ratio formæ ſenſibilis, & ratio boni ſenſibilis in communi, tam ſeorſim, quam ſimul ſumptæ,poſſunt comparari ad naturam ſenſitiuam, eiuſq; ſenſus, & appetitum reſpectiue, & ſic etiã ad naturas, & potentias inferiores, omnium.n. ſunt perfectiuę vt quo, ſicut obiecta materialia, vt quod. Longè autem diuerſo modo hæc obiecta ſenſibilia ſunt perfectiua dictarum rerum, ac obiecta intelligibilia naturarum, & potentiarum intellectiuarum: quamuis omnia in hoc conueniant, quòd ſunt perfectiua tanquam repręſentabilia, & tanquam termini, ad quos naturæ,& potentiæ per actus tendunt; tamen ſenſibilia ſunt perfectiua ſimul, & immutatiua, tum formaliter per ſpecies ſenſibiles informantes organa,aut ſenſus, tum actiue per ſe ipſa,tales ſpecies,& intentiones immediatè cauſando, & immettendo, ſaltem exterius,& ſic dicuntur etiam obiecta motiua: intelligibilia verò reſpectu animæ rationalis ſunt apta perficere, & immutare formaliter per ſuas ſpecies intelligibiles connexas cum phantaſmatibus,& actiue mediate per ſpecies externas ſenſibiles; at reſpectu Angelorum ſunt perfectiua per modum repræſentabilium, & poſſunt dici immutatiua immutatione tantum formali per ſpecies,vel congenitas, vel ſucceſſiue infuſas à Deo,vel ab ipſis obiectis hauſtas; non tamen effectiue, nec motiue, quaſi ipſa immittant ſpecies,vt ſenſibilia: licet ſint, qui velint,ea aliquo modo actiue ad illas concurrere.

Noto 6. præſens dubium non eſſe de pluribus intellectibus,quorum vnus ſit ſpeculatiuus, alter practicus: ſuppono.n.ex communi ſententia, hos intellectus non eſſe duos re diſtinctos, ſed vnum, & eundem;nec eſſe duas potẽtias, ſed vnam tantum: imo etiam ſi forent duæ;adhuc dubium eſſe poſſet, an in vno intellectiuo dabiles eſſent plures intellectus ſpeculatiui, ac plures practici ſimiliter nec eſt dubium de pluribus intellectibus, vno poſſibili, altero agente; hi.n. iam actu dantur in anima rationali, & ſecundum multos Doctores ſunt duæ potentiæ: & adhuc quæri poſſet de pluribus intelleectibus poſſibilibus, & de pluribus agentibus, qui ſecundum communionem opinionem non ſunt cognitiui, ſed pure ſpecierum intelligibilium abſtractiui. Solum ergò quæritur de pluribus ſimul intellectibus cognitiuis, qui in homine vocantur intellectus poſſibiles, & vt aliqui volunt etiam in Angeli.Adæquata autem ratio cur dari, aut fingi poſſent in vno intellectiuo

no tales intellectus plures, vtique esset vel pluralitas obiectorum; vel modorum intelligendi simpliciter, aut composite, discursiue, & non discursiue magis, aut minus clare: vel pluralitas specierum intelligibilium; vel modorum habendi ipsas, aliud .n. caput plurificandi in subiecto has potentias non apparet. Vndè fit, vt hi intellectus possint fingi vel singuli simpliciter inadæquati, quia s. sunt limitati, & determinati ad propria obiecta, nec possunt extendi ad omnia intelligibilia à propria substantia intellectiua: vel simpliciter adæquati, quoad omnia nimirum obiecta illius, sed inadæquati secundum quid, hoc est secundum modum intelligendi, quia s. singuli non sunt nati intelligere secundum omnes dictos modos, sed secundum peculiares, & ab alijs distinctos.

Dico igitur primo. Absolutè implicant plures intellectus cognitiui singuli simpliciter limitati, & inadæquati propriæ substantiæ intellectiuæ, qui. s. non possint cognoscere omnia obiecta intelligibilia ab illa, sed aliqua tantum propria quibus sint addicti. Probatur hoc varijs rationibus.

Prima ratio à priori ex parte intellectus. quia intellectus cognitiuus, vt sic, ex sua ratione formali est vniuersalis, & illimitatus ad omnia obiecta propriæ intellectiuæ substantiæ; ergò est illi simpliciter adæquatus in ordine ad hæc obiecta, ita vt quæcunque illa potest remote, ac radicaliter intelligere, possit ipse proximè cognoscere; ergò absolute implicat intellectus cognitiuus, vt sic, simpliciter limitatus, & inadæquatus dictæ substantiæ; ergò in vno intellectiuo, seù in vna intellectiua substantia, implicant etiam plures intellectus, quorum singuli sint tales. Consequentiæ claræ sunt. Antecedens verò probatur primo, quia intellectus cognitiuus, vt sic, est potentia sequens, & complens in actu primo talem naturam intellectiuam, prout hæc est omnino indiuisibilis in se, & omnino indiuisibiliter se habens, quamuis remote, versus omnia sua obiecta; & hoc ideò, quia est illi tributa secundum quod illa perfectibilis est ab obiectis, & apta in eadē vitaliter tēdere, non prout virtualiter diuisibilis, vt supra dixi, sed prout omnino indiuisibilis, ac proindè prout ex parte sua indiuisibiliter respiciēs omnia, tam physice quoad suam entitatem, quam metaphysice sub vna, & eadem ratione attractiui, & informabilis: ex parte verò ipsorum obiectorum sub vna ratione formę per esse intentionale vnius peculiaris, ac determinati modi respectu cuiusuis specificæ naturæ intellectiuæ, qui quidem est indiuisibilis, non solum subiectiue in ipsa substantia intellectiua, sed etiam in se ipso, formaliter loquendo: vt.e.g. modus formæ perfectiuus animæ nostræ, quà intellectiua est, est indiuisibilis, tum ex parte ipsius animæ, tum ex se ipso, quia est esse intentionale, seù intellegibile obiectorum.

ctorum non quodcunque, sed tale, nempè cõnexum cum sensibili, & mediate haustum à sensibus; quod verò habeatur per varias species particularium obiectorum, hominis, leonis, & aliorum; hæc est diuisio, ac diuersitas materialis, non formalis; cum adhuc in ijs saluetur conuenientia in eadem ratione; nec diuidatur esse intentionale per se primo, ac directe, hoc est per differentias contractiuas, ac modificatus intentionaliter, sed realiter, & entitatiue, ac penes subiecta: est igitur intellectus, vt sic, complens naturam intellectiuam, prout omnino indiuisibilem, & indiuisibiliter se habentem ad omnia sua obiecta, ergò etiam ipse, ex sua ratione formali est indiuisibilis, & omnino indiuisibiliter respiciens proxime eadem omnia obiecta: sequitur .n. necessario intellectus, & complet substantiam illam accommodate, & conformiter ad eius naturam exigentiam, indigentiam, & conditionem versus obiecta; ergò similiter ex sua ratione formali est vniuersalis, & illimatus ad omnia obiecta eiusdem substantiæ, quæcunque, & quotcunque illa sint.

Dices, naturã intellectiuam esse indiuisibilẽ in se, esse verò diuisibilem terminatiue .s. ex parte obiectorum, in quantũ est nata versari circa diuisa, seù diuersa obiecta: intellectum autem, vt sic, sequi naturam illam in ordine ad obiecta, abstrahendo à respectu ad omnia illa indiuisibiliter, vel diuisibiliter, & sic posse dare in vna natura plures intellectus singulos distributiue, inadæquatos, per quos illa quasi sibi diuidat obiecta intelligendo per vnum intellectum, vnum obiectum, & per alium aliud perfectius, & sic deinceps; per omnes verò collectiue sumptos cognoscendo omnia similiter collectiue; vndè intellectus, vt sic, ex suo conceptu præscindet ab adæquato, & inadæquato, sicut sensus, vt sic, abstrahit ab adæquato, & inadæquato propriæ naturæ sensitiuæ.

Sed contra. quia ex dictis quælibet natura intellectiua, vt sic, est vna indiuisibilis in se, & respicit omnia sua obiecta, vt vnum, & idẽ omnino, & sub vno determinato modo, indiuisibile, informabile, & perfectibile ab ijs, se habentibus, vt vnum formaliter in ratione formæ per vnum modum, & materialiter tantum diuersis, ac diuisis; ergò solum etiam est natura diuisibilis versus eadem materialiter, seù tanquam in obiecta materialia diuersa; ergò eius intellectus, vt sic, quia complet naturam iuxta suam inclinationem, & habitudinem ad obiecta, est ex suo conceptu adæquatus ipsi naturæ erga omnia eius obiecta, in quantum sunt vnum formaliter, quantumuis varia materialiter: vniuersaliter .n. sicut se habet natura intellectiua remote, ac radicaliter erga sua obiecta, ita prorsus se habet intellectus proxime, & formaliter erga eadem, cum ex sua ratione non habeat, nisi complere talem naturam, prout ipsa exigit, & indiget, in ordine ad sua obie-

obiecta. Non sic se habet sensus respectu naturæ sensitiuæ, quæ in se diuisibilis est, saltē in partes virtuales, & vt multiplex se habet ad sua obiecta, quę proinde nō se habet, vt vnū formaliter erga ipsā: vndè nec potest sensus, vt sic, esse ex suo conceptu propriæ naturæ adæquatus.

Secundo probatur idem principale antecedens: quia intellectus cognitiuus, vt sic, ex suo conceptu eleuatur supra sensum, ac proindè debet posse cognoscere non solum obiecta corporea, sed etiam aliquod spirituale, atque adeò maximè se ipsum, & propriā substantiam intellectiuam, & omnia accidentia eius connaturalia, quia hæc sunt obiecta maximè illi proportionata, aliàs non apparet, in quo consistat hæc maior eleuatio; ergò est vniuersalis, & illimitatus dicto modo. Probatur consequentia, tum quia cognoscendo propriam substantiam, debet posse cognoscere eam esse radicaliter intellectiuam horum, & horum, & aliorum obiectorum, ac proindè omnium, quia tota natura, non tantum inadæquate, sed adæquatè spectata, est obiectum eius proportionatum. alias eadem facilitate dicet quis, ipsum nullo modo posse eam cognoscere, sicut sensus non potest cognoscere propriam naturam: Tum quia cognoscendo omnia accidentia connaturalia tali substantiæ, necessario etiam cognoscit, & videt intuitiue eius naturales potentias cognitiuas, quæcunque in ea fingi possunt, etiam prout inter se distinctas; ergo necessario etiam potest cognoscere obiecta singularum, non solum in confuso, sed aliquo modo distincte; alioquin non posset distincte, & intuitiue cognoscere tales potentias, prout inter se differentes; quia cum hæ potentiæ sint totæ ordinatæ ad actus circa propria obiecta, non possunt cognosci præsertim intuitiue, vt distinctæ, nisi aliquo modo cognosci possint earum actus, & obiecta, vt distincta; ergò tandem ille intellectus habet intra sphaeram suorum obiectorum, etiam obiecta omnia illarum potentiarum, intelligibilia ab illa natura per eius potentias, & ex consequenti est vniuersalis, illimitatus, & adęquatus eidem naturę: sensus verò, quia est materialis, & organicus, non est vniuersalis, & illimitatus ad omnia obiecta proprię naturę, saltem independenter ab alio sensu limitato; sed est limitatus, & alligatus ad sua tantum in proprio organo: & sic nec est adæquatus naturæ propriæ sensitiuæ.

Secunda ratio à priori ex parte naturæ intellectiuæ, & intellectus: quia natura intellectiua secundum omnes est inmmaterialis, atque adeò eleuatioris ordinis, quàm omnes naturę pure materiales, ac mere sensitiuę; ergò necessario excedit illas non solum quia potest cognoscere plura obiecta, quàm illa, nempè materialia, & spiritualia; sed etiam quia potest per vnam potentiam intellectiuam quippe quę etiam est immaterialis,

lis, & actus primus altioris ordinis, intelligeret omnia sua obiecta; cum tamen illę non possint sua diuersa obiecta primario, & immediatè cognoscere, nisi per plures potentias sensitiuas, seù per plures sensus externos. Probatur consequentia: Tum quia sicut natura intellectiua est in essendo vnita, & simplex supra naturam corporeã, vndè anima rationalis vna, & eadem indiuisibilis est, non modo forma intellectiua, sed etiam sensitiua, & vegetatiua, & secundum multos est insuper forma misti humani, quæ tres formæ in alijs diuersis diuersæ sunt; ita debet etiam esse vnita, & simplex in cognoscendo, saltem quoad actum primum cognoscendi vitaliter completum, qui intellectus est; cum in hoc nulla appareat repugnantia, vt patet in qualibet natura intellectiua nũc existente: Tum quia etiamsi per impossibile naturæ sensitiuæ possent cognoscere etiam obiecta spiritualia, adhuc tamen natura intellectiua immaterialis vna, & eadem, vt pote altioris ordinis spiritualis, excederet in vi cognoscendi omnes naturas sensitiuas, etiam infinitas, vt pote in inferiori ordine contentas; ergò etiam eas excederet per hoc, quòd per vnum intellectum, quia hic superat etiam infinitos sensus, posset omnia sua obiecta intelligere; ergò tandem intellectus ipse ex suo conceptu est propriæ naturæ intellectiuæ adæquatus, & ad omnia eius obiecta illimitatus; ergò in vna natura intellectiua absolutè implicant plures intellectus, singuli inadæquati, &c.

Tertia ratio vniuersalis adhuc à priori. Pluralitas potentiarum cognitiuarum in vna, & eadem natura necessario præsupponit in ea plures partes eius entitatiuas actuales, vel virtuales, per quas sit quasi multiplicabilis in varijs diuersificatiuis inter se difformibus; ergò in natura intellectiua, vt sic, quia ex dictis, incapax est talium partium, ac multiplicationis, cum sit omnino indiuisibilis, etiam virtualiter, absolutè implicant hæ plures potentiæ. seù intellectus, nimirum inadæquati. Antecedens probatur primo in natura sensitiua, cuius forma, seù anima per varias sui partes substantiales, saltem virtuales, informat varias partes materiæ, per quas est quasi diffusa, & multiplicata, ac diuersificata per varia organa: & in his partibus sic diuersificatis, vt pote substantialibus, fundantur tam varij, ac diuersi sensus, easq; proindè, vt plures sunt, omninò, ac necessario prærequirunt: non .n. potest dici, hos sensus esse plures ex sola limitatione naturę sensitiuę, ac propria; alioquin cur sensus, tam inter se dispara ti, non plurificantur in vno, & eodem organo, sed solum in varijs partibus, & organis? secundò probatur idem antecedens magis à priori. Quia potentiæ cognitiuæ, vt in vna, & eadem natura sint plures, essentialiter prærequirunt obiecta illius plura, plura, vt plura formaliter, ita vt in ordine ad ipsas, vt plurificatas, non

possint

non facile, si contendat ita esse de facto, quod in auditum est. Tertio, species congenitæ, species successiuè impressæ, & species mediate ab obiectis sumptę nō possunt esse earundem rerum, seù obiectorum: quia nec respectu possibilium, à quibus clarum est, nullas posse accipi species, nec simplicitèr & absolute, alioquin si Angelus iam habet speciem congenitam alicuius obiecti sufficientem illud repræsētare, & inamissibilem, quorsum illi naturalitèr imprimitur alia species repręsentatiua eiusdem? quorsùm aliam ab eodem obiecto etiam naturalitèr accipit? iam enim idem Angelus tres causas totales in genere repræsentandi connaturalitèr haberet respectu vnius, & eiusdem obiecti; imò etiam tres intellectiones in tribus potentijs inamissibilibus, & infatigabilibus, quales sunt intellectus. Hoc autem improbari solet in materia de causis totalibus & certe aliquæ ex his speciebus essent, & non essent naturalitèr superfluæ. Item species congenitæ sunt ne rerum tantum pure possibilium ab Angelo cognoscibilium, si quæ sunt, an etiam existentium? Si secundum; ergo aliæ species nimirum successiuè impressæ, & species à rebus existentibus acceptæ, sunt naturalitèr superfluæ, & non sunt: Sunt quidem, quia ad repræsentandum res existentes sufficiunt species congenitæ, quæ sunt inamissibiles, & incorruptibili potentię concreatæ: non sunt verò, quia istæ aliæ species sunt debitę connaturalitèr duobus alijs intellectibus, ijsque deseruiunt. Si primū iam alię illę species erunt rerum existentium, seù includentium existentiam. Et sane si erunt earundem rerum, iam alterutrę erunt, & nō erunt superfluæ; si diuersarum, vtrique aliquę erunt repręsentatiuę rerū spiritualium, puta species impressę; alię materialiū, nempè species ab obiectis acceptę, aùt vice versa; non enim apparet facilior, ac commodior modus ponendi has species esse diuersorum rerum. At cur species impressę debent esse rerum spiritualium, species verò acceptæ rerum materialium, vel è contrario? cum ambarum rerum ęqualitèr possint esse species, vel à Deo impressæ Angelo, vel ab Angelo à rebus acceptę sicut materialibus, ita spiritualibus, si semel ponatur posse ab obiecto species accipere. Profectò nulla apparet ratio; ergo non sunt dabiles in Angelo hæ species sic diuersę, vt proptèr eas præcisè duo plurificentur in tali Angelo intellectus. Nec possunt poni species impressę, vt rerum futurarum, species verò acceptę, vt pręsentium; quia nec Angeli futura contingentia possunt naturalitèr cognoscere, vt hic suppono, & futura necessaria cognoscūt in causis pręsentibus, atque adeò per species acceptas, si hæ admittantur. Nec demum species impressę possunt poni pro rebus pręsentibus, species verò acceptę pro pręsentibus, & futuris necessarijs; quia nec vlla est ratio, cùr species impressę non pos-

sint etiam deseruire pro rebus pręsentibus, etiam naturalitèr; & species acceptas certissimùm est, posse etiam vsui esse proptèr res præsentes, etiam cum hæ elapsæ sunt & preteritę, quia tales species sẽper in intellectu perseruerarent; nulla enim esset ratio, cùr desinerent esse siquidem proptèr suam perfectionem non penderent in conseruari à suis obiectis, sicut species sensuum externorum, quæ imperfectæ sunt; & in repræsentando non essent inferiores, ac minus efficaces, quàm species nostræ intelligibiles, quæ non solùm pro obiectis præsentibus, sed etiam pro præteritis nobis deseruiunt. Præterea species successiue impressæ de rebus successiuè positis in actu, vna post aliam, possunt etiam esse congenitæ naturalitèr Angelo, si simul cum ipso producantur aliquæ res ab ipso intelligibiles, ergo hę species congenitæ, & impressæ non petunt diuersos intellectus in eadem substãtia intellectiua. Similitèr species haustę ab obiectis possunt accipi ab Angelo etiam in ipso instanti, in in quo creatur, si simul cum eo producuntur obiecta apta: huic enim acceptioni non repugnat fieri in primo creationis Angelicæ instãti, sicut nec in alio; cum sit æqualis ratio omnium instãtium; ergo species sic acceptæ possunt dici etiam congenitę, atque adeò nec petunt diuersam potentiam à speciebus congenitis. Denique arguo sic. Species intelligibiles congenitæ, species impressę à Deo successiue, & species haustæ ab obiectis, sint ex se ipsis aptæ actuare vnam, & eandem potentiam intellectiuam, siuè id præstent coniunctim, siuè diuisim; ergo non necessario petunt in vno Angelo plures intellectus adęquatos, aùt etiam inadęquatos, imò nec possiunt petere: alioquin simul exigerent plures, & vnum adæquantem plures, & esse simul connaturalitèr in hoc vno intellectu, & in illis pluribus; quia cum possint naturalitèr actuare vnum, vt connaturale subiectum, iam ipsum exigunt: & cum possint actuare plures, iam plures poscunt. Hoc autem absurdum est. antecedens probatur tum ex speciebus intellectui primorum parentum congenitis, infusis, & ab obiectis mediate acceptis, tum ex speciebus sẽsuum externorum, quę siuè hauriantur ab obiectis, siuè à solo Deo imprimantur aptæ sunt, quantum est, ex se, actuare eodem modo sensus, aùt eorum organa: tum quia à priori omnes illę species respicerent naturam illam Angeli, vt omninò indiuisibilitèr se habentem, & nullo modo diuersificatam, ergo etiam poscerent vnum indiuisibilem intellectum, & immultiplicatum; secus quàm species sensibiles, quæ quia respiciunt formam sensitiuam prout in pluribus organis actu vel virtute partibilem exigunt etiam plures sensus in ijs.

Secunda ratio, quia si non implicarent in vno intellectiuo plures illi intellectus adæquati, iam nec implicarent plures volũtates similitèr

ter adæquatę. Hoc autem omninò repugnat, vt probat ratio supra allata, si proportionalitèr applicetur

Tertia ratio vniuersalis. si possent dari in aliquo intellectiuo possibili plures intellectus cognitiui adæquati, vel inadequati, gratis profecto supponerent omnes Philosophi et Theologi, in singulis intellectiuis iam creatis, alijsque similibus, esse vnum tantum intellectum, & non plures. Si enim possibilia sunt intellectiua capacia plurium intellectuum, & alia capacia vnius tantum; quomodo sciri poterit, ea quę nunc existunt, & similia esse secundi generis nō primi? Nec potest id constare nobis experientia, cum hoc sit negotium omninò spirituale, & à sensibus remotissimum: nec apparet, vnde à posteriori colligi possit vnum magis caput, quàm alterum si vtrunque est possibile: nec probari quicquam potest ratione naturali, cum creare hanc, vel illam seriem intellectiuorum ex mera Dei libertate depēdeat. Nec adhùc reuelatum esse dicet quis, quid factum sit; sed solùm quòd homo, & Angelus habeat mentem, & intellectum capacem gloriæ, & gratiæ, & quod multi Deum videant, & similia, quæ explicari posse contendet de intellectu, qui sit vnus siuè per veram vnitatem, siuè per collectionem plurium, & de visione vnius intellectus, qui in singulis sit præcipuus; ergo dicendum est, communem, & indubitatum omnium sēsum esse, quòd in quolibet intellectiuo, siuè actuali, siuè possibili, vnus tantum absolute possit esse intellectus congnitiuus, & non plures, quæ etiam est clara mens S. Thomę q. 15. de verit. a. 2. corp. vbi impossibile est, inquit, quod in parte intellectiua distinguantur diuersæ potentię ad diuersas naturas obiectorum, sed solummodò secundum diuersam rationē obiecti, prout scilicèt secundum diuersam rationem in vnam, & eādem rem quandoque actus animæ fertur, & sic bonum, & verum diuersificant intellectum, & voluntatem, sic ille. Nec refert, quod solùm videatur negare, posse multiplicari potentias partis intellectiuę atque adeò intellectus ipsos proptèr diuersa obeicta quoad proprias naturas; id enim facit, quia sola diuersitas naturarum in obiectis poterat videri sufficiens caput multiplicandi eas potentias; vndè si hæc re vera nō est satis ad hoc munus, nullum aliud potest esse caput talis multiplicationis.

Dico tertio in vno, & eodem intellectiuo non posse dari duos simul intellectus, vnum connaturalē, seù per potentiam naturalem, alterum per potentiam obedientialem Probatur. Omnis intellectus est naturalis potentia connaturalitèr debita alicui substantiæ intellectiuæ: sed ille secundus intellectus, concernens potentiam obedientialem, non potest esse naturalis potentia illi substantiæ intellectiuæ connaturalitèr debita; ergo non potest esse intellectus; ergo re vera non est dabilis, atque adeò, nec potest

test dari simul cum illo alio intellectu in vno intellectiuo. Maior patet, quia implicat intellectus supernaturalis, sicut & super naturalis substantia, vt hic suppono: vndè necessario omnis intellectus est naturalis, & quia est naturalitèr fluens per modum proprietatis à naturali cuius substantiæ intellectiuæ ad eam complendam in ratione principij intellectiui, iam ex sua ratione formali habet, quod sit potētia illi connaturalitèr debita.

Minor verò probatur quia dictus intellectus, nec potest esse potentia naturalis connaturalitèr debita illi eidem substantiæ intellectiuæ, cui est debitus alter ille intellectus, nec æquali, nec inferiori, nec superiori; ergo nulli, quia nulla alia superest. Antecedens quoad primam partem probatur primo, quia potentia naturalis connaturalitèr debita alicui substantiæ necessariò potest ab illa fluere per naturalem resultantiam; debetur enim illi per modum proprietatis, ac passionis ab eius essentia emanantis: ille autem intellectus concernens potentiam obedientialem non posset sic fluere, ac emanare ab illa substantia intellectiua; nam vel hoc posset in sensu composito cum illo alio intellectu, vel solùm in sensu diuiso, & quantum est ex se: si primum; ergo possunt duo illi intellectus esse simul æquè connaturalitèr in vno intellectiuo contra supradicta: si secundū; ergo ne per potētiā quidē obedientialē pōt intellectus ille inesse idem substantiæ simul cū illo alio cōnaturali habito cōnaturalitèr: quæ consequentia nota fit, tum ex eo, quia dictus intellectus est sua natura, & quantum est ex se, potentia naturalis completiua per modum connaturalis proprietatis dictę substantiæ, non minus quàm sit potentia completiua eiusdem ille alter intellectus; ergo non minus, quàm iste præsupponit talē substantiā incompletā in ratione proximi principij vitalis intellectiui; proprietas enim complens essentiam, vt proprietas est, complet ipsam ob defectum intrinsecum, & incompletionem eius, & indigentiam talis conplementi, alioquin hoc non exigeretur ab illa, quà proprietas est, & condistincta ab alijs accidentibus: ea autem substantia non esset sic incompleta, sed completa per alium illum intellectum connaturalem: tum quia si in primo instanti illius substantiæ comproducerētur simul cum ipsa hi duo intellectus, non esset maior ratio, cùr alter esset in ea per naturalem resultantiam, alter verò per eleuationem, non verò è contra; ergo hoc deberet determinari à Deo, ex alio verò capite quilibet ex his intellectibus connaturalitèr posset cognoscere propriam substantiam, & omnia eius naturalia accidentia, atque adeò etiam alterum intellectum, nihil enim illi potest esse naturalius quàm hoc, nec sic cognoscere esset supra eius naturam magis, quàm supra naturam alteriùs; ergo etiam si alter ex his inesset per eleuationē illi substantiæ, neuter tamen intel-

ligeret

ſigeret per eleuationem, ſed maximè connaturalitèr vterque; cum ambo ſint proprietates æquales; ergo quoad hoc alter ex his intellectibus eſſet ſuperfluus in connaturalitèr intelligendo, & rurſus non eſſet ſuperfluus, quia ſecundũ propriam entitatem eſſet eius proprietas, ac potentia: tum demum quia intellectus ex ſua ratione formali eſt potentia applicabilis ad ſuas operationes, ſaltem multas ex motione voluntatis, cuius ipſe eſt radix etiam quoad eius libertatẽ vt patet in omnibus intellectibus; ſed intellectus ille, qui haberetur per eleuationem ſimul cum altero connaturali, non poſſet eſſe ſic applicabilis;ergo non eſſet intellectus ſeù potiùs eſſet intellectus,& non eſſet. Minor probatur; quia nec poſſet eſſe ſic applicabilis per voluntatem radicatam in altero intellectu connaturali, quia ipſe non eſt radix illius, vndè nec eſt ſubordinatus illi,ſed habet ſe ad eam mere concomitanter, & impertinentèr; nec per alteram voluntatem propriam,cuius ipſe ſit radix; alioquin iam in vna, & eadem ſubſtantia intellectiua eſſent ſimul duæ voluntates,& ambæ liberæ, quod ſupra improbatum eſt. quo fit, vt intellectus repugnet haberi per eleuationem ſimul cum altero connaturali; alioquin neceſſariò ille traheret ſecum connaturalitèr,aùt etiam per eleuationem nouam voluntatẽ pugnantem cum altera voluntate ſequenti ad alterum intellectum. & ex his probatur idem principale antecedens quoad alias tres partes. Primo quia talis intellectus debitus alteri ſubſtantię, ſiuè ęquali, ſiuè inferiori,ſiuè ſuperiori, non eſſet applicabilis ad intelligendum per voluntatem propriam illius alteriùs ſubſtantię habentis etiam proprium intellectum,quia non eſſet radix eius voluntatis;ac proindè nec natus illi obedire obedientia, ac modo vitali, qui fundatur in radicatione tum voluntatis immediatè in intellectu, tum vtriuſque potentiæ in eadem ſubſtantia;ergo vt ille intellectus poſſet applicari ad operandum deberet illi eidem ſubſtantię per eleuationem ſimul infundi extranea voluntas debita ſimilitèr dictę alteri ſubſtantię, & connaturalis eidem intellectui; ergo in vna, & eadem ſubſtantia eſſent ſimul duę voluntates liberę; quod ex dictis implicat. Secundo, quia abſolute videtur implicare, quòd ſubſtãtia intellectiua ſit proxime volitiua per voluntatem debitam alteri etiam ſi hęc voluntas in illa per eleuationem ſubiectiuè poneretur, & quod talis voluntas ſit volitiua raddicaliter per talem ſubſtantiam; ergo etiam implicat, quod eadem ſubſtantia ſit proximè intellectiua per intellectum alteriùs,etiam habitum per eleuationem, & quòd hic intellectus ſit radicalitèr intellectiuus per illam; ſicut enim ſe habet ſubſtantia quà volitiua ad uoluntatem, & hęc ad illam,ita ſe habet eadem,quà intellectiua ad intellectum,& hic ad ipſam. Antecedens probatur; quia abſo-

absolutè implicat, quòd duę substantiæ sint simul volitiuæ, & velint per vnam, & eandem voluntatem, & volitionem, vt patet. Si autem, etiam data illa eleuatione, vna substantia esset proximè volitiua per voluntatem debitam alteri; iam ambæ substantiæ conflarent tale volitiuum adæquatum, vna quidem dando volitiuum radicale, ac remotum, altera dando formale, ac proximum; imò completiuè, & vltimatè magis ad hoc concurreret substantia, cui esset debita illa voluntas: rursus si illa altera substantia vellet aliquid, iam hęc volitio esset vtriusque substantiæ, vnius quidem radicalitèr, alteriùs formalitèr, & proximè: imò hæc volitio magis esset illius substantiæ cuius propria est illa voluntas; quia magis connaturalitèr ad talem actum concurrit hæc voluntas debita huiusmodi substantiæ, vtpotè principium proximum, quàm illa alia substantia se habens tantū remote, & per eleuationem; quare per dictam eleuationem poneretur voluntas illa in ea substantia materialitèr tantum, & mortuo quodam modo, non autem in ordine ad operandum vitalitèr. Tertio à priori, quia vniuersalitèr impossibile est, ens vitale eleuari ad habendum vitali modo, vel vt subiectum, vel vt formam aliud similitèr vitale, cui per se, & ex sua natura non est connaturale, sed alteri, & hoc ideò, quia ad hoc, vt vnum vitale eleuetur dicto modo ad aliud vitale non connaturale sibi, sed alteri, oportet, quod eleuetur adesse illi magis proportionatum vitalitèr, seù in vitalitate, quàm sit sine eleuatione per propriam vitalitatem: ex terminis enim ipsis patet, vnum vitale eleuari modo vitali ad aliud vitale per se non connaturale, non posse esse aliud, quàm per eleuationem reddi illi magis adaptatum, atque accommodatum vitalitèr, quàm sit sua natura per se solùm; alioquin intelligi non potest supra quod cadat, & quomodo cadat hęc eleuatio: Implicat autem vnum vitale vnius rationis, quod sua natura non est accomodatum, ac proportionatum alteri vitali, proptèr quod non potest illi esse connaturale, fieri per quamcunque eleuationem illi accommodatum, vel accommodatius, ac magis proportionatum vitalitèr, seù in vitalitate, nisi vtrumque intrinsecè in propria vitalitate ita varietur, ac vitalitèr transmutetur, vt vel acquirat aliquod nouum additum vitale proportionans vitalitèr; vel amittat aliquid similitèr vitale, imminuendo propriam vitalitatem, ad acquirendam cum altero vitali proportionem vitalem: quę quidem est clara repugnantia, est enim harum rerum essentias essentialitèr variare, ac transmutare. Vndè patet, inter vitalia non posse fieri eleuationem vnius ad aliud, siuè superius, siuè inferius, siuè æquale, & siuè comparentur principia vitalia remota cum potētijs proximis, aùt actibus vitalibus aliorum, siuè hæ potentiæ, & actus cum ijs principijs.

Soluun-

Soluuntur rationes contrariæ.

AD 1. in primis dico, eam si bona esset, probare etiam nunc, omne intellectiuum existens habere actu plures intellectus, sicut omne sensitiuū existens habet plures sensus, quod tamen falsum est. Deindè dato antecedenti, nego cōsequentiam. Et ratio disparitatis est, quia sensitiuum est sua natura cognitiuum sensibilium, quà sensibilia, & quà perfectiua, & immutatiua illius sunt modo sensibili: vndè sicut hæc ex se ipsis habent, quòd sint immutatiua varijs, ac difformibus modis, mò etiam organis; sunt enim organica in operando, nec sūt apta immutare nisi per organa; proptèr quòd alia via, & organo immutat color, alia sonus, alijs vijs, & organis alia obiecta, ob quā rationem dici solent obiecta formalia diuersa; ita illud, nempè sensitiuum, non potest esse principium ab ijsdem immutabile, ac perfectibile omninò in se vnitum, seù vnū, & simplex, & vniforme, sed sua natura constans ex partibus entitatiuis, extensum, diuisibile, & quasi multiplex, heterogeneum, & organicum; & ex consequenti aptū immutari, non in vno tantum organo; quippè vnum organum non potest esse fabricatum ad naturas omnium sensibilium, & ad modos immutandi tàm diuersos, vt benè Albertus in summa de homine par 2. q. 3. de intellectu possibili; sed in pluribus, ac differentibus organis: vndè nec potest esse cognitiuū talium obiectorum, nisi per potentiam organicam, seù organo affixā, quæ sensus est: & hic non potest esse tantum vnus, & idem in pluribus, ac difformitèr complexionatis organis, & erga difformia obiecta formalia, vt à posteriori per se constat; sed plures: & hinc etiam fit, ut non possit sensus, ut sic, ex suo cōceptu esse adæquatus ipsi sensitiuo, sed necessariò singuli sensus sint inadæquati, saltèm externi, & particulares, ac limitati ad certa obiecta, quia immediate, & singillatim immutabiles ab ijs tantum, prout inter se differentibus, & in organis ipsis solis addictis. At intellectiuū, ut sic, est omninò simplex, in se unitissimum, & omninò indiuisibile, & inorganicum: & ideò est perfectibile ab obiectis indiuisibilitèr, & sub vno modo iuxta supra prehabita, & est operatiuum unitius in ordine ad omnia illa, atque adeò est proximè complebile, & cognitiuum per intellectum proportionatum, sibique proindè adęquatū, & implurificabilem in uno int ellectuo; undè nec possunt in eo dari plures intellectus inadæquati, particulares, & ad determinata obiecta limitati. Cum autem dicitur, sicut se habet sensitiuum ad sensus, ita intellectiuum ad intellectus; id uerum est inadæquatè, & quoad aliqua, quia sicut sensitiuum est radix sensus, eoque eget, ut suo proximo comprincipio sensationum, ita intellectiuum est radix intellectus, eumque exigit, ut suum pro-

ximum uitale comprincipium intelligendi: Non est autem verum adæquatè, & quoad omnia: aliàs ambo haberent æqualitèr sensum & intellectum affixum organo, & sicut sensus debilitatur ex vehementi sensibili, ita intellectus debilitaretur ex excellenti intelligibili: & sicut ex sensitiuo non fluit sensus actu, nisi supposita priùs natura informatione ad corpus; ita ex intellectiuo in homine non flueret intellectus, nisi eadem coniunctione ad idem præhabita: & sicut nunc omne sensitiuum habet plures sensus, ita omne intellectiuũ nunc existens haberet plures intellectus, & sicut sensitiuũ nõ eget sẽsu agente, vt certius est, ita intellectiuũ in homine nõ egeret intellectu agẽte, sed solùm possibili, quę sane falsa sunt. Ad instãtiã primã. Dico sẽsus esse ex se limitatos, & ideò plurificabiles in vno sensitiuo, quia sunt imperfectiores, nõ quomodocũq; sed tali, & tali modo, nẽpè per inadęquationẽ ad suum sensitiuum, & ad eius obiecta sensibilia: singuli enim sensus non exhauriunt totam horum sensibilitatem, nec explent totam vim radicalem sentiendi illius, cum sint exigentes alligationem ad peculiaria organa, quę ob difformes complexiones non possunt omnia aptari naturis, & modis immutandi adeò diuersis talium obiectorum, nec omnia sunt compossibilia in ipso sensitiuo secundum vnam, & eandem eius partem, sed necessariò sũt dispersa per plura membra: at intellectus est ex sua natura perfectior, quia altioris ordinis, & ex suo conceptu est adæquatissimus toti virtuti radicali naturæ intellectiuæ, & toti intelligibilitati obiectorum eius, & ideò illimitatus ad omnia illa, & sic implurificabilis in vna illa natura. Nec vrget impugnatio; quia maior perfectio intellectus supra sensus non saluatur, aùt adæquatur per hoc solũ, quòd excedat eos per virtutem attingẽdi, sed extenditur etiam ad hoc, quòd intellectus sit ex suo conceptu adęquatus toti suæ naturæ intellectiuæ, quà intellectiua, seù perceptiua est, & toti intelligibilitati obiectorum eius, & ideò in vna natura sit tantum vnus, non verò plures inadæquati, ac limitati: secus verò se habet sensus in sensitiuo. Nec hìc dicimus, intellectus esse sua natura illimitatos ad omnia obiecta intelligibilia simplicitèr, hæc enim esset petitio principij, & est aliud punctum, sed esse illimitatos, & adæquatos ad omnia obiecta, quæ sunt intelligibilia radicalitèr à propria substantia intellectiua, quęcumque, & quotcumque illa sint. Ad secundam instantiam dico, sensus limitari, & multiplicari non ex organis, sed ex inadęquatione ad virtutem radicalem sentiendi totius sensitiui, & ad totam sensibilitatem obiectorum eius: quia enim sensitiuum habet entitatem, atque adeò vim radicalem sentiendi diuisibilem, & multiplicatam in plures partes quasi heterogeneas, & æquiualentem pluribus formis, quod nos à posteriori co-

gnoscimus ex organis adeò diuersis, ideò vnus tantum sensus non potest sequi ad totam illam entitatem, & virtutem totalitèr, & ad omnes dictas partes, & quasi formas diuersas, nec eam complere, & explere in ratione sensitiui circa omnia eius obiecta, nec proindè omnem horum sensibilitatem; est ergò necessariò inadæquatus ambabus, vndè ad ambas explendas, & adæquandas sunt illi necessarij plures sensus, singuli inadæquati, & peculiaribus partib. & obiectis addicti, ac limitati: secus se habet intellectus. Dici etiam potest, sensus limitari, & multiplicari formalitèr, originalitèr, & completiuè, seù vltimate. formalitèr quidem ex se ipsis, seù per intrinsecas, & specificas differētias, habētes tamē essentialem ordinem ad limitatiua plura extrinseca explicanda; quo ordine si carerent, iam nec formalitèr possent ex se ipsis, aùt per tales differētias limitari, ac multiplicari. Originalitèr verò ex parte sensitiui, & obiectorum: quia sunt potentiæ fluentes à forma sensitiuā, vt diuisibili, ac multiplicata in plures partes entitatiuas, saltem virtuales, singulas sanè limitatas: & hoc ideò, quia fluūt ab ea forma, vt virtutes completiuæ eiusdem secundùm, quòd est radicalitèr perfectibilis, & immutabilis ab obiectis, quà sensibilia sunt, & sensibilitèr immutatiua: quòd, vt dixi, necessariò fit, non per vnum, sed per plures modos immutandi valde difformes, & singulos determinatos, ac proindè ineptos respicere, ac modificare vnum, & idem indiuisibile perfectibile, aùt secundum vnam tantum, & eādem partem, sed necessariò poscentes partes eius plures, ac diuersas, & actu vel virtute quasi heterogeneas. Vndè valet hæc causalis, ideò sensus in vno sensitiuo, seù animali sunt limitati, ac plures, quia plures sunt radices, & quasi origines eorum, & singulę in se limitatæ, nempè plures partes formę sensitiuæ per eos complebiles, & plures, ac limitati sunt obiectorum modi, in ratione immutandi, ac perficiendi: non verò valet è contra, ideò partes formæ sensitiuæ sunt plures, ac limitatæ, & plures, ac limitati modi immutādi in obiectis, quia plures sunt sensus. Completiue demum, & vltimate limitantur, & multiplicantur sensus ab organis: organa enim sunt quædam receptacula ex parte sensitiui immediata specierum intentionalium, obiectis formalibus, eorumque virtutibus immutatiuis adaptata, & cōsequenter singula singulis addicta, ac limitata; & idcircò ordinata sunt ad vltimate complendum, non solùm obiecta ipsa sensibilia in vi proximè, & immediate immutatiua, ac perfectiua ipsorum sensuum, vt supra, sed etiam sensitiuum ipsum, eiusque potentias in ratione proximè passiui, & immutabilis ab ijsdem obiectis: potentiæ enim, seù sensus per se soli, sunt immutabiles incomplete, ac remote; remotius verò, & inchoatiuè est immutabilis natura sensitiua, & sic

etiam se habent in virtute cognoscendi. Et hinc fit, vt verum sit dicere in sensu causali, tum materiæ, tum formæ completiuæ, ideò sensus sunt plures, ac limitati ad certa obiecta, nimirum vltimate, & complete, quia plura, ac limitata sunt eorum organa circa eadem: organa enim non solùm sunt causa, aùt concausa materialis, seù subiectiua sensuum, & etiam dispositiua ad actualem emanationem eorundem ab anima; sed etiam per dispositiones ipsas, & complexiones accidentium ob proportionem, & quasi sympathiam peculiarem, quàm habent ad obiecta, se habent, vt formæ vltimo determinantes, ac complentes, & animam, & sensus ad hoc, vt proximè perfici, ac immutari possint ab ijsdem obiectis; & in hoc etiam sensu valet dicere, Sensus sunt limitati, & plures, ac diuersi, nepè cōplete, quia sunt potētiæ organicæ seù alligati organis, q̄ limitata, plura, ac diuersa sunt. Absolute tamen spectati sensus secūdū se, & secundū proprias naturas, sunt priores organis in genere causæ finalis, non enim sensus proptèr organa, sed organa sunt proptèr sensus, seù vt ijs deseruiant; & proptereà dici debet, ideò organa sunt limitata, plura, ac diuersa, quia limitati, plures, ac diuersi sunt sensus ex se ipsis formaliter, seù per proprias naturas tanquam per formas essentiales, & intrinsecas, quæ tamē inuoluunt ordinem transcendentalem ad limitationem, & pluralitatē obiectorum, & partium entitatiuarum formæ tanquam ad sui radicē & etiam ad limitata, ac diuersa organa tanquam ad sua complementa priora se in genere causæ materialis, & in via generationis, & etiā in genere causæ formalis quoad prædictum esse completum, licèt posteriora in genere finis, & via intentionis. Et ex his patet ad primam impugnationem: limitatio enim, & pluralitas in vno sensitiuo, siuè vt posterior, siuè prior limitatione, & pluralitate organorū semper ipsam essentialitèr exigit, ac trahit, vel vt antecedentē, vel vt necessariò consequentem: vndè nō licèt hinc arguere ad intellectum, qui est inorganicus. Ad aliam impugnationem dicitur limitationem & multiplicationem organorum, vel horum exigentiam per se solā esse rationem inadequatam modo dicto limitationis, & multiplicationis sensuum, sed tamen omninò necessariam ad ipsam, & ab ea necessariò tractam, sicut proportionalitèr sunt aliæ rationes, nempè plures, ac limitatę partes formæ sensitiuæ, & plures, ac limitati modi immutandi obiectorum; vndè vt connexa cum his rationibus non modo est ratio sufficiens ad plurificādos, & limitandos sensus; sed etiam est ratio vniuersalis, præcisa, & adæquata limitationis, & multiplicationis respectu omnium potentiarum cognitiuarum in natura cognitiua, vt sic; nam illa ab hac sublata, iam natura remanet in se omninò indiuisibilis, & carens partibus, & indiuersificabilis, atque

adeo

adeò vno tantum modo, & sub vna ratione ab omnibus suis obiectis indiuisibilitèr perfectibilis. quo fit, vt eius potentia cognitiua sequatur, & compleat illam, vt indiuisibilitèr erga sua obiecta se habentem, & ex consequenti sit ipsi adęquata in cognoscendo, atque adeò immultiplicabilis in plures potentias inadęquatas, ac limitatas; ergò limitatio, & multiplicatio illa sub ea connexione est ratio præcisa, & vniuersalis, & adæquata illius alterius respectu omnium potentiarum cognitiuarum in natura cognitiua, vt cognitiua, ac proindè etiam intellectiuarum in natura intellectiua, si hæ esse possent plures in vna tali natura. & hinc patet non posse dari aliam rationem sufficientem respectu ipsarum; nec talem posse esse propriam earum naturam, & intrinsecam conditionem, nec propriè essentię finitudinem; quia cuiusuis intellectus natura, & essentia est ex suo conceptu adæquata propriæ substantiæ intellectiuæ in ordine ad omnia eius obiecta. & hæc est implicantia inter alias, cùr non possint aliqui intellectus in illa esse inadæquati, & plures, & ad certa obiecta limitati. qui insupèr implicarent ex eo, quia forent infiniti si obiecta perfectiora, & perfectiora essent pariter infinita; hi enim ad sui infinitatem nil aliud requirerēt, quàm infinitatem obiectorū formalium, quorum singulis singuli essent correspondentes, & addicti. Hæc autem infinitas sensuum in vno sensitiuo non sequitur ex simplici pluralitate eorum in illo concessa: imò absolute, & euidentèr implicat: quia infiniti sensus poscerent infinitas partes æquales entitatiuas ipsius sensitiui, & infinita organa corporea, & infinitam copiam spirituum animalium sensationibus deseruientium, atque adeò infinitam molem, cuius sane incapax est vnum, & idem sensitiuum. vndè etiam si obiecta sensibilia possibilia diuersa formalitèr essent infinita, & actu posita nunquam potest præsupponi, posse omnia ab eo sentiri ob magnam eius imperfectionem, & limitationem, nec successiuè; Sed si per impossibile possent cognosci per plures sensus, singulos limitatos ad proprium obiectum; tunc etiam sensus essent infiniti, sicut dicti intellectus, & esset similis casus. Vndè patet ad vltimam instantiam.

Ad 2. rationem concedo antecedens de sensibus, sed nego de intellectibus consequentiam. & ad primam probationem, dico, non ita se habere adæquate, & quoad omnia intellectiuum, & intellectus ad intelligibilia, sicut se habent sensitiuum, & sensus ad sensibilia, sed tantum inadæquatè, & quoad aliqua, vt dixi. Ad secundam probationem dico dari plures sensus particulares in sensitiuo, non verò plures intellectus in intellectiuo ob rationem allatam, & insupèr in sensitiuo dari sensum communem, præter particulares, non ex eo pręcise, quia obiecta sensibilia, quà diuersa sunt secundum proprias naturas,

turas, sint apta fundare plures sensus particulares, & quà sunt vnum in ratione sensibilis in conmmuni sint nata specificare vnum sensum communem; sed quia cum suapte natura sint organica in operando, vtpotè immutatiua sensitiui, quòd est organicum in essendo, iam quà diuersa sunt secundum proprias naturas, diuersos habent immutãdi modos, poscentes in eodem sensitiuo diuersa organa, & ex consequenti sunt apta fundare in ijs plures sensus particulares: rursùs verò quia eadem obiecta sunt vnum in ratione sensibilis in communi, non simpliciter, sed prout relati ad sensitiuum egens ad sui conseruationem etiam sensu aliquo interno, & apti immutari idem per species sensuum externorum, eorumque actus in eodem sensitiuo vnitos, sunt nata specificare in illo vnum sensum communem internum, illimitatum ad omnia illa, & valentem discernere inter ea ob sensitiui, seù animalis necessitatem, & quasi in se ipso externos illos sensus, tanquam in centro vnientem, & hæc omnia videntur de mente S. Thomę q. 15. de verit. a. 2. corp. vbi, *Cum in natura corporea* inquit, *inueniatur aliquid, in quo omnia corporea conueniunt, aliquid verò, in quo diuersa corpora diuersificantur possibile erit aptare vnam potentiam corpori alligatam omnibus corporibus secundum id, quod commune habent, sicut imaginatiua prout omnia corpora communicant in ratione quantitatis, & figuræ; vndè non solũ ad naturalia, sed etiã ad mathematica se extendit; sensus verò communis, prout in omnibus corporibus naturalibus, ad quæ solùm se extendit inuenitur vis actiua, & immutatiua: quædam verò potentiæ aptantur his in quibus corpora diuersificantur secundum diuersum modum immutandi & sic est visus ad colorem, auditus circa sonum, & sic de alijs.* Hæc ille, & demum hæc omnia referens ad sensitiuum ratione organorum, sic ait, *ex hoc igitur, quod pars sensitiua animę vtitur organo in operando, duo ipsam consequuntur scilicet, quòd non potest ei attribui aliqua potentia respiciens commune obiectum omnibus entibus, sic enim iam transcenderet corporalia; & iterum, quòd possibile est in ea inueniri diuersas potentias secundum diuersam naturam obiectorum propter conditionem organorum, quę aptari potest huic, vel illi naturæ* sic S. Thomas. Hæc autem omnia longè absunt ab obiectis intellligibilibus, vt sic, & similitèr ab intellectiuo, quamuis enim illa sint inter se valdè diuersa; tamen hæc diuersitas est solùm in esse rei, non verò in esse intelligibilis; in hoc enim omninò adunantur atque vnum sunt, eo quòd sunt perfectiua vnius, & eiusdẽ intellectiui porsùs indiuisibilis, & inorganici, & sub vno modo formalitèr indiuisibili, & ideò nõ sũt apta fundare in eo nisi vnum intellectum ipsi adæquatum, & intellectui, vt sic: repugnat, quòd sit inadęquatus,

& ad particularia tantum eiusdem obiecta limitatus, quod referens idem auctor, subdit, *illa verò pars animæ, quæ non vtitur organo corporeo in opere suo, non remanet determinata, sed quodāmodo infinita in quantum est immaterialis, & sic eius virtus se extendit ad obiectum commune omnibus entibus; vndè commune obiectum intellectus dicitur esse quodquid est, &c.* & demū concludit, *Vndè impossibile est, quòd in parte intellectiua distinguantur diuersæ potentiæ ad diuersas naturas obiectorum* sic ille. Ad interrogationem dico, diuersitatem & vnitatem inter sensibilia esse efficaces ad fundandos varios sensus etiam in vna natura sensitiua, quia illa diuersitas est connexa cum diuersitate organorum, talis naturæ in se diuisibilis immediatè immutabilium per diuersos sensibiles immutandi modos, atque adeò alligantium sibi varias potentias, ac sensus; vnitas verò est per se connexa, tàm cum indigentia sensuum externorum, & ipsius sensitiui respectu sensus communis, quàm cū vnione specierum sensibilium immissarum ab obiectis, & etiam externarum sensationum in eodem in ordine ad eundem sensum exigendum: hę autem rationes cessant in diuersitate, & vnitate inter intelligibilia. hæc enim nō tam prout diuersa, quàm prout vnum nata sunt perficere indiuisibilitèr idem omninò indiuisibile intellectiuum etiā sub vno modo. Ad instantiam dico, non posse in vno intellectiuo dari plures intellectus particulares, & aliquem vniuersalem tum ob alias rationes, tum quia hic esset perfectior, & potens circa aliorum obiecta, vndè alij essent superflui: non enim potest dici, hos egere illo, aùt illum egere his; quia omnes essent simplicitèr, & æqualitèr in eodem indiuisibili subiecto, & sede, & eiusdem ordinis; nec esset, vndè haberent inter se mutuam vllam indigentiam, aùt dependentiam: quia hanc neque habere possent quoad esse, nullus enim esset influens vllo modo in alium, aùt radix ipsius; si quidem omnes fluerent ab vna cōmuni radice eiusdem substantię intellectiuæ, à qua simul, & à causa prima adęquate in suo esse pēderēt neque quoad acceptionem specierum; has enim, vel haberent æqualitèr congenitas, aùt infusas, vel ęque immediatè possent omnes ab obiectis accipere, quandoquidem omnes essent ijs ęque immediatè applicabiles, nec esset inter eos ordo situs interioris, & exterioris, & ideò vnus non posset esse minister alterius: nec apparet aliud caput dependentię possibilis vnius ab alio, nec in se, nec in speciebus, atque adeò nec in operationibus; vnde intellectus, qui foret perfectior, & illimitatior, iam ex sola sua vi, & efficacia omninò independēti ab alijs, tam formaliter, quàm præsuppositiuè, posset cognoscere obiecta omnium aliorum; ergo hi intellectus limitatiores ob nullum caput essent necessarij, aùt intellectui ipsi perfectiori, & illimitatiori,

aùt

aût naturæ ipsi intellectiuæ, vtpote sufficientissime potenti omnia illa, & alia proxime per illum attingere; nec insupèr isti sũt necessarij, aût vti es illi, ergo essẽt omninò superflui; & ex alio capite non essent, vt supra: & esto supe fluitas sola non arguat alicuius rei implicantiam; tamen superfluitas, & non superfluitas circa idem, implicantia est clara. Non sic est in sensibus: nam sensus communis est quidem perfectior aliquo modo, & illimitatior sensibus externis; tamen in hoc ipso trahit necessariò sensus ipsos externos limitatiores tum vt radix, & quasi centrũ ipsorũ, in quo omnes vniuntur, & vt virtus discernẽs eorum omnium obiecta ob animalis indigentiam, & exigentiam, tum vt pendens ipse ab ijs, tanquam à ministrantibus species intentionales; nullus enim sensus internus est immediatè immutabilis, seù susceptiuus talium specierum ab obiectis sensibilibus, sed medijs sensibus externis sentientibus; vndè hi non solùm non sunt superflui, sed sunt omninò necessarij animali, & ipsi sensui communi, habentque mutuam colligantiam, connexionem, & conspirationem cum eodẽ, & diuersa prorsùs organa, & sedes, & quasi ordinem, cum ipsi sint exteriores, ille sit interior. Nec sensus cõmunis potest dici simplicitèr illimitatus ad omnia sensibilia, sed solùm secundum quid, quia quamuis possit attingere omnia illa obiecta; tamen hoc habet dependenter continuatione ad sensus limitatos in vna, & eadem natura sensitiua.

Ad 3. rationem negatur primo antecedens: nam esto dari possint plures potentiæ visiuę, singulæ limitatæ ad certum obiectum, vna nimirum ad album tantum, alia ad nigrum, aliæ ad alia; hę non possunt esse in vno, & eodem organo, sed in diuersis, nam tales potentiæ essent organicæ, & in esse immutabilis ab obiectis essent completæ per organa, & essent diuersæ specie aût heterogeneę; ergo quatenùs diuersæ non possent exigere idem complementum, hoc enim poscerent acceptæ, vt vnum quid; ergo poscerent diuersa complemẽta, & organa. rursùs obiecta illarum essent immutatiua ipsarum, prout diuersa specie inter se sunt; ergo non per vnum, & eundem modum immutandi; hunc enim haberent quatenùs vnum sunt; ergo per diuersos, quà diuersi sunt; ergo hi modi immutandi, vt diuersi, sicut fundarent diuersas potentias immutabiles, ita etiã diuersa organa immutabilia magis immediatè, quã sint potentiæ; organa enim sunt etiam de complemento modi immutandi potentias, atque adeò diuersorum modorum diuersa sunt organa. Ad probationẽ antecedẽtis dico, repugnare ex parte organi, & ex parte potentiarum, & ex parte obiectorũ, quòd illæ potentiæ sint plures in vno, & eodem organo. Nam vnũ, & idem organum non potest complere diuersas potentias, quà diuersę sunt: & rursùs potentiæ, vt diuersæ, non possunt compleri per

vnum

vnum, & idem inuariatum complementum, per hoc enim complerentur prout essent vnum quid; nec potest vnum organum esse accomodatum ad diuersa obiecta prout diuersa sunt, & apta specificare diuersas potentias, vt diuersæ sunt, sed vt sunt vnum; vndè non potest vnum organum immediate immutabile esse indifferens ad vnam, vel plures potentias limitatas, sed necessariò est addictum vni quoad eius munus: similitèr obiecta, quà diuersa formalitèr, & specificantia diuersas potentias organicas, non possunt habere vnum, & eundem modum immutandi, atque adeò, nec vnum, & idem proximum immutabile, aùt completiuum eius, quod est organum, quicquid sit, an eas immutare possint in diuersis organis, & an simplicitèr possint dari, saltèm in diuersis organis plures potentiæ visiuæ singulæ limitatæ ad certum obiectum. Secundo transeat illud antecedens de potētijs sensitiuis, nego verò consequētiam de intellectibus, & ratio disparitatis est quià potentiæ sensitiuæ sunt in inferiore ordine, & sunt limitatiores, ac minùs perfectæ, nec sunt reflexiuæ supra se ipsas, aùt supra proprios actus, nec sunt aptæ cognoscere alias potētias, nec proprium subiectum, nec naturam sensitiuam, nec omnia connaturalia eius accidentia, aùt proprietates; & ideò transeat, quod ob has imperfectiones possint etiam in vno sēsitiuo & organo esse simul plures potētiæ visiuæ, singulę ex sua natura limitatę ad certum obiectum, cum præsertim potentia sensitiua, vt sic, non dicat, quod ex suo conceptu sit adæquata proprio sensitiuo: at intellectus est altioris ordinis, & ex sępè dictis est adæquatus ex sua ratione formali propriæ substantiæ intellectiuę, & est reflexiuus, & cognitiuus omnium prædictorum; & ideò in vno intellectiuo est vnus, & illimitatus, nec in eo possunt esse simul plures intellectus limitati.

Ad quartam rationem dicitur, depēdētiā esse vel effectus à causa, siuè in plurib. reb. siuè in vna, & eadē; vel rei ab alijs tāquā à ministris, aùt dispositionib. cōcedo igitur maiorem de dependenti per causalitatem, & habito respectu ad vniuersam seriem omnium omninò rerū; sic enim plures res sunt dependentes, vt omnes res creatæ; & res simplicitèr independens est tantum vna, nempè causa prima; quamuis in vna, & eadem re non semper plus multiplicetur depēdēs, quam independens, totum enim est depēdēs à partib. quę tamē sunt plures, quàm totum ipsum: nego verò maiorem de re dependenti aliquo modo ab alijs, tāquam ab administris, aùt disponentibus: nam plures sunt ministri, quàm domini, aùt quasi domini, & plures dispositiones sæpè vni, & eidem formæ deseruiunt; & hoc modo intellectus in homine est secundum quid dependens à sensibus, tanquam ab administrātibus illi species sensibiles, & phātasmata, aliquo modo cōcurrentia,

ac necessaria ad species intelligibiles, per quas intellectus determinatur ad intelligẽdum, & in hoc sensu S.Thom. 1.p.q.89.a.5.dixit[certũ intellectus principalitèr quidem, & formalitèr, esse in ipso intellectu, materialitèr autem, & dispositiuè in inferioribus uiribus] vndè non est necesse, quod plus multiplicetur intellectus sic pẽdens, quàm sensus indepedentes, imò sequitur oppositum.

Ad 5. rationem concedo maiorem, nimirũ ideò non posse dari plures intellectus cognitiuos in vno intellectiuo, quia obiecta ab eo intelligibilia conueniunt in aliquo vno quod proindè fundat, aùt exigit in eo vnicum tantum intellectum, hæc enim est vna inter alias rationes: sed nego minorẽ, quod scilicet hoc dici non possit; & ad probationem dico, illud vnum esse vnum vnitate analoga entis, aùt veri in communi ab illa natura cognoscibilis in quantum est per modũ formę indiuisibilitèr perfectiuum illius sub aliquo peculiari modo esse intentionalis, tum mediatè in se ipsa, vt principio, seù actu primo remoto, ac radicali; tum immediatè in eius conprincipio, seù actu primo proximo, ac completiuo, & per consequens illi proportionato, & accomodato, qui est intellectus: vndè sicut obiecta illa poscunt naturam in vno intellectiuo immultiplicatam, sic etiam fundant vnum tantum intellectum immultiplicatum, atque adeò totalitèr illi adęquatum sub ratione informabilis ab ipsis sub modo determinato. Et ad primam impugnationem est disparitas inter actus cognitiuos, & intellectus in vno intellectiuo circa latitudinem entis, & veri. Nam actus illi sunt actus secundi, seù actuales operationes, intellectus verò sunt potẽtię, seù actus primi; Actus autem secundi sunt limitatiores, determinatiores, & minus vniuersales; potentiæ verò, seù actus primi sunt illimitatiores, ampliores, & vniuersaliores; quod patet primo inductione in omnibus, constat enim plures actus secundos specie distinctos ab vna, & eadẽ potẽtia, seù actu primo e.g. à voluntate emanare. Secundo ratione generali: tum quia potentię, seù actus primi accidentales sunt principia completiua in actu primo principij principalis, nempè substantiæ, & ideò sunt firma, ac permanentia, & magis sequentia eius vnitatem, stabilitatem, & vniuersalem continentiam virtualem plurium actuum secũdorum: hi verò sunt quasi effectus illorum, fluẽtes, ac transeuntes, atque adeò magis limitati, ac determinati, & ex consequenti plurificabiles etiam secundum speciem iuxta concursum concausarum: tum quia actus secũdi sunt quasi cõtactus, seù attingentiæ actuales, & coniunctiones immediatissimæ ad obiecta, ac proindè sũt quidam proximi efflu xus ad ea secundum proprium, ac naturale, & reale esse spectata: vndè fit, vt quia hæc obiecta secũdum hoc esse varia, ac multiplicia sunt secundum speciem, ac genus.

spe-

ſpecificare, ſeù plurificare ſpecie, imò etiam genere poſſint, tanquã obiecta formalia, varios actus ſecũdos, abſtrahẽdo ab hoc, quod tales actus ab vno principio, ſeù actu primo, aùt à pluribus emanent: & inde etiam eſt, quod ſinguli actus poſſunt, ac petunt, eſſe addicti, ac limitati ſingulis his obiectis: at verò actus primi lõge remotius ſe habẽt ad obiecta, nec ea omnia nò immediatè ſe ipſis, ſed medijs actibus ſecũdis attigũt, vndè, nec ſinguli petũt, aùt poſſunt addici, aùt limitari, ad ſingula; ſed bene ſaluantur per hoc quòd per varios actus ſecũdos limitatos varia attingunt obiecta, formalia quidem reſpectu horum, materialia uerò reſpectu illorum, vtpotè vniuerſaliorum, & illimitatiorum, ac proindè in his obiectis rationem formalem magis vniuerſalem, illimitatam, & magis amplã reſpicientium. Tertiò ex ratione ſpeciali quia in caſu noſtro actus ſecundi cognitiui ſunt actuales expreſſiones, & imagines obiectorũ; ergo ſunt huiuſmodi ſecundum proprium, ac naturale eſſe illorum ad hoc enim tendunt expreſſę rerũ imagines, vt eas ſecundum propriũ earum eſſe repræſentent; ergo ſingulę imagines ſunt addictę ſingulis obiectis, neque n. actualis imago vnius determinati obiecti poteſt eſſe ſimilitudo alteriùs obiecti longe diuerſi, ac diſſimilis priori, & hĩc fit, vt, ſicut intra latitudinẽ entis, aùt veri in communi ſũt innumerabilia obiecta ſpecie, ac ſæpè genere ter ſe, [illegible] ſecundũ propriũ, ac natiuũ eſſe; ita dari etiã poſſint in vno intellectiuo ſucceſſiue plures, ac plures illorũ imagines ſpecie, & ſæpè genere diuerſę, quæ ſunt actus ipſi cognitiui. Non ita ſe habent intellectus, qui non ſunt imagines obiectorum, ſed principia, & quaſi pictores illarum: vndè ſicut poteſt vnus, & idem pictor, & architectus plures, ac varias imagines effingere: ita poteſt in vno intellectiuo vnus intellectus totius illius magnum intentionalium multitudinis expreſſor, & efformator eſſe, nec debet, aùt poteſt eſſe multiplex. Quarto tam varia obiecta nullo modo ſunt vnum in ratione perfectiui per modum formæ informantis, aùt aſſiſtentis reſpectu actuum cognitiuorum, ſicuti ſunt reſpectu intellectus, quia ſpecies intentionales obiectorum non afficiunt ipſos actus, vt ſubiectum, aùt quaſi ſubiectum, ſed proximè intellectum ipſum, & remotè ſubſtantiam intellectiuam; ergo nullo modo poſſunt reſpicere vnum tantum actum, ſed plures, & ſingula proprium, aùt aliqua plura vnum altiorem; bene tamen poſſunt omnia reſpicere in vna natura vnum intellectum. Nec refert, quòd obiecta dici ſoleant formę actuum; id enim verum eſt extrinſece, & per modũ termini, ac ſpecificatiui extrinſeci, quod vniuerſaliſſime in omnibus rebus, & non ſolùm in actibus cognitiuis, dicitur reduci ad cauſam formalem extrinſecam; vndè ampl- ectatur, ea vnum tantum ſpecific. tum reſpicere. Quæ equam. eis ens, aùt

verum vniuersalissimum contineat sub se plures, ac plures in infinitū rationes inferiores innumerabiliū specierum, ac generum, aliquas magis, aliquas minus vniuersales, & amplas; hæ tamen sunt sufficientes limitare, determinare, ac specificare, etiā in vno intellectiuo, plures, ac plures specie, ac genere actus cognitiuos; quia hi, cum sint immediatissimi contactus, seu vniones ad ipsas, ipsarumque expressæ imagines actuales, iam ipsas quasi attingunt secundum proprias, formales, ac specificas earum rationes prout inter se distinctas; & sic ad earum multiplicationem, limitationem, ac determinationem, plurificari, limitari, ac determinari possunt. longe aliter se habent respectu intellectus: hic enim quia potentia, seu actus primus completiuus est sui intellectiui, vt sic, sequitur conditionem, & vnitatem eius, estque æqualis omninò ambitus cum ipso circa vniuersam illam infinitarum rationum obiectiuarum turbam, quarum proindè distinctio, ac diuersitas respectu illius est omninò materialis. Ad instantiam dico, eam si bona esset, probare etiam nunc dari actu plures intellectus in vno intellectiuo ob pluralitatem specificam actuum, quod tamē falsum est. Aio igitur potentias specificari immediatè ab actibus, non quidem sumptis distributiue secūdum diuersas rationes intrinsecas, neque precisè prout sunt vnum secundum genus in esse rei, sed in quantum sunt vnum vnitate collectionis respicientis immediatè totū obiectum colligens, & adunans in se obiecta formalia singulorum actuum sub vno modo perficiendi, aut immutandi naturam cognitiuā vel in quantum sunt vnum vnitate subordinationis ad dictum obiectum per hoc, quod singulorum obiecta formalia continentur sub illo, à quo habent eundem modum immutandi: & hac ratione omnes actus visiui collectiue sumpti, & sub respectu ad totum coloratum adunans in se omnia colorata sub eodem modo immutandi visum, vel etiam singuli actus prout subordinati ad hoc idem obiectum, saltèm extrinsece, & denominatiue sunt vnius, & eiusdem speciei, ac proindè apti specificare vnam potentiam visiuam: & sic accidit in alijs rebus. Ad secundam impugnationem est similitèr disparitas de pluribus intellectiuis, ac de vno. Nam plura intellectiua non sunt vnum indiuisibile attractiuum informabile, sed multa, ac varia, & diuersarum sæpè specierum, ac rationum: & insupèr obiecta sub ente, aùt verò in communi contenta, respectu ipsorum non sunt vnum formaliter, sed plura, ac diuersa per differentias per se primo, & immediatè diuisiuas, ac per difformes perficiēdi modos, ut supra; & ideò in plurib. intellectiuis specie diuersis necessariò sunt plures intellectus specie distincti; neque hanc pluralitatē impedire potest unitas ipsius entis, aùt veri in cōmuni, quia ab ijs, ut diuersis, non respicitur

ens,

mus, aùt uerum, ut unum, seù sub vna indiuisibili ratione perfectiui per modum formæ, sed vt formaliter per se plurificatum in hac ratione in varios modos; vndè attendũtur in eo plures, ac plures, siuè attingibilitates, siuè formalitates, siuè modi tendendi: at in vno intellectiuo est vnum indiuisibile radicale attractiuum, & informabile, respectu cuius omnia dicta obiecta ex iam probatis sunt etiam unum indiuisibile perfectiuum per modum formæ sub vno modo; & ideò vnus tantum illi inesse potest intellectus cognitiuus similitèr indiuisibilis proximè attractiuus, & informabilis; hic enim est illi proportionatus, & adæquatus. & hinc patet ratio, cùr pluralitas intellectuum repugnet vni intellectiuo, & non pluribus; quia nimirum in his habetur pluralitas, ac diuersitas naturarum radicalitèr perfectibilium, & informabilium ex se magis, aùt minùs efficacium; ac potentium ad cognoscendum, & rursùs formalis diuersitas obiectorum perfectiuorum penes diuersos modos cum connexione ad naturas illas ita diuersas, ac varias: quæ duo repugnãt vni intellectiuo, vt per se constat, præter alias repugnantias, quæ in hoc vrgent, non verò in illis. Ad dilemma dico, naturam entis, aùt veri esse ex se ipsam fœcundam plurium intellectuum, vbi est huius pluralitatis capacitas, sterilem verò vbi est incapacitas; ea enim fœcunditas connotat, ac coexigit talem capacitatem, sterilitas incapacitatem: vndè non sequitur, eam naturã esse vbique sterilem, vbique fœcũdam quoad intellectus, sicut est indifferentèr fęcunda respectu actuũ intellectiuorum, tàm in vno intellectiuo, quàm in pluribus, est enim dispar ratio, quia pluralitas actuum potest conuenire, & pluribus intellectiuis, & vni, licèt amplior illis: secus pluralitas intellectuum ob rationem allatam. & ex his patet, esse accidentarium naturæ entis, aùt veri parere suo modo actus cognitiuos, siuè in vno, siuè in pluribus intellectiuis, non sic verò esse quoad intellectus. Neque quoad hoc est maior difficultas in pluribus, quàm in vno, imò est verum contrarium, vt iam ostendi. Ad tertiã impugnationem dicitur omnia entia, quia conueniunt in vno ente in communi, non simplicitèr, sed sub ratione perfectiui per modum formæ sub determinato modo per species talis, vel talis naturæ, & cõditionis respectu vnius indiuisibilis informabilis, ac quoad hoc passiui, nempè vnius intellectiui, fundare suo modo in eo vnum tantum intellectum cognitiuum: cum hoc autem bene stat, quod sub alia ratione, nimirum repræsentabilis, ac perfectibilis in proprijs speciebus intentionalibus respectu eiusdem intellectiui fundare possint alium intellectum, non quidem cognitiuũ sed agentem, seù actiuum talium specierum in eodem intellectiuo, & hinc dato antecedenti sub priori ratione, nego primam consequẽtiam: hi enim intellectus necessariò

sunt

sunt diuersi, cum vnus sit quoad obiectorum species perfectibilis, & passiuus, alter perfectiuus, & actiuus. Deindè nego etiam secũdam consequentiam, & ad probationem est discrimen inter illas duas vnitates. Primo, quia vnitas in ente, aùt vero est restricta ad rationem perfectiui per modum formę sub vno modo, & ideò fundãdo vnum tantum intellectum cognitiuum in vno intellectiuo non tollit ab eo pluralitatem potentiarum fundabilium à pluribus rationibus vt voluntatis, & intellectus agentis: at vnitas in ratione vitalitèr attingibilis, est longe latior, & amplior, absorbens in se non solùm omnia obiecta attingibilia, quæ dicũtur materialia, sed etiam omnẽ prorsùs rationem formalem fundatiuam potentiæ vitalis; atque ita si ipsa præcisè ponatur posse fundare in vno subiecto vnam tantum potentiam vitalem valentem solũ attingere omnia, quæ possent aliæ, iam ab illo auferret alias ab alijs rationibus fundabiles, quæ tamen nunc actu sunt in intellectiuis existentibus, vt supponimus. Imò etiã sequeretur, posse dici omnia prorsùs obiecta omnium potentiarum vitalium, & non vitalium, sane innumerabilium, quia conueniunt in ratione attingiblis in communiã potentia, vt sic, posse quantum est ex parte sua fundare, ac determinare unam unius infimæ speciei potẽtiam, quæ circa omnia versari posset uitalitèr, & non uitaliter, realiter & intentionaliter. Imò dici quoque posset, omnia obiecta omnium actuum uitalium, quia etiam sunt unũ in esse attingibilis uitaliter non multiplicare in uno principio plures actus, sed fundare tantum unum; quod similiter haberet uim in omnibus obiectis omnium actuum uitalium, & non uitalium, quia hi omnes conueniũt in esse attingibiles per actum, ut sic, quæ sane repugnant. Secundo, quia unitas in entę aùt in ratione formæ perfectiuæ respectu unius naturæ intellectiuæ sub uno peculiari modo continet tantum plura, ac diuersa obiecta materialia; est enim per se diuisibilis tantum in ea, quibus cõuenit ratio perfectiui per modum formæ unius determinatæ rationis, seù modi, nempè per tot, uel tot formas, seu species intelligibiles talis, uel talis conditionis, sempèr tamen una ratione formæ, seu unius rationis formalis; & ideo bene potest in una illa natura fundare unũ tantum intellectum cognitiuum omnium illorum obiectorũ: at unitas obiectorum in esse uitalitèr attingibilis, etiã respectu unius subiecti, continet immediatè plura obiecta formalia tum specie, tum genere diuersa, singula apta fundare, & nunc de facto fundãtia, ac determinantia certas, ac peculiares potentias: esse enim uitalitèr attingibile est diuisibile primo, per se, & proximè in esse attingibile per modum formæ, & in esse attingibile per modum finis, seu boni; quæ duæ rationes sunt inter se ualde diuersæ, ut patet, & ex consequenti

se-

secundum propria seorsim sunt diuersarum potentiarum fundatiuæ aliter, quàm forent, si vtraque esset ratio solius formæ, vel finis; & vtraque deinde diuidi potest in res ipsas habentes tale, vel tale esse attingibile, vt Deum, Angelos, homines, & alia, quæ sunt obiecta materialia; ergo proptèr hanc conuenientiam, & vnitatem in esse vitalitèr attingibilis præcisè non possunt obiecta formalia tàm diuersa nô fundare in vno illo subiecto, seu natura plures particulares potentias vitales, sed quasi cogi ad fundandam vnam tantum potentiam valentem præcisè quicquid illæ valerent. quę consequentia patet, tum quia illa sola vnitas est communis etiam obiectis formalibus comparatis ad plura intellectiua, in quibus certũ est ea fundare non vnam tantum, sed plures, ac diuersas potentias proptèr pluralitatem subiectorum non obstante illa vnitate; vndè etiã in vno non poterunt plura obiecta formalia non fundare plures potẽtias proptèr pluralitatem rationum formalium, nempè formæ, & finis, eàdem vnitate similitèr non obstante; quia pluralitas rationum formalium obiectorum de se præscindit ab vno, vel pluribus subiectis, seù naturis, atque adeò de se sempèr est efficax ad plurificandũ potentias saltèm stante limitatione potentiæ creatæ: Tum quia vnitas illa, cum sit valde generica, ac transcendens bene, ac sufficienter saluatur per hoc, quòd ratione præcisè ipsius, obiecta illa formalia fundent, seù exigant, etiam in vno subiecto, seù natura perfectibili, potẽtiam vitalem genericam prædicabilem de pluribus potentijs specie distinctis, vt de intellectu, & voluntate: hæc enim est illi valde proportionata, ac propriè correspondens: quod non impedit, quominus etiã secundum rationes proprias multiplicare, ac specificare possint has alias particulares potentias sub illa contentas: sicut respectu plurium naturarum diuersis obiectis formalibus, secundum proprias rationes formales spectatis, correspondent plures, ac diuersæ specie potentiæ; prout verò sunt unum in esse uitalitèr attingibilis, respondet ijs una generica, & uniuersalis potentia, sub qua illæ continentur. & sic accidit in alijs etiam rebus, & obiectis, quę sumpta secũdum proprias rationes formales, fundant, & exigunt speciales potentias actiuas, ut e.g. esse calefactibile, & esse exiccabile ab igne, possunt in illo potẽtiã calefactiuam, & potentiam exiccandi: sumpta uerò prout sunt unum in aliqua ratione generica, puta in esse alterabilis ab igne, exigunt in illo potentiam unam genericè communem, nempè alteratiuam ignis, & sic de alijs: Tum quia attingibilitas potest sumi, uel pro sola denominatione extrinseca à potentijs aptis attingere obiecta; & sic unitas eius non fundat, sed supponit potentiam unam, uel plures, iuxta rerum naturas: uel pro aptitudine intrinseca obiectorum, ac ui terminandi actus potentiarũ;

&

aùt naturæ ipsi intellectiuæ, vtpote sufficientissimè potenti omnia illa, & alia proximè per illum attingere; nec insupèr isti sũt necessarij, aùt vtiles illi, ergo essẽt omninò superflui; & ex alio capite non essent, vt supra: & esto supe fluitas sola non arguat alicuius rei implicantiam; tamen superfluitas, & non superfluitas circa idem, implicantia est clara. Non sic est in sensibus: nam sensus communis est quidem perfectior aliquo modo, & illimitatior sensibus externis; tamen in hoc ipso trahit necessariò sensus ipsos externos limitatiores tum vt radix, & quasi centrũ ipsorũ, in quo omnes vniuntur, & vt virtus discernẽs eorum omnium obiecta ob animalis indigentiam, & exigentiam, tum vt pendens ipse ab ijs, tanquam à ministrantibus species intentionales; nullus enim sensus internus est immediatè immutabilis, seù susceptiuus talium specierum ab obiectis sensibilibus, sed medijs sensibus externis sentientibus; vndè hi non solùm non sunt superflui, sed sunt omninò necessarij animali, & ipsi sensui communi, habentque mutuam colligantiam, connexionem, & conspirationem cum eodẽ, & diuersa prorsùs organa, & sedes, & quasi ordinem, cum ipsi sint exteriores, ille sit interior. Nec sensus cõmunis potest dici simplicitèr illimitatus ad omnia sensibilia, sed solùm secundum quid, quia quamuis possit attingere omnia illa obiecta; tamen hoc habet dependenter continuatione ad sensus limitatos in vna, & eadem natura sensitiua.

Ad 3. rationem negatur primo antecedens: nam esto dari possint plures potentiæ visiuę, singulæ limitatæ ad certum obiectum, vna nimirum ad album tantum, alia ad nigrum, aliæ ad alia; hę non possunt esse in vno, & eodem organo, sed in diuersis, nam tales potentiæ essent organicæ, & in esse immutabilis ab obiectis essent completæ per organa, & essent diuersæ speciè aùt heterogeneę; ergo quatenùs diuersæ non possent exigere idem complementum, hoc enim poscerent acceptæ, vt vnum quid; ergo poscerent diuers. complemẽta, & organa. rursùs obiecta illarum essent immutatiua ipsarum, prout diuersa specie inter se sunt; ergo non per vnum, & eundem modum immutandi, hunc enim haberent quatenùs vnum sunt; ergo per diuersos, quà diuersi sunt; ergo hi modi immutandi, vt diuersi, sicut fundarent diuersas potentias immutabiles, ita etiã diuersa organa immutabilia magis immediatè, quã sint potentiæ; organa enim sunt etiam de complemento modi immutandi potentias, atque adeò diuersorum modorum diuersa sunt organa. Ad probationẽ antecedẽtis dico, repugnare ex parte organi, & ex parte potentiarum, & ex parte obiectorũ, quòd illæ potentiæ sint plures in vno, & eodem organo. Nam vnũ, & idem organum non potest complere diuersas potentias, quà diuersę sunt: & rursùs potentiæ, vt diuersæ, non possunt compleri per

vnum

vnum, & idem inuariatum complementum, per hoc enim complerentur prout essent vnum quid; nec potest vnum organum esse accomodatum ad diuersa obiecta prout diuersa sunt, & apta specificare diuersas potentias, vt diuersæ sunt, sed vt sunt vnum; vndè non potest vnum organum immediate immutabile esse indifferens ad vnam, vel plures potentias limitatas, sed necessariò est addictum vni quoad eius munus: similitèr obiecta, quà diuersa formalitèr, & specificantia diuersas potentias organicas, non possunt habere vnum, & eundem modum immutandi, atque adeò, nec vnum, & idem proximum immutabile, aût completiuum eius, quod est organum, quicquid sit, an an eas immutare possint in diuersis organis, & an simplicitèr possint dari, saltèm in diuersis organis plures potentiæ visiuæ singulæ limitatæ ad certum obiectum. Secundo transeat illud antecedens de potētijs sensitiuis, nego verò consequētiam de intellectibus, & ratio disparitatis est quià potentiæ sensitiuæ sunt in inferiore ordine, & sunt limitatiores, ac minùs perfectæ, nec sunt reflexiuæ supra se ipsas, aût supra proprios actus, nec sunt aptæ cognoscere alias potētias, nec proprium subiectum, nec naturam sensitiuam, nec omnia connaturalia eius accidentia, aût proprietates; & ideò transeat, quod ob has imperfectiones possint etiam in vno sēsorio, & organo esse simul plures potentiæ visiuæ, singulę ex sua natura limitatę ad certum obiectum, cum præsertim potentia sensitiua, vt sic, non dicat, quod ex suo conceptu sit adæquata proprio sensitiuo: at intellectus est altioris ordinis, & ex sæpè dictis est adæquatus ex sua ratione formali propriæ substantiæ intellectiuę, & est reflexiuus, & cognitiuus omnium prædictorum; & ideò in vno intellectiuo est vnus, & illimitatus, nec in eo possunt esse simul plures intellectus limitati.

Ad quartam rationem dicitur, depēdētiā esse vel effectus à causa, siuè in plurib. reb. siuè in vna, & eadē; vel rei ab alijs tāquā à ministris, aût dispositionib. cōcedo igitur maiorem de dependenti per causalitatem, & habito respectu ad vniuersam seriem omnium omninò rerū; sic enim plures res sunt dependentes, vt omnes res creatæ; & res simplicitèr independens est tantum vna, nempè causa prima; quamuis in vna, & eadem re non semper plus multiplicetur depēdēs, quam independens, totum enim est depēdēs à partib. quę tamē sunt plures, quàm totum ipsum: nego verò maiorem de re dependenti aliquo modo ab alijs, tāquam ab administris, aût disponentibus: nam plures sunt ministri, quàm domini, aût quasi domini, & plures dispositiones sæpè vni, & eidem formæ deseruiunt, & hoc modo intellectus in homine est secundum quid dependens à sensibus, tanquam ab administrātibus illi species sensibiles, & phātasmata, aliquo modo cōcurrentia,

ac necessaria ad species intelligibiles, per quas intellectus determinatur ad intelligẽdum, & in hoc sensu S.Thom. 1.p.q.89.a.5. dixit [actũ intellectus principalitèr quidem, & formalitèr, esse in ipso intellectu, materialitèr autem, & dispositiuè in inferioribus uiribus] vndè non est necesse, quod plus multiplicetur intellectus sic pẽdens, quàm sensus indepedentes, imò sequitur oppositum.

Ad 5. rationem concedo maiorem, nimiũ ideò non posse dari plures intellectus cognitiuos in vno intellectiuo, quia obiecta ab eo intelligibilia conueniunt in aliquo vno quod proindè fundat, aùt exigit in eo vnum tantum intellectum, hæc enim est vna inter alias rationes: sed nego minorẽ, quod scilicet hoc dici non possit; & ad probationem dico, illud vnum esse vnum vnitate analoga entis, aùt veri in communi ab illa natura cognoscibilis in quãtum est per modũ formę indiuisibilitèr perfectiuum illius sub aliquo peculiari modo esse intentionalis, tum mediatè in se ipsa, vt principio, seù actu primo remoto, ac radicali; tum immediatè in eius conprincipio, seù actu primo proximo, ac completiuo, & per consequens illi proportionato, & accomodato, qui est intellectus: vndè sicut obiecta illa poscunt naturam in vno intellectiuo immultiplicatam, sic etiam fundant vnum tantum intellectum immultiplicatum, atque adeò totalitèr illi adęquatum sub ratione informabilis ab ipsis sub modo determinato. Et ad primam impugnationem est disparitas inter actus cognitiuos, & intellectus in vno intellectiuo circa latitudinem entis, & veri. Nam actus illi sunt actus secundi, seù actuales operationes, intellectus verò sunt potẽtię, seù actus primi; Actus autem secundi sunt limitatiores, determinatiores, & minus vniuersales; potentiæ verò, seù actus primi sunt illimitatiores, ampliores, & vniuersaliores; quod patet primo inductione in omnibus, constat enim plures actus secundos specie distinctos ab vna, & eadẽ potẽtia, seù actuprimo e.g. à voluntate emanare. Secundo ratione generali: tum quia potentię, seù actus primi accidentales sunt principia completiua in actu primo principij principalis, nempè substantiæ, & ideò sunt firma, ac permanentia, & magis sequentia eius vnitatem, stabilitatem, & vniuersalem continentiam virtualem plurium actuum secũdorum: hi verò sunt quasi effectus illorum, fluẽtes, ac transeuntes, atque adeò magis limitati, ac determinati, & ex consequenti plurificabiles etiam secundum speciem iuxta concursum concausarum: tum quia actus secũdi sunt quasi cõtactus, seù attingentiæ actuales, & coniunctiones immediatissimæ ad obiecta, ac proindè sũt quidam proximi effluxus ad ea secundum proprium, ac naturale, & reale esse spectata: vndè fit, vt quia hæc obiecta secũdum hoc esse varia, ac multiplicia sunt secundum speciem, ac genus spe-

ſpecificare, ſeù plurificare ſpecie, imò etiam genere poſſint, tanquã obiecta formalia, varios actus ſecũdos, abſtrahẽdo ab hoc, quod tales actus ab vno principio, ſeù actu primo, aùt à pluribus emanent: & inde etiam eſt, quod ſinguli actus poſſint, ac petunt, eſſe addicti, ac limitati ſingulis his obiectis: at verò actus primi lõge remotius ſe habẽt ad obiecta, nec ea omnino immediatè ſe ipſis, ſed medijs actibus ſecũdis attĩgũt, vndè, nec ſinguli petũt, aùt poſſunt addici, aùt limitari, ad ſingula; ſed bene ſaluantur per hoc quòd per varios actus ſecũdos limitatos varia attingunt obiecta, formalia quidem reſpectu horum, materialia uerò reſpectu illorum, vtpotè vniuerſaliorum, & illimitatiorum, ac proindè in his obiectis rationem formalem magis vniuerſalem, illimitatam, & magis amplã reſpicientium. Tertiò ex ratione ſpeciali quia in caſu noſtro actus ſecundi cognitiui ſunt actuales expreſſiones, & imagines obiectorũ; ergo ſunt huiuſmodi ſecundum proprium, ac naturale eſſe illorum ad hoc enim tendunt expreſſę rerũ imagines, vt eas ſecundum propriũ earum eſſe repræſentent; ergo ſingulę imagines ſunt addictę ſingulis obiectis, neque .n. actualis imago vnius determinati obiecti poteſt eſſe ſimilitudo alterius obiecti longe diuerſi, ac diſſimilis priori, & hinc fit, vt, ſicut intra latitudinẽ entis, aùt veri in communi ſũt innumerabilia obiecta ſpecie, ac ſæpè genere diuerſa ſecundũ proprium, ac natiuũ eſſe; ita dari etiã poſſint in vno intellectiuo ſucceſſiue plures, ac plures illorũ imagines ſpecie, & ſæpè genere diuerſę, quæ ſunt actus ipſi cognitiui. Non ita ſe habent intellectus, qui non ſunt imagines obiectorum, ſed principia, & quaſi pictores illarum: vndè ſicut poteſt vnus, & idem pictor, & architectus plures, ac varias imagines effingere: ita poteſt in vno intellectiuo vnus intellectus totius illius maginum intentionalium multitudinis expreſſor, & efformator eſſe, nec debet, aùt poteſt eſſe multiplex. Quarto tam varia obiecta nullo modo ſunt vnum in ratione perfectiui per modum formæ informantis, aùt aſſiſtentis reſpectu actuum cognitiuorum, ſicuti ſunt reſpectu intellectus, quia ſpecies intentionales obiectorum non afficiunt ipſos actus, vt ſubiectum, aùt quaſi ſubiectum, ſed proximè intellectum ipſum, & remote ſubſtantiam intellectiuam; ergo nullo modo poſſunt reſpicere vnum tantum actum, ſed plures, & ſingula proprium, aùt aliqua plura vnum alteorem; bene tamen poſſunt omnia reſpicere in vna natura vnum intellectum. Nec refert, quòd obiecta dici ſoleant formę actuum; id enim verum eſt extrinſece, & per modũ termini, ac ſpecificatiui extrinſeci, quod vniuerſaliſſime in omnibus rebus, & non ſolùm in actibus cognitiuis, dicitur reduci ad cauſam formalem extrinſecam; vndè implicat, ea vnum tantum ſpecific. tum reſpicere. Quare quantuis ens, aùt ve-

verum visiuersalissimam contineat sub se plures, ac plures in infinitū rationes inferiores innumerabiliū specierum, ac generum, aliquas magis, aliquas minus vniuersales, & amplas; hæ tamen sunt sufficientes limitare, determinare, ac specificare, etiā in vno intellectiuo, plures, ac plures specie, ac genere actus cognitiuos; quia hi, cum sint immediatissimi contactus, seù vniones ad ipsas, ipsarumque expressę imagines actuales, iam ipsas quasi attingunt secundum proprias, formales, ac specificas earum rationes prout inter se distinctas; & sic ad earum multiplicationem, limitationem, ac determinationem, plurificari, limitari, ac determinari possunt. longe aliter se habent respectu intellectus: hic enim quia potentia, seù actus primus completiuus est sui intellectiui, vt sic, sequitur conditionem, & vnitatem eius, estque æqualis omninò ambitus cum ipso circa vniuersam illam infinitarum rationum obiectiuarum turbam, quarum proindè distinctio, ac diuersitas respectu illius est omninò materialis. Ad instantiam dico, eam si bona esset, probare etiam nunc dari actu plures intellectus in vno intellectiuo ob pluralitatem specificam actuum, quod tamē falsum est. Aio igitur potentias specificari immediatè ab actibus, non quidem sumptis distributiuè secūdum diuersas rationes intrinsecas, neque precisè prout sunt vnum secundum genus in esse rei, sed in quantum sunt vnum vnitate collectionis respicientis immediatè totū obiectum colligens, & adunans in se obiecta formalia singulorum actuum sub vno modo perficiendi, aut immutandi naturam cognitiuā vel in quantum sunt vnum vnitate subordinationis ad dictum obiectum per hoc, quod singulorum obiecta formalia continentur sub illo, à quo habent eundem modum immutandi: & hac ratione omnes actus visiui collectiuè sumpti, & sub respectu ad totum coloratum adunans in se omnia colorata sub eodem modo immutandi visum, vel etiam singuli actus prout subordinati ad hoc idem obiectum, saltèm extrinsece, & denominatiuè sunt vnius, & eiusdem speciei, ac proindè apti specificare vnam potentiam visiuam: & sic accidit in alijs rebus. Ad secundam impugnationem est similitèr disparitas de pluribus intellectiuis, ac de vno. Nam plura intellectiua non sunt vnum indiuisibile attractiuum informabile, sed multa, ac varia, & diuersarum sæpè specierum, ac rationum: & insupèr obiecta sub ente, aùt verò in communi contenta, respectu ipsorum non sunt vnum formaliter, sed plura, ac diuersa per differentias per se primo, & immediatè diuisiuas, ac per difformes perficiēdi modos, ut supra; & ideò in plurib. intellectiuis specie diuersis necessariò sunt plures intellectus specie distincti; neque hanc pluralitatē impedire potest unitas ipsius entis, aùt veri in cōmuni, quia ab ijs, ut diuersis, non respicitur

ens,

ens, aùt uerum, ut unum, seù sub vna indiuisibili ratione perfectiui per modum formæ, sed vt formaliter per se plurificatum in hac ratione in varios modos; vndè attendūtur in eo plures, ac plures, siuè attingibilitates, siuè formalitates, siuè modi tendendi: at in vno intellectiuo est vnum indiuisibile radicale attractiuum, & informabile, respectu cuius omnia dicta obiecta ex iam probatis sunt etiam unum indiuisibile perfectiuum per modum formæ sub vno modo; & ideò vnus tantum illi inesse potest intellectus cognitiuus similitèr indiuisibilis proximè attractiuus, & informabilis, hic enim est illi proportionatus, & adæquatus. & hinc patet ratio, cùr pluralitas intellectuum repugnet vni intellectiuo, & non pluribus; quia nimirum in his habetur pluralitas, ac diuersitas naturarum radicalitèr perfectibilium, & informabilium ex se magis, aùt minùs efficacium; ac potentium ad cognoscendum, & rursùs formalis diuersitas obiectorum perfectiuorum penes diuersos modos cum connexione ad naturas illas ita diuersas, ac varias: quæ duo repugnāt vni intellectiuo, vt per se constat, præter alias repugnantias, quæ in hoc vrgent, non verò in illis. Ad dilemma dico, naturam entis, aùt veri esse ex se ipsam fœcundam plurium intellectuum, vbi est huius pluralitatis capacitas, sterilem verò vbi est incapacitas; ea enim fœcunditas connotat, ac coexigit talem capacitatem, sterilitas incapacitatem: vndè non sequitur, eam naturā esse vbique sterilem, vbique fœcūdam quoad intellectus, sicut est indifferentèr fęcunda respectu actuū intellectiuorum, tàm in vno intellectiuo, quàm in pluribus, est enim dispar ratio, quia pluralitas actuum potest conuenire, & pluribus intellectiuis, & vni, licèt amplior illis; secus pluralitas intellectuum ob rationem allatam. & ex his patet, esse accidentarium naturæ entis, aùt veri parere suo modo actus cognitiuos, siuè in vno, siuè in pluribus intellectiuis, non sic verò esse quoad intellectus. Neque quoad hoc est maior difficultas in pluribus, quàm in vno, imò est verum contrarium, vt iam ostendi. Ad tertiā impugnationem dicitur omnia entia, quia conueniunt in vno ente in communi, non simplicitèr, sed sub ratione perfectiui per modum formæ sub determinato modo per species talis, vel talis naturæ, & cōditionis respectu vnius indiuisibilis informabilis, ac quoad hoc passiui, nempè vnius intellectiui, fundare suo modo in eo vnum tantum intellectum cognitiuum: cum hoc autem bene stat, quod sub alia ratione, nimirum repræsentabilis, ac perfectibilis in proprijs speciebus intentionalibus respectu eiusdem intellectiui fundare possint alium intellectum, non quidem cognitiuū sed agentem, seù actiuum talium specierum in eodem intellectiuo, & hinc dato antecedenti sub priori ratione, nego primam consequētiam: hi enim intellectus necessariò

sunt

sunt diuersi, cum vnus sit quoad obiectorum species perfectibilis, & passiuus, alter perfectiuus, & actiuus. Deinde nego etiam secundam consequentiam, & ad probationem est discrimen inter illas duas vnitates. Primo, quia vnitas in ente, aût vero est restricta ad rationem perfectiui per modum formę sub vno modo, & ideò fundādo vnum tantum intellectum cognitiuum in vno intellectiuo non tollit ab eo pluralitatem potentiarum fundabilium à pluribus rationibus vt voluntatis, & intellectus agentis: at vnitas in ratione vitaliter attingibilis, est longe latior, & amplior, absorbens in se non solùm omnia obiecta attingibilia, quæ dicũtur materialia, sed etiam omnẽ prorsùs rationem formalem fundatiuam potentiæ vitalis; atque ita si ipsa præcisè ponatur posse fundare in vno subiecto vnam tantum potentiam vitalem valentem solũ attingere omnia, quæ possent aliæ, iam ab illo auferret alias ab alijs rationibus fundabiles, quæ tamen nunc actu sunt in intellectiuis existentibus, vt supponimus. Imò etiã sequeretur, posse dici omnia prorsùs obiecta omnium potentiarum vitalium, & non vitalium, sane innumerabilium, quia conueniunt in ratione attingibilis in commũi à potentia, vt sic, posse quantum est ex parte sua fundare, ac determinare unam unius infimæ speciei potẽtiam, quæ circa omnia versari posset uitaliter, & non uitaliter, & alter & intentionaliter. Imò dici quoque posset, omnia obiecta omnium actuum uitalium, quia etiam sunt unũ in esse attingibilis uitaliter non multiplicare in uno principio plures actus, sed fundare tantum unum; quod similiter haberet uim in omnibus obiectis omnium actuum uitalium, & non uitalium, quia hi omnes conueniũt in esse attingibiles per actum, ut sic, quæ sane repugnant. Secundo, quia unitas in ente aût in ratione formæ perfectiuæ respectu unius naturæ intellectiuæ sub uno peculiari modo continet tantum plura, ac diuersa obiecta materialia; est enim per se diuisibilis tantum in ea, quibus cõuenit ratio perfectiui per modum formæ unius determinatæ rationis, seù modi, nempè per tot, uel tot formas, seu species intelligibiles talis, uel talis conditionis, semper tamen una ratione formæ, seu unius rationis formalis; & ideo bene potest in una illa natura fundare unũ tantum intellectum cognitiuum omnium illorum obiectorũ: at unitas obiectorum in esse uitalitèr attingibilis, etiã respectu unius subiecti, continet immediatè plura obiecta formalia tum specie, tum genere diuersa, singula apta fundare, & nunc de facto fundãtia, ac determinantia certas, ac peculiares potentias: esse enim uitalitèr attingibile est diuisibile primo, per se, & proximè in esse attingibile per modum formæ, & in esse attingibile per modum finis, seu boni; quæ duæ rationes sunt inter se ualde diuersæ, ut patet, & ex consequenti se-

secundum propria seorsim sunt diuersarum potentiarum fundatiuæ aliter, quàm forent, si vtraque esset ratio solius formæ, vel finis; & vtraque deinde diuidi potest in res ipsas habentes tale, vel tale esse attingibile, vt Deum, Angelos, homines, & alia, quæ sunt obiecta materialia; ergo proptèr hanc conuenientiam, & vnitatem in esse vitalitèr attingibilis præcisè non possunt obiecta formalia tàm diuersa nō fundare in vno illo subiecto, seù natura plures particulares potentias vitales, sed quasi cogi ad fundandam vnam tantum potentiam valentem præcisè quicquid illæ valerent. quę consequentia patet, tum quia illa sola vnitas est communis etiam obiectis formalibus comparatis ad plura intellectiua, in quibus certū est ea fundare non vnam tantum, sed plures, ac diuersas potentias proptèr pluralitatem subiectorum non obstante illa vnitate; vndè etiā in vno non poterunt plura obiecta formalia non fundare plures potētias proptèr pluralitatem rationum formalium, nempè formæ, & finis, eàdem vnitate similitèr non obstante; quia pluralitas rationum formalium obiectorum de se præscindit ab vno, vel pluribus subiectis, seù naturis, atque adeò de se sempèr est efficax ad plurificandū potentias saltèm stante limitatione potentiæ creatæ: Tum quia vnitas illa, cum sit valde generica, ac transcendens bene, ac sufficienter saluatur per hoc, quòd ratione præcisè ipsius, obiecta illa formalia fundent, seù exigant, etiam in vno subiecto, seù natura perfectibili, potētiam vitalem genericam prædicabilem de pluribus potentijs specie distinctis, vt de intellectu, & voluntate: hæc enim est illi valde proportionata, ac propriè correspondens: quod non impedit, queminus etiā secundum rationes proprias multiplicare, ac specificare possint has alias particulares potentias sub illa contentas: sicut respectu plurium naturarum diuersis obiectis formalibus, secundum proprias rationes formales spectatis, correspondent plures, ac diuersæ specie potentię; prout uerò sunt unum in esse uitalitèr attingibilis, respondet ijs una generica, & uniuersalis potentia, sub qua illæ continentur. & sic accidit in alijs etiam rebus, & obiectis, quę sumpta secūdum proprias rationes formales, fundant, & exigunt speciales potentias actiuas, ut e.g. esse calefactibile, & esse exiccabile ab igne, poscunt in illo potētiā calefactiuam, & potentiam exiccandi: sumpta uerò prout sunt unum in aliqua ratione generica, puta in esse alterabilis ab igne, exigunt in illo potentiam unam genericam communem, nempè alteratiuam ignis, & sic de alijs: Tum quia attingibilitas potest sumi, uel pro sola denominatione extrinseca à potentijs aptis attingere obiecta; & sic unitas eius non fundat, sed supponit potentiam unam, uel plures, iuxta rerum naturas: uel pro aptitudine intrinseca obiectorum, ac ui terminandi actus potentiarū;

&

& sic necessariò requirit in obiectis aliquam rationem, uel formalitatem, ob quàm sint apta eos terminare, & ab ijs attingi: nihil enim esse potest aptum attingi ab alio, nisi in se habeat aliquid undè sit ad hoc aptum; hæc autem ratio in casu nostro non potest esse, nisi ratio perfectiui, aùt alia similis confundens perfectiuum per modum formæ, & perfectiuum per modum finis, aùt quid simile: unde ipsa etiã ratio debet esse confundens, non uerò identificans, aùt impediens plures potentias, ut debita proportio seruetur. Ratio autem generalis à priori est, quia quando sunt plura, ac diuersa obiecta formalia singula per se apta fundare in aliquo peculiarem potentiam, atque adeò omnia simul fundare plures, necessariò fundant plures; neque per hoc præcisè, quòd sint unum in aliquo prædicato cõmuni, possunt ab hac pluralitate impediri, aùt à tali unitate restringi ad unam tantum speciē potentiam, alioquin ea simul essent, & non essent obiecta formalia sufficientia: & ratio magis à priori est, quia obiecta formalia, quantumuis plura, ac diuersa, & sufficientia, semper conueniũt ac sunt aliquo modo unum in aliqua ratione communi generica: hæc tamen unitas non potest esse destructiua talis sufficientię, & efficaciæ in his obiectis, nec transmutatiua eorum de obiectis formalibus in obiecta materialia: uniuersalitèr enim quoties aliquę res sunt per se efficaces ad plura numquam per hoc præcisè, quòd conueniant in aliqua ratione superiori, possunt talem efficaciam, ac uim amittere, ut patet in omnibus; alias essent simul, & non essent efficaces, quòd implicat. In re autem nostra obiecta formalia sunt plura, ac diuersa, & per se singula secundum proprias rationes apta fundare, ac determinare in uno intellectiuo peculiarem, ac determinatam potentiam. Nam esse attingibile uitalitèr per modum formæ intraneę perfectiuę naturæ intellectiuæ habet omnia necessaria ad fundandũ in ea intellectum cognitiuum, cuius perfectio est obiectum intelligibile: esse uerò attingibile per modum finis, ac boni, cuius est attrahere ad se, tanquam ad appetibile, habet omnia requisita ad fundandum appetitum intellectiuum; ergo necessariò fundant plures illas potentias, nec per hoc tantum, & absolute, quòd sint aliquo modo unum in esse uitalitèr attingibilis, possunt restringi ad unam potentiam, & impedire à fundatione plurium: & ex his patet ad alia posita in quinta ratione. Nec refert, quòd ratio boni, & ratio ueri solo cõceptu inter se differant, & tamen sufficiant ad duas potentias; entia autẽ uera sæpè differant realiter, nec ad eas sint satis, sed ad unam tantum: hoc enim oritur ex eo, quia prima est distinctio formalis inter duo apta perficere naturam intellectiuam per diuersos, ac difformes formaliter modos, saltèm adiuncta limitatione potentiæ creatæ: secunda

ali-

autem est distinctio realis quidem, sed materialis. Nec quæcunque distinctio maior inter obiecta est semper radix maioris distinctionis inter potentias, quia fieri potest, vt illa maior distinctio sit in esse rei, & materialis, non verò in esse obiecti, & formalis; distinctio enim formalis attenditur penes obiecta, seù rationes obiectorũ habentium diuersos, ac difformes modos perficiendi naturas perfectibiles; hi enim modi sunt differentiæ per se diuisiuæ obiectorum in esse obiecti. Et demum cùr ratio sufficiens specificare potentiam in natura intellectiua, ut sic, non sit vnitas specifica in esse rei, aùt generica, aùt analoga infra ens, sed debeat esse vnitas in ente ipso, vt vero, sub vno determinato modo; aùt in ente, vt bono, est, quia hæc vnitas in ente sub tali modo, est vnitas rationis formalis, qua scilicet omnia obiecta vel sunt vnum obiectum formale perfectiuum ad modum formę per determinatum modum, & sic est sufficiens specificare potentiam intellectiuam, seù intellectum cognitiuum in qualibet natura intellectiua: vel sunt vnum obiectum formale per modum finis, seù boni appetibilis etiam sub peculiari modo; & sic est apta determinare in eadem appetitum intellectiuum, seù voluntatem: vel sunt vnum in ratione proximè repræsentabilis; ac perfectibilis in proprijs speciebus intentionalibus intelligibilib. & sic est apta specificare in anima rationali intellectum agentem: omnes verò aliæ vnitates infra ens sũt rationum, seù obiectorum materialium, quia sunt talia, vel talia vera participantia rationem illam formæ perfectiuæ, vel perfectibilis in ratione proximè repræsentabilis: vel talia, aùt talia bona habentia rationem illam finis.

Instabis. Plura obiecta formalia verè conueniunt in aliquo prædicato cõmuni, puta in obiecto formali, ut sic, vel alio simili; ergo ratione illius possunt fundare aliquã vnam potentiã; ergo sic etiã possunt in ratione illa vitalitèr attingibilis.

Resp. do antecedens: distinguo primum consequens. si enim sit sẽsus, quòd per propria fundent peculiares, ac specificas potẽtias plures, & per prædicatũ commune, seù ratione eius fundent vnam potentiam communem genericam prædicabilem de ijs sic concedo primam consequentiam, & etiam secundam: verè enim sicut obiectis ipsis, vt plura specie sunt respondẽt plures speciæ potentiæ, siuè in vno siuè in multis subiectis; ita prout sunt vnum in aliquo communi generico, debet respondere vna aliqua potentia generice communis potentijs illis, vt patet in omnibus: si verò sensus sit, quòd obiecta illa, quia pręcisè conueniunt in illo prędicato communi, ideò ratione illius absolute fundent vnam tantã peculiarem, ac specificam potentiã æquiualentem pluribus, nec per propria possint fundare dictas plures potentias, sic nego primam consequentiam, deindè secundam,

& ratio est,quia, vt dixi prædicatũ genericum commune pluribus obiectis formalibus, aptis plurificare potentias, non potest ab ijs tollere hanc aptitudinem, nec impedire quin eas multiplicent.

Vrgebis. Prædicatum genericũ commune pluribus obiectis formalibus est de se aptum fundare in aliquo potentiam particularem,quæ sit vna secundum speciẽ; ergo necessariò illam fundat. Antecedens probatur, quia sensibile, vt sic,quòd est genus ad omnia obiecta formalia sensuum externorũ, fundat in animali non solùm sensũ communem genericum prædicabilem de omnibus sensibus externis,sed etiam sensum internum,qui in se est potentia particularis in essendo, & vna secundum speciem licèt in causando dicatur communis, vt radix sensuum externorum. & ratio est quia quamuis aliquod prędicatum in esse rei sit genus,aùt quasi genus ad plura diuersa obiecta;tamen in ratione obiecti potest esse species, & sic specificare aliquid vnum: vndè ens, quòd in esse rei est genus analogum ad obiecta formalia physicæ, mathematicæ, logicæ,& similium, in esse obiecti est veluti species specificans habitum particularẽ scilicèt metaphysicam: & malitia moralis in communi est genus ad omnes malitias inferiores habituum malorum, seù vitiorum; & tamen in ratione obiecti est secundum aliquos auctores, species, quæ specificat quoddam vitium peculiare, versans circa ipsam, & acquisitum per hos, aùt similes actus frequẽtatos, volo peccare,volo peccare, &c.

Respond. distinguo antecedens si enim velit, prædicatum illud genericum ad plura obiecta formalia ita esse de se aptum fundare in aliquo vnam specie potentiam,vt hęc obiecta non fundent in eo plures potentias particulares, & illa vna possit quicquid hæ omnes possunt, sic nego antecedens,aliàs talia obiecta essent,& non essent formalia. Nec exempla illa probant antecedẽs,cũ omnia sint de pdicato communi ad obiecta fũdãtia plures potentias, vel habitus: nec ratio illa à priori probat oppositũ, vt de se patet.Si verò velit, dictum prædicatũ esse de se aptum ad vnam speciẽ potentiam, illis obiectis fundantibus plures potentias,subdistinguo. vel.n.id intelligitur de illo prędicato, prout præcisè sũt vnũ in eo inuariato obiecta illa plura formalia, sic rursùs nego antecedens; quia nec est verum vniuersalitèr; quando enim potentiæ fundatæ à dictis obiectis, sunt spirituales, iam sunt præcisiuæ, & sic possunt necessariò ferri,tàm circa obiecta particularia quàm circa illud commune prædicatum, ac proindè alia potentia circa ipsum, esset, & non esset superflua; nec est verum simplicitèr in se:quia illud prædicatum eo modo consideratum, est quoddam genus potentiale, natum fundare potentiam genericam communem potentijs fundatis ab obiectis sub eo contentis; ergo vt ipsum possit

esse

esse obiectum fundans aliam potētiam particularem necessariò debet sumi sub aliqua alia ratione ipsum restringente, & aliquo modo variāte, alioquin semper fundabit potētiam tantum genericam; idem enim manens omninò idem, & eodem modo, semper est natum facere idem. Nec ratio, aùt exempla allata pro antecedente, vrgent, quia nec procedunt de potentijs vniuersaliter, nec de his omnia, sed aliqua de habitibus; nec sumunt prædicatum illud tanquam præcisè commune, & prorsus inuariatum, vt patebit. Vel antecedens intelligitur de prædicato communi, vt stante sub aliqua ratione, aùt connotato ipsum coarctāte, & aliqualiter variante, sic concedo antecedens cum consequentia. & hoc modo sensibile in communi, si spectetur solū, & absolutè prout in eo conueniūt obiecta sensibilia fundantia sensus externos, sic obiectiue fundat, seù habet sibi correspondentem sensū genericum de ijs prædicabilem: at spectatum, vt connotans tum eosdem sensus tanquam indigentes vna communi radice, & origine influente in ipsos spiritus necessarios ad sentiendum; tum animal ipsum vt sua natura remote aptum, & indigens discernere vnum sensibile ab alio, & cognoscere sensationes externas, sic fundat quendā sensum internum particularem in essendo, qui tamen dicitur communis in causando, & quasi vniendo externos, & in cognoscendo eorū actus, & obiecta, discernendo ea inter se: sensus enim externi solùm cognoscunt singuli propria obiecta seorsim, nō verò proprios, aùt aliorum actus, & obiecta, quæ omnia habentur in libris de anima: & sic sensus exteriores, nec adæquant vim omnem sentiendi radicalem, seù remotam naturæ sensitiuæ, nec sensibilitatem propriorum obiectorū, quæ sunt cognoscibilia non modo seorsim, sed etiā aliquo modo simul. Vndè fit, vt sensibile in communi sumi possit dupliciter, Primo quatenùs est id in quo conueniunt omnia obiecta sensibilia, in quantum sunt cognoscibilia seorsim per simplices sensationes, atque adeò externas externorum sensuum, seù in quantum sunt immediatè immutatiua sensitiui per species sensibiles externas; & hoc modo, quia sensibile attenditur præcisè, vt vnum quid commune multis sensibilibus fundantibus plures sensus externos, fundat solū sensum communem genericum ad ipsos. Secundo quatenùs est id, in quo conueniunt illa eadem obiecta, in quantum sunt cognoscibilia comparatiuè, & immutatiua sensitiui mediatè per sensus ipsos, & actus externos, vt egentes vna radice influente spiritus; & hoc modo sensibile fundat in sensitiuo vnū sensum internum communem externis in causando. Sic etiam proportionalitèr se habet prædicatum commune obiectis habituum; nam ens e. g. spectatum tantum, prout in eo conueniunt plura obiecta formalia plurium scientiarum

vnius potentiæ, nempè intellectus, sic fundat solùm habitum genericè his communem: inquantum verò, nec ipsum, nec illa obiecta adæquantur per eos habitus, eo quòd illa habent alias rationes, quas inferiores illæ scientiæ non attingunt, vt vnitatem, veritatem, bonitatem, & etiam res spirituales; & in quantum stant sub abstractione ab omni materia intelligibili, nimirum quantitate, & comparantur ad potentiam præcisiuam aptam cognoscere rationes quantumuis abstractas; sic fundat alium vniuersaliorem habitum intellectualem metapysicę, particularem in essendo & eodem fere modo malitia obiectiua in communi, si consideretur absolute, prout in ea conueniunt malitiæ obiectiuæ inferiores specificantes plura vitia, sic fundat solū vitium genericum; sumpta verò secundum suam intrisecam rationē, comparatam similitèr ad aliam potentiam præcisiuam, quæ est volūtas, apta appetere sub ratione boni etiam rationes vniuersales sistendo in ipsis inadæquatè, & solitariè, sic fundat habitum illum peculiarem vitij. Vndè patet prædicata communia, quæ in esse rei sunt generica, vt ratione obiecti fieri possint specifica, & specificare aliquid vnū, debere sumi sub aliqua alia ratione limitante, ac restringente, & aliquo modo variante.

Ac sextam rationem, dato antecedenti, negatur consequentia, & ad probationem nego aliud antecedens: aliqua enim peculiaria intelligibilia non solùm sunt minus apta determinare peculiarem, ac dicto modo limitatum intellectum quàm omnia intelligibilia intellectum vniuersalem, sed sunt simpliciter inepta. & ad probationem antecedentis dico, ideò omnia intelligibilia esse apta specificare in vno intellectu vnum intellectum vniuersalem in cognoscendo, quia omnia conueniunt in ratione entis, aùt veri vniuersalis, conuenientia, & vnitate non qualicunque, sed formali, & in genere obiecti, & perfectiua per modum formę sub vno peculiari modo, nec substrata alteri superiori ea materializanti: peculiaria autem intelligibilia, puta, creata habent quidem peculiarem conuenientiam in ratione peculiaris veri, nimirum creati, & sic aliam; sed materialem, & in genere rei, & non afferentem nouum modum peculiarem immutandi, aùt perficiendi naturam intellectiuam, sed subiectam illi alteri vnitati formali in ratione formæ; & sic sunt omninò inepta tum ex se ipsis determinare peculiares intellectus limitatos, & inadæquatos, tum ex parte intellectus, & vt sic, cui repugnat esse inadæquatum propriæ substantiæ intellectiuæ, eiusque obiectis, quare spectant ad intellectum vniuersalem in cognoscendo, habentem pro formali obiecto dictam vniuersalem vnitatem. Sic etiam omnia colorata habent conuenientiam in ratione colorati, aùt lucidi in communi, alba autem habent inter se conuenientiam peculiarem

liare in in ratione albi, & nigra in ratione nigri, & tamen hæc duo nunc existentia secundum communẽ sententiam sunt inepta fundare peculiares visus limitatos ad ipsa; illa verò sunt apta specificare visum particularem quidem in essendo, sed in cognoscendo vniuersalem circa omnia colorata: quia ea conuenientia, quam habent est formalis, & in genere obiecti, & sub vno modo immutãdi, nec subiecta superiori rationi formali in genere visibilis: conuenientia verò inter alba, & conuenientia inter nigra sunt materiales, & in genere rei, nec afferentes speciales modos immutandi sensitiuum, & sunt substratæ ipsi superiori rationi colorati, aut lucidi, eas materializanti in ordine ad illum visum vniuersalẽ. Ad replicam concedo; non repugnare, quòd aliqua obiecta sint materialia, & formalia respectu diuersarum potentiarum magis, vel minus perfectarum, quando tales potentiæ sunt diuersi ordinis, altioris nimirum, & inferioris; & sunt in diuersis naturis, aut partibus, seu quasi sedibus eiusdem naturæ cum aliqua subordinatione; & obiecta non sunt omninò eadem, sed diuersa saltem quoad modos perficiendi, & rationes attingibiles: & sic se habent obiecta sensibilia respectu intellectus, & respectu sensus, vt patet consideranti: imò etiã respectu sensuum externorum, & sensus communis; hæ enim sunt potentiæ quasi diuersi ordinis, & in diuersis partibus, & organis sensitiui, & inter se subordinatæ; & obiecta illa respectu sensus communis sunt aliquo modo diuersa, & habent alium modum immutandi nempè mediatum per sensus externos sentientes, & à sensu cõmuni sunt cognoscibilia tum comparatiue inter se, tum vt iam cognita per dictos sensus exteriores, respectu quorum aliter se habent, vt supra. At intellectui vnius intellectiui desunt omnes hæ conditiones est enim vnius ordinis, & in vna, eademomninò indiuisibili natura, & eius obiecta sunt semper sub vno, & eodem modo immutandi, ac perficiendi: imò intellectus est ex suo conceptu adæquatus intellectiuitati radicali suæ naturæ, & intelligibilitati obiectorum eius, non sic verò sensus suæ naturæ, & illius obiectis iuxta supra dicta; & sic non possunt eadem obiecta esse materialia, & formalia respectu plurium intellectuum, qui fingantur esse in vno intellectiuo; benè tamẽ possũt respectu sẽsus externi, & sẽsus interni in vno sẽsitiuo. Nõ tamẽ hinc sequitur, quod in homine nõ possit dari sẽsus si solus intellectus est adæquatus in cognoscẽdo illis, & obiectis; non enim dixi, intellectum esse adæquatum toti cognosciuitati, & cognoscibilitati, quæ rationes sunt etiam in sensitiuo, & sensibili, sed toti intellectiuitati naturæ intellectiuæ, vt sic, & toti intelligibilitati obiectorum, quò intelligibilia sunt, seù perfectiua per species intelligibiles præcisè.

Ad 7. rationem nego antecedens; intel-

intellectus enim speculatiuus, & intellectus practicus est vnus tantum intellectus, seù vna potentia intellectiua. tum quia verum speculabile, & verum agibile non sunt differentiæ per se diuisiuæ obiecti intelligibilis in ratione perfectiui per modum formæ secundum esse intentionale respectu naturæ intellectiuæ, non enim variant modum intentionalem, vt sic, & directè, cũ solum ponant non operabile, & operabile: tum quia intellectus, vt sic, est quoddam lumen spirituale; ac proindè ex suo conceptu, & natura est illuminatiuum ex parte sua, & ostensiuum substantiæ intellectiuæ omnis veritatis intelligibilis, & omnis obiecti iuxta illius capacitatem; ergo sicut est per se natus illam illuminare circa obiectum speculabile, seù non operabile, in ordine ad quod dicitur speculatiuus, sic etiam est circa obiectũ operabile, & factibile in ordine ad ꝙ dicitur practicus: accidit.n. tali lumini, ac potentiæ, quòd illuminet circa hoc, vel circa illud obiectum, & quòd eius actio, & illuminatio ordinetur, vel non ordinetur ad opus; id enim contingit ratione materiæ: vndè illa eadem potentia, quæ est sufficiens cognoscere, & ostendere hæc obiecta speculabilia Deus est creator omnium, Deus est Dominus, Deus est vnus, & alia innumera, sufficit etiam ad cognoscenda, & ostendenda ista practica, Deo est impendendus amor, est exhibendus cultus, est seruiendum, & similia, hoc enim necessariò sequitur ex priore, nec maior ad hoc, quã ad illud uis requiritur: tum demum quia vel intellectus practicus ponitur purè ostensiuus obiecti operabilis, & ostendendo directiuus, vel vlterius ponitur præceptiuus, & voluntati quasi intimatiuus operis, non solũ indicãdo, ac iudicãdo, & dictando, quòd hoc hìc, & nunc sit agendũ, sed etiam imperando fac hoc, ne facias hoc, si primum: iam sufficit ad hoc, vt dixi, eadem illa potentia quæ est nata ostendere speculabilia: si secundum: eadem etiam est sufficiens: si enim potest ostendere speculabilia, & de ijs iudicare, sic etiam potest manifestare operabilia, & dictare, ac præcipere circa ipsa tàm iudicando, quòd sint, vel non sint sic facienda, hoc enim est simile, & affine iudicio speculatiuo & materialitèr se habet, quòd sit talis, vel talis naturę; quàm imperãdo dicto modo, quia, si hoc imperium intellectus datur, necessariò est connexum cum illo priore iudicio, ac dictamine, & ex consequenti non transcendit vires illus potentiæ iudicatiuæ, ac dictatiuę, cùr enim transcendat, & ponenda sit noua potentia proptèr solùm hoc imperium? vndè intellectus speculatiuus, & intellectus practicus solùm differunt extrinsecè, & per accidens ex connotatione dictorum, obiectorum, diuersæ quidem rationis inter se, & in ordine ad actus, & habitus, non tamen in ordine ad potentiam, quæ ijs illimitatior est. potest etiam intellectus practicus distin-

distingui à speculatiuo ob extrinsecam connotationem passionis, aut alterius affectus, vi cuius potest incitari ad iudicandum practice hic, & nunc circa aliquod obiectum. & ex his patet ad primam probationem negati antecedentis. Ad alterã nego similitèr antecedēs in ratione enim perfectiui naturæ intellectiuæ per modum formæ intelligibilis longe plus differunt obiectum intellectus angelici, & obiectũ intellectus humani, quod est verum intelligibile, non absolute, sed vt dicto modo perfectiuum; quàm obiectum intellectus speculatiui, & obiectum intellectus practici in eadem anima intellectiua: hæc enim differunt solùm accidētalitèr, & materialitèr, & in genere rei; illa verò essentialitèr, seu formalitèr per differentias per se directè diuisiuas in genere obiecti intelligibilis; quia vnum est perfectiuum per modum formæ per species, vel emanantes ab idæis diuinis, vel acceptas ab obiectis omninò independentèr à speciebus sensibilibus & phantasmatibus; alterum verò est natum perficere per species aliquo modo pendentes ab intentionibus specierum sensibilium, ac phantasmatum, & sic habetur formalis diuersitas in genere obiecti intelligibilis; & hinc negatur consequentia.

Ad 8. rationem nego antecedens ratio enim superior, & ratio inferior sunt vnus tantum intellectus, seù vna tantum potentia intellectiua. Tum quia obiecta intelligibilia vtriusque, sicut, & alia obiecta intellectus habent eandem vim inmutandi, ac perficiendi per modum formæ sub vna determinata ratione ex sæpè dictis: Tum quia ex S. Thoma 1. p. q. 79. a 9. mediũ, & vltimum seù mediũ, & terminus spectant ad eandem potentiam, idem enim est mobile, quod pertrãsiens medium pertransit ad terminum: temporalia autem, quæ sunt obiectum rationis inferioris, & æterna, quæ sunt obiectum rationis superioris, se habent, vt mediũ, & terminus, quia via inuentionis per res temporales cognoscimus ęterna: & rursùs via iudicij per æterna iam cognita de temporalibus iudicamus, & de his secundum illa disponimus; temporalia ergo, & æterna ad vnam, & eandem potentiam spectant: Tum quia alioquin, si ratio superior, quæ vtique est circa æterna, & supernaturalia, esset intellectus distinctus, à ratione inferiori, iam esset intellectus intrinsece supernaturalis, & non esset intellectus naturalis, eleuatus tamen: hoc autem implicat. Vna ergo, & eadem potentia rationis est ratio superior, & inferior: & distinguntur ex August. lib. 12. de Trinit. cap. 4. per officia actuum, & secundum diuersos habitus. Et ad primam probationem dicti antecedentis dicitur, rationem inferiorem regulari, ac dirigi à superiori, non quoad potentiam, sed quoad principia, quibus inferior vtitur. Ad 2. est disparitas. nam appetitus superior, seù intellectiuus, & appetitus infe-

inferior, seù sensitiuus habent omninò diuersa obiecta formalia, hic enim fertur solum in singulare, ac sensibile bonum, ille verò etiam in bonum uniuersale, & intelligibile: vnus est spiritualis sequens intellectum alter corporeus sequens sensum. sunt ergo potentiæ specie distinctę: secus verò se habent ratio inferior, & superior. Ad 3. multi negant antecedens, volunt enim concupiscibilem, & irascibilem in appetitu sensitiuo esse vnam tantū potentiam, quia vnum est eius obiectum formale scilicet bonum sensibile, in quod tendit per actus subordinatos, nempè per actum prosecutionis, ratione cuius dicitur concupiscibilis, & per actum iræ, & impugnationis, ob quem dicitur irascibilis quique ordinatur ad defensionem boni concupiti. Sed tamen transeat antecedens, & negatur consequentia, est enim dispar ratio: quia appetitus sensitiuus est potentia corporea, & ideò est valde limitata, nec potest eadem inuariata attingere obiecta tam diuersa, nempè arduum, & concupiscibile, vndè est duplex potentia necessaria: at intellectus est potentia spiritualis, & altior, atque adeò longe vniuersalior, & illimitatior. Rursùs concupiscibilis, & irascibilis sæpè habent passiones inter se pugnantes; quia anima crebrò aggreditur tristia per irascibilem cōtra inclinationē concupiscibilis: & concupiscentia accensa minuit irā, & ira accensa minuit concupiscentiam. Hæc autem, & similia longe absunt ab intellectu.

Ad 9. nego antecedens quoad vtramque partē. & ad probationē primæ dicitur repugnantiam, cùr in vno Angelo non possint simul inesse duo intellectus connaturales similes, esse quia hi nec possent esse inadæquati, nec adęquati intellectiuitati radicali talis Angeli ob plures rationes supra positas, inter quas vna est, quia alter ex his intellectib. esset, & non esset naturalitèr superfluus, & hic patet alias impugnationes contētas in illa probatione, nos vrgere. Ad probationē, verò secūdę partis patet ex dictis in tertia assertione ex eo præcipuè implicare, poni in Angelo inferiori, aùt vllo alio intellectū, qui esset cōnaturalitèr debitus alteri, siuè superiori, siuè inferiori, siuè æquali, quia id deberet fieri per eleuationem vnius vitalis ad habendum viuo modo aliud vitale debitum alteri vitali, & ipsi eleuato non connaturale: quod repugnat ex eo quia non potest vitale vnius rationis reddi proportionatum alteri vitali, ipsi non connaturale ob cōnaturalitatem ad aliud vitale, alias vtrumque variaretur essentialitèr. Nec vrget, quod dicitur de intellectu creato, & luminæ gloriæ; quamuis enim inter hæc duo in ratione entis, & ordinis non sit minor, imò sit maior improportio, ac distantia, quam inter Angelum, & intellectum, aùt aliquid aliud vitale connaturale alteri tertio; tamen in ratione subiecti, seù perfectibilis, & formæ, seù perfectiui longe aliter se habent, nam

ac-

accidentia supernaturalia, quale est lumen gloriæ, nulli ex entibus naturalibus esse possunt connaturalia, aut debita, sed sunt supra naturã omnium: sunt tamen essentialiter eleuatiua illorum, tota enim sunt ab intrinseco ordinata ad illa perficienda, & trahenda ad altiùs esse, nec propter aliud sunt creata, aut instituta: ad hoc autem non requiritur, quòd illa proportionent aut sibi, aut alteri, cui talia accidentia fiunt connaturalia, seu debita, & quòd ea reddant in se ipsis supernaturalia essentialiter; sed satis est quòd ea perficiant, & imutent supra eorum naturã per esse eleuatiua exigendo ipsa tanquam subiecta perfectibilia talibus accidentibus debita, vt proprium finem consequantur; licet enim hæc accidentia non sint his subiectis debita, quia gratia non est debita naturæ, & hęc illam non præsupponit, tamen hæc subiecta sunt debita illis, vt pręsupposita; gratia.n. essẽtialiter exigit, & præsupponit naturam, quam possit perficere; vndè naturalia entia intrinsecè quidem, hoc est per informationem, sed tamen accidentaliter, & in hoc sensu extrinsece, variantur per accidentia supernaturalia, & proportionãtur, tamũ participatiuè rebus supernaturalibus & denominatiuè. At Angelus, & intellectus extraneus debitus alteri intellectiuo, non ita se habẽt; nam nec intellectus est debitus tali Angelo, nec; hic illi, sed vterque alicui alteri est connaturalis: nec rursùs talis intellectus est eleuatiuus dicti Angeli, aut ipsum exigens, vt proprium subiectum; vndè vt vnus possit eleuari ad alterum intrinsece habendum modo vitali, quod requiritur ad hoc, vt ille Angelus possit intelligere per talem intellectum, necessariò debet eleuari ad proportionem vitalem vnius respectu alteriùs, quia Angelus debet reddi aptus vitaliter ad posse intelligere, & intellectus effici vitaliter aptus, ad posse constituere proximè intellectiuum: hoc autem fieri non potest sine variatione essentiali in vitalitate vtriusque, quod apertè implicat. Nec item vrget alia impugnatio; licèt enim inter intellectum creatum nudè sumptũ, & essentiam diuinam sub ratione speciei intelligibilis, sit longe maior improportio in ratione entis, & naturę, quã inter intellectũ Angeli inferioris, & species intelligibiles proprias Angeli superioris; tamen secus est in ratione principij intellectiui, & formæ intelligibilis: nam sub hac ratione essentia diuina est per lumen gloriæ creatum tanquã per sui dispositionem, ac visionis comprincipium connaturale, eleuatiua intrinsecè, seu informatiuè intellectus ad habẽdam ipsam in ratione speciei intelligibilis; & ille ad hanc eleuationem, & quasi vnionem habet potentiam obedientialem; at species intelligibiles propriæ Angeli superioris, nec per se ipsas, nec per aliquod lumen ad ipsas disponens, sunt vllo modo eleuatiuæ intrinsecè intellectus Angeli inferioris; non enim apparet vllum eleua-

tiuum tale poſſibile ad eas ſpecies inhæſiuè habendas, vndè nec videtur, quomodo talis intellectus poſſit eſſe ad illas eleuabilis per aliquid intrinſecum ad hoc ordinatũ, quicquid ſit, an poſſit eleuari mere extrinſecè à Deo: Sed eſto ſit aptus ad eas eleuari, ſiuè intrinſecè, ſiuè extrinſecè, negatur poſſe ſic etiam eleuari ad recipiendum in ſe intellectum proprium Angeli ſuperioris, licèt enim tam hic intellectus, quàm illę ſpecies ſint formæ accidentales natæ informare naturam intellectiuam; tamen hoc habent longe differenter. nam hęc natura, & intellectus ſe habent vt duo vitalia vnibilia vitalitèr per duas vitalitates proportionatas; quo fit, vt eleuatio vnius vitalis ad vnionem cum altero vitali extraneo, & debito alteri vitali, non poſſit fieri, niſi variatis eſſentialitèr vitalitatibus, quod repugnat: non ſic eſt inter naturam intellectiuam, & ſpecies debitas alteri, hæ enim ſpecies nec ſunt vitales, nec vitalitèr informant, vnde dici poſſet, eas cõnaturalitèr tantum exigere determinatam naturam, & intellectum, & ſic poſſe eleuari, ſaltèm extrinſecè, ad informandam aliam naturã, & intellectiuam potentiam: in quo tamen caſu actus vitalis cognitionis ab his procedens, eſſet alteriùs rationis ab eo, qui foret cõnaturalis, quia eſſet à principijs magis proportionatis. Imò in caſu talis eleuationis contenderet quis, eas ſpecies proprias Angeli ſuperioris, non eleuari extrinſecè, qua ſpecies tales formalitèr ſunt, ad informandũ inferiorẽ in ordine ad actũ vitalẽ, ſed ſolũ, quia accidentia ſpiritualia sũt, aùt quia creaturę ſunt, ſiuè ſint ſpecies, ſiuè alię res; quia ad concurrẽdũ pręcisè actiuè ſimul cũ intellectu ad eliciendum actum aliquem vitalem poſſet Deus eleuare quamcunque creaturam, ſiuè ſit ſpecies, ſiuè non ſpecies, & hoc fortè innuit Capreolus in 3. d. 14. q. 1. a 1. vbi [Non omnis, inquit, actus primus natus immutare formalitèr vnam potentiam vitalem, poteſt mutare indifferẽtèr quãcũque aliam potentiam vitalem in qualicumque gradu, ſicut fortè eſt verum de ſpeciebus intellectus Angelici in comparatione ad intellectum humanum, vel de ſpeciebus imaginatiuæ humanæ, in comparatione ad imaginatiuam, vel æſtimatiuam aſini] Nec demum vrget vltima impugnatio: aio enim non repugnare eandem naturam cognitiuam, virtualitèr tamẽ diſtinctam, ac duplicem, vt eſt anima humana quà ſenſitiua, & quà intellectiua eſt, cognoſcere eadem obiecta per plures potentias; vnam altioris ordinis, & vniuerſaliorem, qualis eſt intellectus; alteram inferioris deſeruientem priori, & limitatiorem ut eſt ſenſus: non ſic verò eſt in caſu noſtro de pluribus intellectibus; hi enim in vna natura intellectiua forent vnius, & eiuſdem ordinis ſimilitèr: nec repugnat, eandem indiuiſibilitèr naturam, imò potentiam cognitiuam cognoſcere eadẽ obiecta per plures habitus, & actus ordi-

ordinum tamen longè diuersorũ, & per modos, vias, ac species valdè differẽtes: hæc enim tendunt ad eandem potentiam diuersimodè perficiendam circa aliqua obiecta eadem materialitèr, sed non circa eadẽ formalitèr, & ita se habent respectu intellectuum beatorum lumen gloriæ, lumen scientiæ infusæ & aliqui habitus naturales eorumque actus, vt dicitur cum de sciẽtia animæ Christi: secus esset in pluribus potẽtijs intellectiuis vnius naturæ intellectiuæ.

Instabis. Intellectus creatus est per eleuationem vnibilis visioni beatæ, alijsque actibus vitalibus supernaturalibus, absque vlla variatione essentiali, tam in his, quàm in illo; ergo multo magis est vnibilis vitaliter alteri actui vitali naturali debito alicui alteri intellectiuo. Probatur consequentia, quia illa vitalia sunt magis inter se vitaliter vnibilia, saltèm per eleuationẽ absque essentiali variatione, quæ in ratione vitalitatis sunt magis inter se proportionata, tanquam potentia, & actus: sed intellectus creatus, & actus intelligendi naturalis debitus alteri intellectiuo, sunt huiusmodi, magis quã intellectus, & actus vitales supernaturales, vt patet; ergò, &c. vndè etiam fit, vt magis etiam sint inter se vnibilia vna natura intellectiua, & intellectus alteri naturæ debitus.

Resp. concesso antecedenti, nego consequentiam. & ad probationem distinguo maiorem; si enim intelligatur de illis vitalibus, quæ se habent tanquam potentia formalitèr, & actus formalitèr, seù sub conuenienti respectu vnius ad alterum, siuè mutuo, siuè non mutuo sed ex parte tantum vnius extremi ordinati ad alterum, ipsumque exigentis, sic conceditur maior, sed negatur minor: intellectus enim creatus, & actus intelligẽdi naturalis debitus extraneo intellectiuo, comparati ad inuicem, non sunt huiusmodi; non enim se habẽt tanquam uitalis potentia formalitèr, nec vt vitalis actus formalitèr: non enim ad se inuicem habent conuenientem respectum potentiæ, & actus, siuè mutuum, siuè non mutuum; nec est inter eos exigentia, etiam ex parte vnius extremi, vnus .n. nõ exigit alterum, nec è conuerso; sed sunt sibi mutuò extranei, vndè inter se se habent, vt potentia, & actus solùm materialitèr, quia materialitèr se habet, quęcumque sit potentia, & alter actus, quia sub his rationibus non se inuicem respiciunt, sed potentia quidem respicit, & exigit alium actum sibi proprium, actus verò aliam potentiam sibi debitam; intellectus uerò, & actus supernaturales se habent ut potentiæ, & actus formalitèr; nã intellectus informatus lumine gloriæ, & actus supernaturales se mutuò formalitèr respiciunt, & exigũt imò intellectus spectatus secundũ se, & illi actus adhùc se habent, ut potentia, & actus formalitèr: quãuis enim intellectus non habeat formalem respectum potentiæ ad illos, sed solùm fundamentalem,

& per non repugnantiam,& ob id nec dicat exigentiam illorum;tamē ijs actus habent conuenientem respectum formalem, ac transcendētalem ad illum, ipsumque exigunt vt subiectum connaturale exigendo etiam lumen in illo, vt dispositionem, nec sunt capaces alteriùs subiecti, sed sua natura sunt toti ordinati ad ipsum perficiendum, & sic inter eos est conuenientia, exigentia, & respectus saltèm non mutuus: Si verò illa maior intelligatur de vitalibus, ut inter se comparata se habent tanquam vitalis potentia materialitèr,& actus vitalis materialitèr; sic nego maiorem; illa enim maior proportio est materialis,non formalis, & sic nō reddit extrema magis vnibilia, etiam per eleuationem.

Vrgebis. Non implicat aliquem intellectum sumi, vt eleuatum per auxilium actuale speciale, vel alio modo,& sic elicere actionem quādam vitalem, quæ sit productio actus vitalis, seù vitalis qualitatis intellectiuæ,debitę,& connaturalis alteri intellectiuo; ergo in hoc casu talis actus poterit recipi in intellectu illo eleuato, & reddere illum intelligentem. Antecedens probatur, quia non apparet vndè implicet actio vitalis, quæ sit elicita ab aliquo intellectu dicto modo eleuato, ipsumque per se exigat, vt exercitium eius vitale, & rursùs sit productio actus alicuius intellectiui debiti alteri intellectui, ita vt ipsa talem actum per se exigat, is tamen actus non exigat illam, sed aliam sibi cōnaturalē actionē:cōsequentia verò probatur, quia hæc actus productio esset actus immanens, & sic recipi posset in illo intellectu eliciente, atque adeò illum denominare intelligentem per talem actum.

Respond. si antecedens velit actum illum vitalem, qui sit qualitas vitalis,produci vitaliter ab illo intellectu, cui est debitus, ac cōnaturalis per propriam actionem vitalem, & nihilominùs ad hanc etiā concurrere merè elicitiuè alium intellectum,vt eleuatum,sic concedo antecedens,sed nego consequētiam; in hoc enim casu intellectus ille eleuatus nō haberet se vitaliter respectu illius actionis, & actus, sed pure actiuè extrinsecè, sicut aqua se habet ad productionem gratiæ: vndè solus alter intellectus reciperet vitalitèr illa duo, & redderetur intelligens: si verò antecedens velit, actionem illam, & actū vitalem elici vitaliter adæquatè à solo illo intellectu eleuato, & nullo modo ab illo alio, sic nego illud: nam esto eleuatio posset præstare, vt is intellectus eliceret, imò etiam reciperet, aliquo modo in se illa duo;tamen hoc non fieret vitaliter, sed solùm mortuo quodam modo: nam ad elicere,& elici vitaliter, requiritur essentialiter accommodatio, & quasi conspiratio inter vitalitatem elicientis, & vitalitatem eliciti, in vltimis ipsarū rationibus, ita vt saltèm hæc per se exigat illā, & ad ipsam perficiendam tota sit ordinata, quo pacto vitalitas visio-

nis

nis beatę per se exigit vitalitatem intellectus creati; alioquin si hæc accommodatio, & quasi consensus desit, iam vitalitates erunt sibi inuicem extraneæ, & merè concomitātèr se habebunt: eleuatio autem nō potest ponere hanc accommodationem, & consensum inter vitalitates extraneas, non enim potest variare intrinsece illarū rationes.& hinc patet ad probationem antecedentis; illa enim actio, & actus vitalis implicant ex extraneitate, & inaccomodatione inter vitalitates illorum, & vitalitatem illius intellectus eleuati: ex his etiam nego cō sequētiā; actus enim ille non posset recipi vitaliter in intellectu illo eleuato, nempè cum aptitudine ad dandum illi suum effectum formalem, qui est esse intelligens aliquod determinatum obiectum, quia hæc aptitudo poscit debitam accōmodationem vitalem inter ambas vitalitates, qua tamen illi carent. Nec dicas, satis esse accommodationē, & conuenientiam in vitalitate intellectiua generica, vt sic, id enim falsum est, tū quia effectus formalis talis actus, vt sic, est specificus, imò numericus, vt nimirum reddat intellectum intelligentem hoc obiectum determinatum vel illud; ergo per se poscit accomodationem specificam, & particularē: Tum quia etiam implicat, ab aliquo actu vitali dari subiecto effectum formalem genericum, si non possit ei dare specificum, & proprium, quia ad hunc directe, & primario ordinatur, & ad illum materialitèr, & consequentèr. Nec rursùs dicas, ad dandum connaturalitèr effectum formalem requiri accommodationem connaturalem, ad dandum verò obedientialitèr, vt est in casu nostro, satis esse accōmodationem obedientialèm, & per eleuationē, ut etiam accidit inter intellectū creatū, & uisionē beatam; nam contra est, quia ad dandū absolutè, & simplicitèr effectum formalem specificum, & proprium formæ, seù actus vitalis subiecto vitali, necessariò requiritur accommodatio, & quasi symphatia inter vtriusque vitalitates intrinsecas, & essentiales ijs; ita vt vitalitas actus seù formæ per se exigat talem, vel talem determinatam vitalitatem subiecto immediato insitam, & essentialem.& hoc ideò quia forma dat subiecto effectum suum formalem dando formalitèr se ipsam, seù propriam entitatem, ac essentiam physicam propriæ entitati, & essentiæ physicæ illius, vndè quando, essentiæ actus, & potentiæ sunt vitales, necessariò debet inter eas esse accomodatio vitalis secundum vitalitates; aliàs quiuis actus, & forma poterit dare proprium effectum formalem indifferentèr cuicunque subiecto: oportet ergo dictam accommodationem inter extrema vitalia esse insitam, seù inditam, & essentialem ijs, & in hoc sensu naturalem, ac proindè inter ipsa in hoc puncto non licèt distinguere accommodationem vitalem naturalem ab accommodatione obedientiali vitali, præcisè quoad vita-

vitalitatem, quia nullum vitale potest esse in potentia obedientiali ad propriam, & innatam vitalitatem, sed ad aliquod complementum eius requisitum, ad dandum, vel accipiendum, vel alio modo causandum effectum formalem viuum. & indè est, quod vitalitas subiecti debet esse accommodata secundū naturam, seù physicam essentiam vitalitati formæ vitalis; id est debet esse talis qualem per se exigit vitalitas ipsius formæ: & etiam si vitalitas subiecti non sit semper per se sola sufficiens ad eliciendum vitaliter aliquem actum; tamen in sua intrinseca vitalitate debet esse per se talis inuariabilitèr, qualem in vitalitate petit esse uitalitas formæ, & sic accidit inter intellectum creatum, & uisionem beatam: hæc enim dat quidem obedientialitèr effectum formalem illi, in quantū ipse eleuatus, & completus, per lumen gloriæ attingit, ac recipit illā; habet tamen ex se insitam, & essentialem uitalitatem accommodatam uitalitati talis uisionis, quia hæc uisio per se exigit non aliam uitalitatem in suo subiecto, quàm uitalitatem intellectus creati, & in ordine inferiori, ac naturali, eleuatam quidem, sed non extractam per uitale aliquod receptiuum nouū à uitalitate propria, & illi insita; & sic uitalitates intellectus creati, & beatę uisionis sunt inter se uitaliter accommodatæ; non quòd uitalitas intellectus exigat illam, sed quia uitalitas uisionis exigit eam uitalitatem intellectus, nec potest exigere aliā.

At in casu nostro prædictus actus uitalis non exigit per suam uitalitatem, uitalitatem illius intellectus extranei, sed alteriùs intellectus, cui ipse est connaturalis; & idcircò non habet uitalitatem accommodatam, & consentientem uitalitati illius: nec per eleuationem potest acquirere talem acccommodationem, cum eleuatio sit inepta uariare uitaliter insitas, ac natiuas rerum uitalitates, ac naturas: atque ita implicat communicatio effectus formalis ab extranea illa forma, & actu, extraneæ illi potentiæ, seù intellectui: siuè ergo effectus formalis unius sit dandus connaturalitèr siuè obedientialitèr, semper poscitur accomodatio connaturalis, hoc est insita, & essentialis extremis uitalibus; quæ quidem tunc est simplicitèr, & adæquatè connaturalis, quando uitalitates extremorum se se inuicem mutuo exigunt; tunc uerò est obedientialis, quando sola uitalitas formæ uitalis per se exigit uitalitatē subiecti, & dispositionē in illo; hęc autē per se nō exigit illā, sed solum habet non repugnantiam, ut per aliquod iuuamen eleuatiuum compleatur ad illam attingendam, & exigendam. Porrò actum uitalē non posse uniri uitaliter potentiæ uitali non propriæ tenet Capreol. in 3. d. 14. q. 1. a. 3. ad 12. cōtra primam conclusionem ubi [Non putò inquit, quòd oculus asini posset efficere uisionem, quam efficit oculus hominis, ac per hoc nec per illam uisionem, qua uidet homo, posset uidere asinus: nec per intelle-

lectionem, qua intelligit Angelus, posset homo intelligere]

CAPVT IIII.

An possit dari natura intellectiua ineleuabilis ad cognitionem, seu visionem intuitiuam Dei.

EX duplici capite potest intelligi oriri hanc ineleuabilitatem. Primo ex perfectione naturæ, quia nimirum potest ea fingi ita perfecta, ut illi sit connaturalis talis uisio Dei, ad quàm proindè non sit eleuabilis, sed per naturales uires possit pertingere. Secundo ex imperfectione, & incapacitate, & extraneitate, eo quòd huius naturæ intellectus ex suo defectu excludat omninò Deum, ut intuitiuè uisibilem, à sphæra sui obiecti, tanquam obiectum omninò extraneũ, atque adeò incapax sit eleuationis ad illius uisionem, & intuitionem. sensus huius dubij est hic secundus solus.

Ratio autem dubitandi est, quia non apparet undè implicet natura intellectiua creata, quæ ex sua ratione formali, & ab intriseco sit ita imperfecta, & limitata, & uisionis Dei incapax, & ad eam ineleuabilis. Nam uel repugnat ex eo, quia intellectiuum, ut sic, est natum, siuè per uires naturales, siuè eleuatas cognoscere intuitiuè omne obiectum in se intuibile: uel quia omnis natura intellectiua creabilis est eiusdẽ ordinis, & seriei cũ intellectiuis naturis iam creatis, quas certum est, eleuabiles esse ad Dei intuitiuã uisionem: uel quia ex iam probatis omne intellectiuum possibile, necessariò potest natura sua cognoscere Deum abstractiue, unde habet illũ intra sphęram sui obiecti; & ex consequenti est eleuabile ad illum clare in se uidendum; ideò enim intellectus omnes nunc existentes, & consimiles, sunt ad hanc uisionem eleuabiles, quia naturalitèr possunt cognoscere Deum abstractiuè ex creaturis: nullum enim aliud caput repugnantiæ assignari posse uidetur. Nihil autem horum trium ostendit implicantiam. Non primum, quia clare petit principiũ. Nec secundum, quia quamuis omnes naturæ intellectiuę creatę, & creabiles sint eiusdem ordinis ualde generici quoad spiritualitatem, exclusiuam materiæ primæ, & inclusiuam potentialitatis similitèr genericæ; tamen non est necesse, quòd sint eiusdem ordinis, & perfectionis quoad uim, & uniuersalitatem intelligendi abstractiuè, uel intuitiuè omnia intelligibilia, cũ capacitate, uel incapacitate eleuationis ad aliqua. Cùr .n. repugnet dari unam seriem naturarum intellectiuarũ eleuabilium ad intuitionẽ Dei, & aliam [illegible] intellectum creatum, ut sic, abstrahat [illegible] que, cum solum dicat, esse uniuersale cognitiuum per species spirituales obiectorum spiritua-

ritualium, & materialium, & ad summum totius entis partim abstractiuè partim intuitiuè cum præcisione à modo cognoscendi per uires proprias, uel eleuatas respectu aliquorum intelligibilium. Nec tertium, quia continentia passiua Dei intra sphęrã obiecti abstractiuè cognoscibilis ab omni intellectiuo possibili,nõ infert euidẽter cõtinẽtiã eiusdẽ, ut intuitiue uisibilis intra eãdẽ sphœrã obiectorũ ab eodẽ intuitiue intelligibilium; cum hæc secunda cõtinentia longe eminentior,& difficilior sit, & specialẽ inuoluere uideatur repugnantiam ob infinitam improportionem tanti obiecti ad talem potentiam. Cùr enim repugnet uis intellectiua essẽtialitèr limitata, & addicta ad cognoscẽdum intuitiue obiecta tantũ creata? Neque intellectus nunc existentes, & alij similes ideò eleuari possunt ad uisionem claram Dei,quia naturalitèr possunt ipsum abstractiuè cognoscere;hæc enim causalis nec ex terminis, nec ex ullo medio innotescit; sed quia fides docet eos esse ex se talis naturæ,ac perfectionis, ut sint huiusmodi eleuationis capaces, quod de omnibus omninò intellectibus possibilibus non docet.

In contrarium est quia intellectus,ut sic, atque adeò omnis creatus, ac creabilis intellectus est cognitiuus entis in quantũ ens est;ergo necessariò potest cognoscere intuitiuè,uel per sua naturalia,vel per eleuationẽ omnia contenta sub ipso ente,inter quę est Deus,ut intuitiuè uisibilis:aut certè quoad hoc non apparet maior repugnantia in aliquibus, quàm in alijs intellectibus. antecedens uidetur notum quasi experientia, & inductione;partim enim experimur, partim habemus ex reuelatione omnes intellectus substantiarum intellectualium iã creatarum esse cognitiuos aliquo modo omnium entium,atque adeò entis, in quantum ens est: undè intellectus noster cum in alijs intellectibus possibilibus non inueniat specialem repugnantiam,& instantiam, necessariò idem de omnibus iudicat, & uniuersali propositioni assentit, ut enim notat Marsilius in 2.q.1.a.2.part.4. [Natura est intellectus humani, quòd cum inuenit uniuersalem aliquam in pluribus singularibus ueram, & non uidet rationem instantiæ,quare non esset ita in omnibus,assentire uniuersali. Patet, quia hoc modo fiunt nota omnia principia, quæ surgunt ex experientia 2.Poster cap.ultimo,& sic experimur in omnibus: nullus enim nostrum est, quin assentiat huic Omnis ignis est calidus, & nõ ex alia uia, quàm prædicta: nullus enim nostrum sensit omnem ignẽ] consequentia patet quia si omnis intellectus creatus, & creabilis est aliquo modo cognitiuus omnium entium,& entis,ut sic; iam sicut intellectus omnes hactenus creati, necessariò possunt cognoscere intuitiuè, uel per sua naturalia, uel per eleuationem omnia contenta sub ipso ente,etiam Deum ipsum; idem poterunt omnes alij intelle-

ctus

ctus creabiles,ac proindè intellectus, vt sic. Vnde fit, vt nullus sit ineleuabilis ad visionem Dei.

Quidam ergo in hac retenent, non implicare naturam intellectiuam ineleuabilem ad visionem intuitiuam Dei. Ita indicat Arriaga quem vidi post institutam hanc quæstionem, 1.p.to.1.tract.de Visione disp.4.sect.5. Vbi [Non videtur, inquit,repugnare de potentia absoluta intellectus aliquis potens naturaliter cognoscere abstractiuè Deum,cui tamen omnino repugnet,etiam diuinitus,eleuari ad videndum Deum.] Probat primò, quia ex tali intellectu nõ sequũtur contradictoria. Nam cognitio abstractiua,cũ sit imperfectior intuitiua, non potest habere essentialem connexionem ex conceptu suo cum intuitiua; ergo potest esse aliqua potentia capax abstractiuæ cognitionis, & omninò incapax intuitiuæ. Imò, quod maius est, nec cognitio intuitiua, licet perfectior sit, habet necessario sibi annexam abstractiuam: sensus enim possunt cognoscere intuitiuè suum obiectum, & nullo modo abstractiuè, etiam diuinitus. Non potest ergo ibi esse aliqua repugnantia in eo, quod vnum separetur ab altero. Secundò. Iuxta veriorem sententiam possibilis est intellectus vnus cognoscitiuus præcisè hominis, non autem angeli, quia istæ cognitiones non habent inter se essentialem connexionem, quod dicit se ostendisse in lib. de anima; ergo recte constat ex eo, quòd nõ sit repugnantia,inferri,posse Deum creare inter potentias spirituales cognoscitiuas, vnam limitatam ad hoc obiectum,aliam ad illud,sicut contingit in materialibus sensitiuis ergo a fortiori poterit esse alius intellectus potens cognoscere Deum abstractiuè, nullo vero modo intuitiuè: maior enim est haec differentia quàm illa. Nomine autem intellectus incapacis visionis Dei debet intelligi etiam substantia intellectiua similiter incapax, cui talis potentia sit propria, Quæ adhuc substantia fingi potest duplex. Vna habens vnum intellectum capacẽ illius visionis, alterum vero incapacem: altera habens vnum tantũ intellectum, eumq; prorsus incapacem eiusdem: & de hac est sensus quæstionis; Et hanc puto dictũ auctorem velle non implicare,hæc in re vera foret simpliciter,& absolutè ineleuabilis ad videndum intuitiuè Deum; non sic illa prior: quam quoque tamen si fortè censeat nec implicare,id iam supra reiectum est,& reijcietur infra.

Dico itaque primò non posse dari angelum, seu naturam intellectiuam angelicam ineleuabilem ad visionem intuitiuam Dei, seu prorsus incapacem huius visionis.

Ratio huius sit, omnes animæ rationales iam creatæ,& aliæ similes creabiles,sunt eleuabiles ad dictam visionem, vt certùm est ex fide; ergò etiam omnis angelus possibilis;ergo nullus angelus dari potest ineleuabilis.secunda consequentia patet. Prima probatur, quia

quia omnis angelus possibilis est, & in spiritualitate, & in gradu intellectiuo simpliciter perfectior omni anima rationali creata, & creabili; est enim angelus, vt sic, natura spiritualis completa, per se excludens non modo dependentiam, sed etiam omnem ordinem informatiui ad materiam, & est totaliter intellectiua, seu cognitiua per intellectum, & per species habentes omnimodam independentiam à ministerio corporis: anima verò rationalis, vt sic, est quidem substantia spiritualis, sed incompleta, includēs intrinsecè ordinem informatiui, & compartis ad materiam; nec est totaliter intellectiua, cum sit etiam sensitiua, seù cognitiua per sensus, & est habens, corpori vnita species intelligibiles à sensibus suo modo acceptas; ergo si omnes animæ rationales creatæ, & creabiles, sunt eleuabiles ad visionem claram Dei, sic etiā est omnis angelus possibilis. Quia vel animæ rationales sunt eleuabiles, supposita potentia diuina, ratione spiritualitatis, vt sic, & ratione gradus intellectiui in communi, & abstractè sumpti; vel ratione spiritualitatis specialis, & gradus intellectiui proprij. Si primùm. ergo necessario est etiam eleuabilis omnis angelus possibilis, & omnes naturæ spirituales, & intellectiuæ creabiles: Si secundùm, ergò est etiā eleuabilis omnis angelus possibilis ratione suæ propriæ spiritualitatis, & proprij gradus intellectiui simpliciter perfectioris. Quia visio intuitiua Dei est summus actus intelligendi, seu est summa, ac suprema intellectio, quæ excogitari possit, vt potens conuenire substantiæ spirituali, & intellectiuæ, nec est reperibils extra gradum spiritualem, & intellectiuum, vt hic suppono, nec est in vlla substantia vllo modo compensabilis, aut supplebilis per aliā perfectionem maiorem ipsi propriam; vt ex se constare potest: ergo si ad talem visionem, & intellectionem est eleuabilis substantia spiritualis, & intellectiua inferior, seù minus perfecta, quales sunt omnes animæ rationales, ratione propriæ spiritualitatis, & gradus intellectiui, necessariò etiam est ad eādem visionem eleuabilis omnis angelus possibilis ratione propriæ spiritualitatis, & gradus intellectiui simpliciter perfectioris. Hæc consequentia est clara, quia est planè inintelligibile, quòd spiritus, & gradus intellectiuus sit ratione suæ spiritualitatis, & intellectiuitatis minus perfectæ capax actus intellectionis, seù visionis tam perfectæ, & longè excedentis omnem alium intelligendi actum; & tamen spiritus, & gradus intellectiuus perfectior, sit & remaneat ratione suæ spiritualitatis, & intellectiuitatis longè perfectioris, omninò incapax eiusdem visionis, & intellectionis; & quòd maior hæc perfectio potentiæ intellectiuæ perfectioris ponat maiorem improportionem, imò & repugnātiam omnimodam ad talem actū intel-

intelligendi, illa vero perfectio minor ponat maiorem proportionē, & capacitatem respectu eiusdem: sicut si sola substantia creata de se actiua posset vi potentiæ obedientialis eleuari ad efficiendum aliquem nobilem effectum, non verò res non actiuæ, vt quidam tenent, esset planè inintelligibile, & impossibile, quod substantia minus perfecta in actiuitate, posset ratione huius minoris perfectionis eleuari ad dictum effectum, substantia verò in actiua vi perfectior, esset ratione suæ perfectionis maioris prorsus ad eundem ineleuabilis: imò si alterutra deberet esse ineleuabilis, potiùs minùs perfecta substantia foret talis, non verò substātia perfectior.

Dices non implicare angelum imperfectiorem anima rationali. Vndè Marsilius in 2.q 7.n.1. [Licèt, inquit, omnes angeli conditi, sint superiores naturalitèr hodie, tamen non videtur implicare, quòd Deus produceret creaturam rationalem per se existērem minùs perfectam, quàm esset anima hominis.] Et Rubionus in 2. d. 14.a 2.sic ait: [Quando dicitur, quòd omnis forma substātialis subsistēs, est nobilior, quàm alia non subsistens, quæ est actus materiæ, potest hoc negari: quià quòd forma aliqua possit perficere materiam, nullius imperfectionis esse uidetur in ipsa. Vndè non videtur Deo impossibile producere formam aliquam intellectiuam, quæ non posset esse actus materiæ perfectiuus, sed esset forma per se subsistens, vt angelus, quæ tamen esset imperfectior anima intellectiua corporis perfectiua: non enim magis vniri materiæ, vt proprio perfectibilis arguit imperfectionem, quàm posse ipsi vniri, vt motorem mobili: nec magis corpus informare, seù uiuificare est imperfectionis, quàm ipsum localitèr posse mouere, & ideò licèt cœlum sit forma subsistens, nō sequitur quòd sit nobilior quacunque alia forma substantiali materiæ perfectiua cùm non posse informare materiā non sit perfectionis, nec eius contrarium imperfectionis.

Sed contra primò, quià verum quidem est, non omnem formam subsistentem completam, seù totalem, & ineptam informare, esse simpliciter nobiliorem quacunque alia forma non subsistente, & informatiua, seù pfectiua materię, quando scilicèt non sunt cætera paria, ob quam rationem cælum, quod secūdùm Auerroem est forma subsistens idest completa, & inepta informare, non est nobilius forma e. g. equi, nec forma alterius viuentis, quæ formæ non sunt subsistentes, sed informatiuæ, & hoc ideò, quià cætera non sunt paria, sed valde imparia; quià cœlum non est viuens; aliæ verò illæ formæ sunt animæ, ac formæ viuentium, habentq; in se gradum vitæ, qui censeri solet perfectior alijs, & per excessum compensatiuus totius illius substantiæ, ac cōpletionis cælestis: at quando in-

formis cætera sunt paria, & in formis non subsistentibus, idest incõpletis, & materiæ informatiuis, deest perfectio eminenter, seù per excessum compensatiua subsistentiæ, seù completionis, ac totalitatis repertæ in formis subsistentibus; tùnc semper forma subsistens, ac completa, & minimè informatiua, est simpliciter perfectior omni alia forma non subsistente, informatiua, seù perfectiua materiæ. Vndè propter hoc, Cælũ est perfectius omni forma sublunari non viuentium, seù quæ non sit anima; sed in re nostra omnis Angelus possibilis, est forma subsistens, hoc est completa, & totalis, & inhabilis informare materiam; omnis verò anima rationalis, quamuis sit forma subsistens in quantùm est independens in esse suo à materia, & apta existere per se separata ab ipsa; tamen non est forma subsistens idest completa, totalis, & inepta materiam informare: sed est forma incompleta, &, vt sic dicam, partialis, & informatiua materiæ, & præter hoc discrimen, cætera sunt in his formis paria; quià ambæ sunt substantiæ spirituales, & vita intellectiua viuentes, & in animabus nihil prorsus est, quod per excessum compensare possit illud esse subsistens completum, & per se exclusiuum rationis informatiuæ conueniens Angelis; ergo omnis Angelus possibilis est simpliciter perfectior omni anima rationali.

Cõtra secundò, quià falsum est, quod dicitur, nullius scilicèt imperfectionis esse in aliqua forma posse perficere materiam: licèt enim sit perfectionis, in quantum forma perficit materiam, actuando illam, & constituendo vltimatè, & complẽdo, ac specificãdo totum compositum, tamen hoc ipsum est etiam imperfectionis præsuppositiuè; in quantum scilicèt præsupponit in forma ipsa esse ens partiale, seù incompletum, seù semiens, & ordinatum ad totum. falsum est etiam, non magis arguere imperfectionem vniri materiæ, vt proprio perfectibili, quam posse ipsi vniri, vt motorem mobili; nec magis esse imperfectionis corpus informare, seù viuificare, quàm ipsum localitèr posse mouere: Tùm quia Deus, secundùm omnes, non potest vniri materiæ primo modo, nempè informatiuè, ob imperfectiones in tali vnione inclusas; potest tamen vniri alteri vt motor mobili, quia hæc vnio est per assistentiam, & est magnæ perfectionis: Tùm quia licèt in forma informatio, ac viuificatio, vtpotè substantialis, dici, & esse possit formaliter perfectior, quàm motio localis, quæ est accidens: tamen præsuppositiuè, vt dixi est imperfectior, quia præsupponit in forma illas imperfectiones, motio verò localis, sicut etiam ratio motoris, licèt quando est radicata in ipsamet virtute informatiua, vt accidit e.g. in anima mouente corpus sibi vnitum, præsupponat easdem: tamen non sic est vniuersaliter; nàm

in

in formis, seù motoribus pure assistentibus, & informare ineptis præsupponit perfectiones contrarias, nempè esse quid totum, esse subsistens, esse per se completum. Vndè ratio motoris abstractè, & in communi sumpta, se habet præcisiuè ad eas imperfectiones, & perfectiones, contracta verò ad motores pure assistentes, includit positiuè dictas perfectiones. Atquè ex his patet esse magnæ perfectionis non posse informare materiam, contrarium verò esse imperfectionis, quia esse quid totum, esse subsistens, esse completum, & esse propter se, non ordinabile per modum partis ad aliud intrinsecè constituendum, sunt conceptus valdè perfecti: esse verò partem, seù ens partiale, seù semiens, & incompletum, & proptèr aliud, seù ordinabile per modum partis ad aliud intrinsecè componendum, ex terminis ipsis constat, non esse tantam perfectionem, imò inuoluere defectum, & imperfectionē. Non posse autem dari substantiā spiritualem, quæ tamen non sit intellectiua ita perfectè sicut Angelus, dicetur cap. 5.

Dices secundò. Potest aliquod accidens Angeli esse minùs perfectum, quàm aliquod accidens animæ rationalis. vt vbi Angelicum, vel relatio prædicamentalis Angeli, qua respicit aliquod corpus tanquàm motor illius, vel modus inhærentiæ videntur esse minùs perfecta quàm aliqua accidentia animæ, vt intellectus, volūtas, & similia; ergò pari ratione poterit aliquis Angelus esse minùs perfectus in sua substantia, quàm anima rationalis.

Sed contra, quia hoc nimiùm probat. Hinc enim infertur, animam rationalem esse perfectiorem omnibus Angelis existentibus, & hos esse minùs perfectos, quia aliqua accidentia horum sunt minùs perfecta, quàm aliqua illius. Imò etiam infertur, summum Angelorum esse minùs perfectum, quam sint alij Angeli, & anima ipsa. Imò etiam hinc sequitur, Angelum esse minùs perfectum, quàm substantiam viuentem corpoream, quia dicta accidentia Angeli sunt minùs perfecta, quàm aliqua accidentia equi, e. g. qualia sunt potentia visiua, vel visio.

Contra secundò, quia ab accidentibus ad substantiam non semper bene arguitur quoad perfectionem; sed solùm quando tota collectio accidentium vnius substantiæ comparatur cum tota collectione omnium accidentium alterius: vel quando perfectissimum accidens vnius comparatur cùm perfectissimo accidente alterius, Ergò quamuis aliquod accidens Angeli sit minùs perfectum, quàm aliquod accidēs animæ rationalis, quia tamen tota collectio accidentium Angeli, vtpotè includens accidentia scilicèt intellectum, voluntatem, eorumq; actus, quæ sūt perfectiora omnibus accidentibus animæ rationalis, est longè perfectior tota collectione accidentium eius-

eiusdem animæ, indè est quod Angelus secundam substantiam est perfectior, non autèm minùs perfectus, quàm anima: Atquè idem colligitur ex eo, quòd perfectissimum accidens Angeli, nempè intellectus, aut voluntas, est perfectius perfectissimo accidente talis animæ, nimirùm intellectu, aut voluntate. Nequè verò necesse est, omne accidens substantiæ superioris esse semper perfectiùs, omni accidente inferioris: sicùt nequè semper necesse est, omnem speciē contentam sub genere nobiliori, esse perfectiorem secundum specificam differentiam omni specie contenta sub genere minùs nobili, de quo aliàs.

Dices tertiò esto omnes Angeli possibiles, sint superiores, ac perfectiores animabus rationalibus; non tamen hinc fit, omnem perfectionem natam conuenire his, debere etiam conuenire illis: aliquæ enim perfectiones conuenire possunt aliquibus substantijs inferioribus, non verò superioribus: vt esse incorruptibile, conuenit materiæ primæ infimæ substantiæ, nec tamen conuenit multis substantijs illa superioribus: & esse productiuum substantiæ per eductionem formæ ex materia, est perfectio, quæ naturalitèr inest plurimis substantijs inferioribus, & tamē deest Angelis, qui sunt substantiæ longè superiores, ac perfectiores. Cur ergò sic dici non potest, de eleuabilitate ad Dei visionem, quod scilicèt conuenire possit animabus rationalibus, & non omnibus Angelis possibilibus, licèt perfectioribus?

Sed tamen cōtra est, quia tunc solùm aliqua perfectio conueniens substantijs inferioribus, non potest conuenire superioribus, quando non conformis, sed est repugnans harum perfectioni essentiali maiori, & eminentiori, & per excessum compensatiuæ illius: & quando ex tali conuenientia sequitur incōueniens: Vndè quia esse corruptibile originatur ab independentia in proprio esse à materia sublunari quæ est principium intrinsecum corruptionis, propter quod S. Th. 2. c. g. c. 74. ait [esse intellectus possibilis est magis firmum, quàm esse materiæ corporalis.] quia inquit Ferrar. [materia secundùm suā essentiam, & naturam est principium variationis, & transmutationis, non autem intellectus] benè potest conuenire ipsi materię, quæ vtiquè independens est à se ipsa; non potest tamen conuenire multis substantijs materia superioribus, & qualia sunt elementa, & mista animata, & inanimata, quia est repugnans ipsorum perfectioni nempè esse essentialiter tota quædam completa, & composita, ex actu seu forma, & materia ipsa sublunari, quæ perfectio est longè maior, & altior, & omninò illis essentialis, & est eminenter compensans incorruptibilitatem materiæ, quæ est semiens, incōpletum, partiale, & potentiale; & ex eo quod ea perfectio ijs conueniat, sequitur absur-

absurdum, quòd scilicet nullę substantiæ forent corruptibiles, sed omnes incorruptibiles: sic etiam in creaturis esse productiuum substantiæ per eductionem illam, quia fundatur in similitudine, & proportione agentium in esse compositi substantialis cum effectibus producendis, & requirit potentiā actiuam ad certos specie effectus; ideò bene potest conuenire plurimis substantijs inferioribus, scilicèt corporeis, seù compositis, singulis tamen proportionatè, & accomodatè ad suos effectus, & insuper ex tali conuenientia nullum sequitur inconueniens: Non potest tamē cōuenire superiorib⁹ substātijs scilicèt Angelis; Tū quia ea perfectio non est conformis, sed difformis, & repugnās illarum perfectioni, quæ est, quòd sint substantiæ simplices spirituales, & intellectiuæ abstractæ à materia, eiusque compositione, & omninò improportionatæ in esse effectibus materialibus, scilicèt cōpositis substantialibus: quæ sanè perfectio est longè altior, & eminentior, quia actualior, & est illis intrinseca, & essentialis, & cum excessu supplens, & compensans actiuitatem illam substantiarum corporearum: Tùm quia si tale esse productiuum substantiarū per eductionem conueniret Angelis; sequeretur, quęcumque Angelum ad nutum suæ voluntatis posse producere ex materia quamcunq; formam educibilem, etiam possibilem, quia non foret maior ratio de vna forma, quàm de alia, cùm quilibet Angelus sit superioris ordinis respectu cuiusque rei generabilis: est autèm absurdissimum, tùm in ratione naturali, tùm in fide nostra, asserere, posse Angelos quascunque res producere, citra animam rationalem, & immutare ad nutum suæ voluntatis, vt bene notat Suarez tom. 2. Metaph. disp. 55. sect. 6. & multi sic intelligunt quod Ad Hebreos 2. dicitur. [Non enim Angelis subiecit orbem terræ:] satis enim esset illis subiectus; si possent in hoc inferiori orbe quascunque res ex sua voluntate generare, aut corrumpere.

At verò quādo perfectio conueniens substantijs inferioribus est insignis, & eminens, & non est difformis aut repugnans alicui alteri perfectioni intrinsecæ substantiarū superiorum, sed est etiam perfectiua illarum, nec est compensabilis eminenter per aliquam altiorē perfectionem earundem, neque in ijs ponit aliquod inconueniens, necessariò etiam conuenit substātijs superioribus, quia hæ sunt simpliciter perfectiores, & maior harum perfectio non debet ab ijs arcere tantum bonum, ut dixi supra; & patet in omnibus rebus: tùnc enim signum est perfectionē illam insignem conuenire vtrisque substantijs ratione alicuius gradus aut prædicati ijs communis, cui primò, & per se conuenit: Sed ita accidit in puncto nostro, ergò &c. Minor probatur, quia eleuabilitas ad visionem claram Dei est perfectio eminentissima, & summa, nec est

est difformis, aut repugnans alicui altiori perfectioni vllorum Angelorum possibilium, quæ sit apta compensare eminenter, & cum excessu ipsam eleuabilitatẽ, aut visionem ipsam claram, vt de se patet: nec similiter pugnat cum gradu ipso intellectiuo speciali taliũ Angelorum proprio: quia si pugnaret, vtique hoc foret nõ propter extreitatem huius intellectiui a gradu intellectiuo, sicut auditiuum est extrà gradum visiui, sed propter debilitatem, & vt sic dicam, infirmitatem talis intellectiui in vi intelligendi: esset enim eius intellectus adeò debilis, & infirmus, vt non posset eleuari ad tam altam, & eminentem visionem, & haberet ipsam sibi omninò extraneam: Hoc autem falsum est; quia intellectus animæ nostræ rationalis est debilior, & magis infirmus; & tamen est eleuabilis ad eam visionem; ergò etiam alius ille intellectus qui est minùs debilis, imò fortior: neque minor debilitas, & fortitudo, seù virtus vt iam dictum est, potest ponere impedimentum, & impossibilitatem ad id, ad quod maior debilitas, & minor virtus ponit capacitatem: & si dicta eleuabilitas, & visio est perfectiua intellectus, & intellectiui minùs perfecti, minusq; efficacis; necessariò est etiam perfectiua intellectus & intellectiui perfectioris, & efficacioris, & sanè, si alteruter ex his intellectiuis deberet esse incapax eleuationis ad actum tàm eminentem, potius deberet illius esse incapax intellectus debilior, & minùs fortis, quàm intellectus minùs debilis, & fortior. Nec demùm ex eo, quod si huiusmodi eleuabilitas inesset Angelis, aliquod incõueniens indè sequi posset, neq; enim vllum prorsus apparet, quod assignari possit; ergò &c.

Dico igitur secundò Nullam animam rationalem dari posse, etiã si foret diuersæ speciei, & inferior animabus nostris, quæ sit ineleuabilis ad claram Dei visionem.

Prima ratio sit. Omnis anima rationalis, etiam inferior nostra, foret creata ad imaginem, & similitudinem Dei, ac sanctæ Trinitatis; ergò foret capax visionis claræ eiusdem Dei; ergò nulla dari potest ineleuabilis ad illam. Vltima consequentia patet. Antecedens probatur: quia omnis anima talis haberet rationem, atque intelligẽtiam, qua omnibus esset præstantior animalibus, ut ex se constat. Vndè ob hoc ipsum foret creata ad dictam imaginem, sicut ob hoc fuit sic creata anima nostra, vt docet Augustinus 12. Ciuit. c. 23. [faciamus] inquiens, [hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Talem quippè illi animam creauit, qua per rationem, atque intelligentiam omnibus esset præstantior animalibus.] & de Genesi ad litteram in catena Lippomani in cap. 1. Genes. ait, [Propter excellentiam rationis, secundum quam ad imaginem Dei, & similitudinẽ efficitur homo separatim de illo dicitur &c.] Et idem ibidem, Non ad

Antecedens deindè principale quod scilicèt substantia illa Deus homo potuisset dicto modo esse causa meritoria gratię patet, & gloriæ, quia etiā, vt homo, & secundū quòd viator habere potuisset operationes liberas, et bonas, vt infra quæ ex vnione illius humanitatis ad Verbum accepissent ab eo dignitatem, & valorem infinitum, & ordinari potuissent à Deo ad illud præmium, accedente etiam diuina promissione si ad meritum opus esset: hæc enim omnia clara sunt ex ijs, quæ de Christi meritis dicūtur, & probantur in tractatu de incarnatione, est enim eadem vtrobique par ratio; ergo vel illæ operationes fuissent ordinis supernaturalis, & elicitæ per virtutes per se infusas, & hoc modo omninò certum est, eas futuras fuisse meritorias de condigno, & superabundanter totius illius præmij, quia fuissent illi proportionatissimæ, & habuissent omnes alias conditiones ad tale meritum requisitas: vel fuissent aliquæ supernaturales, aliæ verò ordinis naturalis, & virtutum acquisitarum moralium: & iam illæ supernaturales: fuissent sic meritoriæ: alias verò morales naturales futuras fuisse adhùc etiam sic meritorias, sic ostendo, nam si tales actiones fuissent ab ea substantia relatæ, & ordinatæ ad illud idem præmiū per imperium charitatis, aùt alio actu supernaturali, vtique fuissent etiam eiusdem præmij meritoriæ tum quia totum hoc à scholasticis conceditur operationibus moralibus Christi, & in re nostra est par ratio: Tum quia id etiam admittitur in actionibus moralibus iustorum pro se ipsis, dicto modo relatis, & ordinatis, ex eo quia quamuis huiusmodi actiones in se ipsis, & in sua entitate non sint supernaturales,

les, possunt tamen causalitèr, & moralitèr supernaturales dici quatenùs dignificantur à iustitia, seù gratia habituali, & ab actibus supernaturalibus imperantibus, & ordinantibus procedunt, vt hic suppono tanquam verum ex materia de gratia, & merito: ergo id etiam admitti debet in operationibus moralibus, de quibus agimus. si verò hæ operationes sint merè morales, & ordinis naturalis, nec relatæ ad finem supernaturalem, sic etiam sunt modo prædicto meritoriæ in illa substantia, quæ foret Deus homo. Quia, vt bene notat, & probat Suarez 3. par. tom. 1. disp. 39. sect. 2. [Christus meruit per omnes actus liberos suæ voluntatis, etiam si illi fuerint ordinis naturalis, vt sunt amor naturalis Dei & actus aliarum virtutum moralium acquisitarum. Quia omnes illi actus erant honesti, & à Christo referebantur in supernaturalem finẽ; & quamuis non referrentur, sola dignitas suppositi deificantis illos satis esset, vt haberent omnem proportionem, & valorem ad meritũ] & paulo inferius [Christo, inquit licèt hæc relatio de facto non defuerit, sola dignitas personæ, & gratiæ vnionis, ob excellentiam eius ad hoc sufficeret, quia dignitas meriti non fundatur in physica entitate, sed in valore morali, quem participare potest actus à gratia, vel forma supernaturali, etiam si ipse naturalis sit] & demum sic concludit [licèt in Christo nullum esset donum gratiæ creatum, nec supernaturalis cognitio, sed sola vnio, potuisset in illo esse condignum meritum cuiusuis supernaturalis præmij, intercedente sufficiente ordinatione diuina, seù promissione sub conditione talis operis, quia in illo opere re vera esset sufficiens valor, & dignitas.] ergo idem contingeret in operationibus illis in proposito nostro etiam si non referrentur in vllum finem supernaturalem. Rursùs omnes actus virtutum moralium acquisitarum sunt meritorij de condigno in homine iusto, etiam si fiant sine supernaturali relatione charitatis, aùt altertùs, virtutis infusæ, vt tenent multi Theologi, & tribui etiam solet D. Thomæ, & antiquis Thomistis, teste eodem Suarez tom. 2. de gratia lib. 12. cap. 10. & est probabile. Vndè quidam ex his supponere videntur, ad meritum de condigno non esse per se, ac simplicitèr necessariũ auxilium gratiæ actualis, sed sufficere gratiam habitualem, quæ dignificando personam, dignificat etiam omnes bonos actus eius, & reddit acceptabiles, ac gratos Deo; ideoque licèt sint ordinis naturalis, eleuat illos, vt sint apti ad meritum de condigno etiam essentialis præmij; ergo si sola gratia habitualis est ad totum hoc sufficiens, multo magis erit sufficiens sola gratia vnionis, & persona diuina, &c. Imò esto non foret verum gratiam habitualem dignificare illos actus naturales, ex eò, quia quamuis dignificet personam in se ipsa, nō ta-

tamen eam dignificat, vt principium actuum moralium mere naturaliùm; quia est gratia accidentalis, atque adeò, nec constituens, nec complens principium illorum sed pure concomitanter, materialiter, & per accidens se habens ad ipsos, vtpotè ex illa, nec immediatè, nec mediatè per aliquod donũ illi coniunctum manantes; tamen verissimum est in casu nostro vnionem, & Verbum sua dignitate dignificare actus eius morales naturales, conferendo his infinitum valorem in ratione merendi etiam præmium supernaturale essentiale. Quod patet ex eò, quia sicut dicitur de Christo suo loco, ita dignitas talis suppositi operantis per humanitatem foret substantialis, & constituens ipsum suppositum per se operans, & naturam illam complens substantialitèr in sua existentia; redditque subsistentem, & perfectam, atque adeò aptum principium quo talium operationum, & ideò dignificans intrinsecè ipsum dignitate infinita: ergo foret etiam illis conferens infinitum valorem, & æstimationem, ac dignitatem in ratione merendi etiam præmium essentiale, vt constat in operib. moralibus Christi. Itẽ in morali ęstimatione, ac dignitate tã superat naturalis amor, aùt naturalis oratio Christi supernaturalẽ amorẽ puri hominis iusti quã Christus ipse, purũ hominem; hic.n. dignificatur finite, Christus verò simplicitèr infinitè; ergo longè perfectius habent actus illi Christi meritum de cõdigno etiam respectu præmij essentialis, quàm illi actus puri hominis, ergo, quia eadem prorsùs ratio militat, idem dicendum in puncto nostro, &c.

Dices primò. Meritum condignum præmij supernaturalis debere esse proportionatum ipsi pręmio; actus autem illos, quia forent liberi quidẽ sed pure naturales, & circa Deum immediatè, vel mediatè, vt finẽ naturalẽ, ideò nõposse esse proportionatos præmio supernaturali, qualis est gloria, & gratia.

Sed contra quia non est necesse meritum etiam condignum, esse proportionatum physice, seù in propria physica entitate suo præmio supernaturali, sed sat est, si sit huic proportionatum formaliter in valore, ac dignitate morali, deriuata in ipsum actum meriti ex aliquo alio actu, vel principio supernaturali: sed totum hoc reperiretur in illis actibus naturalibus, ergò. Maior videtur clara, nàm in primis simile quid accidit in alijs rebus: Gratiarum enim actio e. g. vt censeatur sufficienter correspondens, & proportionata beneficio accepto, non est necesse, vt in sua entitate physica sit æquè perfecta, ac illud, sed satis est, vt in valore morali, & in esse virtutis, & gratitudinis sit æqualis: deindè actus morales naturales boni iustorum sunt meritorij de condigno gloriæ, & augmenti gratiæ, & tamen non sunt in sua physica entitate proportionati tali præmio, quod vtiquè est entitatiue supernaturale, sed solum in valore morali manante

te ab ipsa gratia habituali, vel immediatè secũdum aliquos, vel medio aliquo princpio, aut auxilio illi proportionato. Ratio autèm à priori est, quia in merito, id quod est formale, morale est: & ex morali æstimatione pensandum, cùm formaliter sit valor, & dignitas, vltimò superueniens actui secundum prudens iudicium, & æstimationem: ipsa vero physica entitas actus est potiùs materiale, & quasi substratum ipsius valoris, ac dignitatis, & moralitatis; vndè in tantum cõferre potest ad meritum, in quantum conferre potest ad valorem &c. ergò licet possit meritum condignum esse proportionatum etiã in physica entitate, ac perfectione suo præmio supernaturali, & frequentissime ita sit; hoc tamen non est semper necesse, sed sufficit, si sit illi proportionatum formaliter secundum moralem valorem, & proportionem: Per hoc enim sufficienter distinguitur meritum cõdignum ab omni alia re, nec assignari potest vllum caput, ob quod requirat aliam proportionem in entitate, ac perfectione physica ad suum præmium supranaturale. Minor verò, quod scilicet totum hoc reperiatur in illis actibus naturalibus, probatur. Quia actus illi, esto in sua entitate physica forent naturales, nec procedentes ab habitu, aut actu supernaturali eos referente in finem supernaturalem, aùt ab aliquo auxilio gratiæ, & ideò ex hoc capite nullo modo forent supernaturales nec secundum se, neque vt coniuncti habitui, aùt actui supernaturali, tamen re vera forent actus suppositi diuini operantis per humanitatem sibi substantialiter vnitam, & illa infinita quadam dignitate dignificatam, & ad subsistere diuinum, & summæ supernaturale eleuatam, vndè & ipsi etiam infinitam dignitatem, & valorem acciperent ab eodem supposito infinito, quia hoc ipsum moraliter informaret eosdem actus secundum totam suam dignitatem, & vt substantiale suppositũ operans, vt quod, atquè adeò moraliter influens in eos: & ob hanc rationem illi possent dici operationes theandricæ, & deificatæ in eo sensu, quo Nazianzenus oratione 1. de filio dixit, in Saluatore velle totum esse deificatum: vndè etiam possent dici supernaturales in se moraliter, & æquiualenter ob moralem influxum receptum à supposito illo diuino, quod respectu cuiusuis naturæ creatæ est supernaturale in supremo ordine supernaturalitatis, & ideò quicquid perfectionis ex parte actuũ deest, compensatur ex dignitate ipsius, in quo tota hæc sufficientia, & perfectio eminenter continetur: & hoc maximè verùm esset si vnio illius humanitatis ad tale suppositũ, nõ foret aliud, quã ipsamet productio, & conseruatio illius, quæ proindè foret substantialis, & in entitate supernaturalis, sicùt & vnio: quò etiam fit, vt ipsa humanitas foret per vnionem supernaturalè producta, & per vnionem con-

conseruata, ac proindè ab ipsa gratia vnionis ad diuinum suppositũ propriè, & à priori pendens, & cõsequenter omnes eiusdem humanitatis operationes forent pendentes à priori ab eadem gratia, & ab eadem simul, & à supposito supernaturaliter dignificarẽtur. & ita tenent aliqui de Christi humanitate, & vnione, eiusque operationibus, vt Augustinus Bernal de Incarnatione disp. 55. sect. 2. mordicus cõtendit. Et demum proportio, & æqualitas physica inter meritum condignum, & præmium supernaturale satis est, si sit inter rem illam, quæ est præmium, & illam, quæ est radix, & quasi forma, ex qua sumitur valor meriti, & hæc in proposito nostro reperitur.

Dices secundò. Actus illos naturales non esse capaces tantæ dignificationis, & valoris, ac proindè nec vnionem posse hanc illis conferre, actus verò supernaturales ex parte sua esse sic capaces, quia sunt altioris ordinis.

Sed contra, quia actus ij naturales sunt capaces vnionis ad Verbum secundum hypostasem, non minùs quàm sint capaces actus supernaturales, vt constat in actibus naturalibus liberis Christi Domini; ergò hoc ipso sunt capaces illius dignitatis, æstimationis, & valoris, sicùt actus supernaturales. Item humanitas secundum se spectata, & in entitate sua, est substãtia naturalis; vt ex se patet, & tamẽ quia est capax vnionis ad diuinũ suppositum, hoc ipso est capax infinitæ dignitatis; ergò sic etiam illi actus naturales. ex parte verò ipsius vnionis est sufficiens ius ad eos sic dignificandos, nam gratia habitualis etiam si sit accidentalis est ex se mediatè, vel immediatè sufficiens conferre actibus bonis etiã naturalibus, valorem, & dignitatẽ merendi de condigno: ergò non minùs, imò multo, & infinitè magis gratia vnionis, quæ substantialis est, est de se simul cum diuino supposito sufficiens ad conferendam ijsdem actibus dignitatem, longè, & infinite maiorem.

Nec refert, quòd gratia habitualis, siuè per se, siuè per alios habitus infusos sibi coniunctos, reddat potentias subiecti efficaciores, & potentiores ad operandum, non sic verò gratia vnionis, quæ non immutat, nec auget potentias humanitatis, sed solùm ipsam reddit subsistentem, terminatam, ac cõpletam in esse existentiæ: nàm secundum multos auctores gratia habitualis est ex se ipsa immediatè sufficiens conferre valorem, & dignitatem ijs actibus, ex eo quia dignificat personam per modum primæ radicis in suo genere in ordine ad beatitudinem supernaturalem, absquè vllo alio actu supernaturali alterius habitus infusi, aut auxilij gratiæ referente illos in istũ finem, & talis sufficientia est in priori signo, quàm potentiæ reddantur efficaciores, & potentiores, non quidem circa hos actus naturales, sed circa supernaturales, hoc enim habet se consequenter ad na-

tu-

turam illius gratiæ, quæ est veluti essentia, cui sunt debiti illi habitus eleuatiui, & confortatiui illarum potentiarum circa supernaturalia, & insuper etiam si gratia habitualis sit nata conferre dictum valorem, & dignitatem, dignificando personam per modum primæ radicis accidentalis, & quasi naturæ in ordine supernaturali, atq; adeò exigendo eos habitus immutatiuos potentiarum; tamen hæc est ratio quidem sufficiens ad sic dignificandum actus illos naturales: non tamen est ratio præcisa, & adæquata, quia præter hanc dari potest alia forma, aùt quasi forma longè altior, & excellentior nata per se ipsam substantialiter sanctificare, & dignificare infinitè naturam humanam, ac proindè omnes eius potentias, & naturales operationes illas quasi informando; exigendo etiam per modum primæ radicis substantialis ipsãmet gratiã habitualem, & alios habitus infusos immutantes, & augentes potentias circa actus supernaturales, absquè eo quod ipsa forma tales potentias physicè immutet; aùt augeat, & hæc forma est gratia vnionis, seù suppositum ipsum diuinum huic naturæ hypostaticè vnitum,

Dices tertiò humanitatem supradictam supponi incapacem visionis beatæ, ac proindè solùm posse dignificari tàm in se, quàm in suis actibus, in ordine ad beatitudinem naturalem, seù in ordine ad Deum, vt auctorem naturæ, & finem naturalem, cuius tantum capax est, Verbum enim dignificat assumptam naturam iuxta eius capacitatem, & non aliter, undè posset illa humanitas habere suam naturam integram, per hoc quod foret rectè ordinata, & subiecta Deo ut auctori, & fini naturali, & persona illa operans per eam naturam posset esse causa meritoria beatitudinis naturalis, & ordinatorum ad ipsam, etiam alijs.

Sed contra quia illam incapacitatem male, ac falso supponi arguitur ex eo, quia persona subsistens in illa humanitate, & per eam operans, est sanctitatis & dignitatis, & excellentiæ simpliciter infinitæ, & continens in se eminenter omnes perfectiones omnium bonorum, ac donorum etiam supernaturalium creatorum, ac creabilium; ergò aùt talis persona naturam illãm rationalem non sanctificaret propriè, nèc dignificaret, perindè ac si ea foret irrationalis, quòd de se constat esse falsum; aùt eam sicùt proprie sanctificaret infinite, ita etiam infinite dignificaret, quia secundum se totam, & secundum totam dignitatem suam, quæ simplicissima est illam informaret; & consequenter etiam actus illius quasi vltima forma infinitam dignitatem, ac valorem conferès in ordine ad merendum etiam dona supernaturalia; & ob hoc necessario foret illa humanitas capax visionis beatæ. Itẽ illa humanitas esset saltẽ capax vnionis ad suppositum diuinum in ordine

S

dine ad merendum; hoc enim negari non potest; ergò ipsum posset ita illam sanctificare, & dignificare, vt per eam, eiusq; actus posset hic homo Deus esse causa meritoria alteri naturæ capaci visionis beatæ alterius vnionis hypostaticæ saltem quantum ad illum modum quem in tali natura poneret, ob proportionem talis præmij ad tale principium, sic enim in omni sententia dicitur Christi meritum habere sufficientem valorem ad merendum vnionem hypostaticam, vt refert Suarez de Incarnat. disp. 4. sect. 4. ergò vere posset illa humanitas dignificari in se suisq; actibus non solùm in ordine ad beatitudinem naturalem, sed etiam ad supremum donum supernaturale, qualis est illa vnio; ergo verè posset hic homo Deus mereri de cõdigno illi alteri naturę intellectiuæ etiam donum visionis beatæ, valdè enim mirum esset, si posset mereri donũ maius, non verò donum minus illi naturæ, quæ foret vtriusque caput, quia videtur ex se notùm, quod causa meritoria de condigno præmij maioris, possit etiam esse sic meritoria præmij minoris alicui naturæ, quando hæc est capax vtriusque, & vtrumque præmium est perfectio simplicitèr, & magna illius; & persona conferens dignitatem, ac valorem merito est continens eminenter omnia hæc præmia. & ita accidit in proposito, vt patet. Prætereà. Ille Deus homo plus posset mereri alijs, quàm quælibet pura creatura intellectualis posset acquirere sibi positis requisitis, vel mereri alijs, quis hoc neget, stante tàm magno excessu illius super istam? sed beatitudinem naturalem posset quælibet ex his acquirere sibi, positis requisitis, nempè auxilio necessario primæ causæ, libertate in actibus, &c. alia verò dona naturalia extraordinaria, vt est aliqua integritas naturæ, & specialia quædam auxilia, posset in institutione, & ordinatione diuina quælibet ex ijs creaturis mereri alijs tãquam morale caput ipsorum, vt dici solet in tractatu de Incarnat. etiam in ordine gratiæ; ergo ille Deus homo posset mereri alijs plus; ergò posset dona supernaturalia, & non tantum illa naturalia: & ex consequenti illa humanitas posset esse dignificata in se, & in suis actionibus, etiam moralibus naturalibus, etiam in ordine ad beatitudinem supernaturalem, vndè male, & falsò supponitur tanquam incapax illius.

Dices quarto, vt aliqui actus sint merita actualia præmij supernaturalis, debere posse referri, & ordinari à merente in tale præmiũ per actum similitèr supernaturalẽ: actus autem illos morales naturales non posse sic referri ab illo operante, quia iam supponeretur capax actuum supernaturalium, quæ est petitio principij.

Sed adhùc contra est, quia in ijs actibus naturalibus foret saltèm intrinseca condignitas, & moralis proportio ad illud præmium deriuata ab infinita excellentia suppositi.

eti operantis, quæ condignitas est id, quod est principale, ac formale in merito de condigno; ergo in ijs actibus, & tali merito inesset necessariò omnis alia minùs principalis ratio, seù conditio accessoria requisita ex parte operantis, & etiã ipsorum ad hoc, vt possint esse actualia merita, nam, & accessoriũ sequitur principale, & alioquin omninò frustra, imò fictitia esset tota illa condignitas, & moralis proportio ad illud præmium, si esset incapax complementi ex parte sua, & ex parte operantis necessarij ad esse actualis meriti; ergo hinc per mediatam consequentiam infertur, & probatur posse à tali meréte referri actus illos in illud præmium per actum supernaturalem, & sic non petitur principium. deinde quilibet merens, potest per actum suum condignum intendere etiam intentione, ac relatione ordinis naturalis consequi omne præmium determinandum ab eo, apud quem meretur, absque eo, quod ipse operans determinatè, & particulariter, ac distinctè cognoscat ipsũ præmiũ, cùr enim id repugnet? ergo in casu nostro posset ille merens apud Deum actus suos naturales dicto modo dignificatos referre per actum similiter naturalem in omne præmium determinandum ab ipso Deo, etiam supernaturalem specificati e etiam si ipse tale præmium, quatenùs supernaturale est, non cognoscat, neque in ipsum vt tale est, actus illos suos supernaturali relatione nõ referat. Domũ quamuis inter homines, seù in iustitia humana fortasse necessarium sit referre meritum in præmium cognitum, & etiam in merendo apud Deum interueniat actus aliquis supernaturalis referés vel signatè, vel exercitè, & ad maiorẽ cõnaturalitatẽ id deseruire possit; tamen absolutè, & simpliciter non est semper necessarium, quod ipse operans, cognoscat per principium quo operandi, præmium, quod suo actu meretur apud Deũ, & ad idem referat actum suum, sed sufficit ordinatio Dei propter efficaciam, & supremum dominium voluntatis diuinæ, quæ vt obligationem inducat, vel ius cõplés meritũ cõferat, nõ indiget alterius acceptatione, vel cõsẽsu vel relatione, seù ordinatione, sed solùm sufficit, vt conditio operis habentis in se sufficientem valorem impleatur; & esto etiam ad id requiratur diuina promissio, potest hæc fieri pro actu morali, etiam naturali, dignificato, in ordine ad merendum complete illud præmium, quod ipsi Deo placuerit.

Dices vltimò esto ille Deus homo posset mereri alijs visionem beatam, non propterea illum in sua humanitate, seù quatenùs homo foret, debere esse capacem eius quia visio Dei propriè, & per se nõ requiritur ad merendum, etiam de condigno.

Sed tamen contra est; quia aliud est loqui de visione ipsa actuali, seù exercita, aliud de capacitate eius, nam prima quidem absolutè non

est necessaria ad merendum, quia nec est principium meriti, nec aliquid requisitum simpliciter ad ipsum, cũ ex se habeat rationem supremi præmij, & vltimi finis quo creaturę intellectualis. Et insuper anima Christi etiam vnita Verbo de potentia absoluta potuisset carere tali visione aliquo tẽpore, & ita illam de condigno mereri, nulla enim in hoc apparet implicantia. At verò secunda, id est capacitas eius, videtur debere esse necessariò præsupposita ad illud præmium merendum, vt patet ex supradictis, & probatur adhùc. Primo, quia meritum condignum visionis beatæ respicit illam, vt supremum præmium, ad quod primo, & per se habet condignitatem, tanquam ad eminens, ac vltimum bonum perfectiuum naturæ intellectiuæ, vt sic, id est secundum intellectum, atque adeò nullum ex natura sua includens, aùt supponens in suo perfectibili defectum moralem; ergo tale meritum secundum hunc respectum ad tale præmium, est illi omninò proportionatum, & moralitèr æquale in dignitate, ac perfectione; ergo principiũ merens, quod ob suam magnam nobilitatem, ac perfectionem est capax tanti meriti in se, & habet virtutem ponendi in se illud non posset ob suam nobilitatem, & intrinsecam perfectionem esse incapax præmij, seù boni correspondentis adeò illi proportionati: aùt à se illud omninò excludere non enim videtur idem prorsùs merens posse in se habere, seù fundare cõditiones adeò contrarias. ergo necessariò est etiam capax huius boni, vel illud in se necessariò includit, & ex consequenti capacitas visionis beatæ est necessariò præsupposita ad illam merendam. Secundo probatur ex opposito, quia substantia intellectualis, quæ ob suam perfectionem est capax tanti boni scilicèt eiusdem visionis non potest ob sui imperfectionem esse incapax meriti condigni eiusdē m per se loquendo, sed potest illud mereri, positis requisitis; potest enim à Deo accipere gratiam habitualem, habitus infusos, et auxilia gratiæ necessaria, & sic mereri sibi, vel etiam alijs, si à Deo constituatur caput illorum morale in ordine gratiæ. ergo sic vice uersa, &c. quia ideò substantia capax dicti præmii, est etiam capax dicti meriti quia hæc duo sunt valdè inter se proportionata, Nec tamen dico, vniuersalitèr quicunque est capax in se meriti cōdigni alicuius boni, seù doni esse etiam capacem in se eiusdem doni, id enim falsum est, quia non semper concurrunt omnia prędicta ad talem capacitatem: vndè Christus fuit capax in se meriti cōdigni respectu remissionis peccati pro alijs, & etiam veræ contritionis pro peccatoribus; non tamen fuit capax in se talis remissionis aùt contritionis pro se, nam hæc duo, nec sunt supremum præmiũ, seù bonum respectu meriti condigni, & insupèr supponunt præcedentem defectum moralem in subiecto

iecto capaci eorum, nec Christus fuit incapax eorundem ob suam aliquam imperfectionem, sed ob summam perfectionem, scilicèt impeccabilitatem. quo fit, vt nec ècontra sit vniuersalitèr verum, omnem substantiam capacem alicujus boni, aùt ipsum in se includêtem, esse capacem pro se meriti cõdigni respectu illius: nam qui est in peccato mortali, est capax remissionis à Deo concedendæ non tamen potest illam de condigno mereri, & substantia, quæ est Deus homo, est quidem intra se includēs vnionem hypostaticam, non tamen potest habere meritum condignũ pro illa eadem respectu sui, quidquid sit de alia vnione respectu aliorum, aùt etiam respectu sui in ordine ad aliud suppositum diuinum, & ratio est, quia hæc duo nõ possunt habere debitam proportionem, & correspondentiam ad meritum condignum, sed habent improportionem, & extraneitatem ad illud: nam respectu amborũ deest in subiecto, aut quasi subiecto principium merendi de condigno prærequisitum ad sic merendum, quod quidem respectu remissionis peccati est gratia habitualis, respectu verò vnionis est ipsamet vnio, vt ratio qua, quę quidem vnio non potest præsupponi ad se ipsam.

Secundum argumentum principale pro assertione. Eleuabilitas ad visionem Dei conuenit substantijs intellectiuis existentibus, quales sunt Angeli, & animæ rationales, nèc potest irrationalibus conuenire, vt patet; sed non conuenit Angelis ex eo præcisè, quia sunt substantiæ intellectiuæ tales, seù determinatæ, quasi hæc taleitas, seu determinatio sit præcisa, & adæquata ratio huius eleuabilitatis, alioquin eleuabilitas non posset conuenire ijs animabus. Neque his conuenit ex eo præcisè, quia sunt substantiæ tales, seù determinatæ, alioquin non posset conuenire Angelis; ergò conuenit Angelis, & animabus ex eo quia substantiæ intellectiuæ vt sic, quæ est ratio communis vtrisq; neque enim videtur assignari posse quodnam sit illud intellectiuum commune substantijs adeò differentibus in vi intellectiua, quod possit esse vtrisque ratio, seù radix huiusmodi eleuabilitatis ijs æqualis, præter rationem substantiæ intellectiuæ, vt sic in communi, seù præter gradum intellectiuum omnibus communem, ergò qnia huiusmodi gradus intellectiuus est communis non solùm dictis substantijs intellectiuis, scilicèt Angelis, & animabus, sed omnibus omninò substantijs intellectiuis actualibus, & possibilibus, quæcumque illæ sint, iàm omnes prorsus erunt eleuabiles ad eam visionem, ac proindè nulla dari potest substantia intellectiua ineleuabilis ad eandem. Et explicatur hoc magis, quia eleuabilitas ad Dei visionem non debet sequi solùm adesse intellectiuum perfectum, & efficax, nèc debet proportionari intellectiuo perfectiori, & efficaciori alioquin non posset conuenire minùs

minùs perfecto, seù minùs efficaci: quod falsum est, quia videmus illā cōuenire intellectiuo siuè perfectissimo, siuè perfectiori, & firmiori, siuè minùs firmo, seù debiliori; ergò signum clarum est, illam fundari in intellectiuo, vt sic in communi, atq; adeò conuenire omni intellectiuo creato, & creabili; ergò nullum dari potest ineleuabile.

Tertium argumentum à priori, quia si aliquis intellectus posset esse ineleuabilis ad visionem Dei, vel hoc esset ob distantiam intellectus creati, vt sic ad Deum, in perfectione, vel ob aliquam distantiam specialem, & propriam, vel disproportionem, seù extraneitatem, qua Dei essentia foret extra facultatem talis intellectus, quasi aliquid omninò extraneum ab ipso; neque sanè apparet alia possibilis radix talis ineleuabilitatis. Non primum, quia omnes prorsus intellectus habent distantiam infinitam ad Deum in perfectione, & tamen non omnes sunt ineleuabiles ad eam visionem, sed innumerabiles sunt eleuabiles, vt constat. Nèc secundum, quia hęc distantia specialis non potest esse minor, quàm distantia aliorum, alioquin intellectus de quo agimus, esset etiam eleuabilis, sicùt illi, imò potiori ratione: nèc potest esse distantia maior, quàm aliæ aliorum intellectuum, quæ minores sunt. Tùm quia inter intellectus existentes secundum communem sententiam aliqui sunt perfectiores in ratione, ac perfectione essentiali atque adeò minùs distantes à Deo secundum se, aliqui verò sunt minùs perfecti, ac proindè sub maiori distantia ad Deum, & tamen non propterea hi sunt ineleuabiles, cum omnes sint eleuabiles, vt patet. Tùm quia maior distantia à Deo est sufficiens ad modum concipiendi minùs perfectè, siuè minùs clarè, siuè per species minùs vniuersales eadem prorsus obiecta connaturalia, quæ ab intellectibus habentibus minorem distantiam intelliguntur modo perfectiori clariori, aùt vniuersaliori, vt patet in intellectibus existentibus; ergò maior distantia præcisè non sufficit ad causandum in aliquo intellectu ineleuabilitatem ad visionē Dei, sed plùs aliquid ad hoc requiritur. Tum quia hæc maior distantia à Deo in casu nostro si dicatur esse ea quæ conuenit intellectui infimo, non quidem actuali, sed possibili, id neque valeat; quod benè probat S. Thomas 3. con. g. c. 57. comparando distantiam à Deo intellectus supremi cùm distantia intellectus infimi ab ipso supremo sic enim ait; [Distantia intellectus secundum ordinem naturæ supremi ad Deum est infinita in perfectione, & bonitate; eius autèm distantia ad intellectum infimum est finita: finiti autèm ad finitum non potest esse infinita distantia; igitur distantia, quæ est inter infimum intellectum, & supremum, est quasi nihil in comparatione ad illam distantiam, quæ est inter supremum intellectum creatum, & Deum. Quod autèm est quasi nihil

non poteſt variationem ſenſibilem facere, ſicut diſtantia,quæ eſt inter centrum terræ,& viſum, eſt quaſi nihil in comparatione ad diſtantiā, quæ eſt inter viſum noſtrum, & ſphæram octauam;ad quam tota terra comparata obtinet locum puncti, & propter hoc nulla ſenſibilis variatio fit per hoc, quòd Aſtrologi in ſuis demonſtrationib. vtuntur viſu noſtro, quaſi centro terræ,Nihil ergò differt quicunque intellectus ſit,qui ad Dei viſionem per lumen prædictum eleuetur vtrum ſummus, vel infimus, vel medius,] Quæ ratio eſt valida etiā in intellectibus poſſibilibus,quia vniuerſalis eſt, & poteſt ſic declarari. Diſtantia cuiusuis intellectus creati, etiam ſupremi, à Deo in perfectione,eſt infinita; ergò ſicùt illa diſtantia,quantumuis infinita, non impedit in intellectu ſupremo eleuabilitatem ad viſionem Dei, ità nec impediet in intellectu infimo,quia hic non diſtat ab illo, niſi finitè, intra gradum intellectiuum; & ex conſequenti talis diſtantia eſt quaſi nihil reſpectiuè ad diſtantiā intellectus ſupremi ad Deum, & idcircò in ordine ad videndum ipſum Deum, per eleuationem,vtraque diſtātia pro æquali reputatur, vndè quo ad hoc non poſſunt tàm notabilem variationem cauſare. Quòd indè patet, quia maior aùt minor perfectio, & maior, ac minor diſtantia intellectiua ad Deum ſecundum ordinem naturæ ſtat materialiter circa eleuabilitatem ad Dei viſionem, neque ad hanc attenditur,aùt formaliter ſe habet illa maioritas,aùt minoritas; ob hanc enim rationem intellectus exiſtentes,quamuis inter ſe magis, ac minùs perfecti,ac magis, & minùs à Deo diſtantes ſunt ad ipſam viſionem æqualiter eleuabiles; ergò etiā in intellectu infimo minor perfectio naturalis,& maior diſtātia ad Deum, & in intellectu ſupremo maior perfectio naturalis, & minor diſtantia ad eundem ſtāt materialiter circa dictam eleuabilitatem nullam cauſando in hoc varietatem; alioquin etiam in illis alijs intellectibus cauſaret aliquam varietatem circa eandem: ſi enim diſtantia minor in ſupremo intellectu cauſat, vel ſecum affert eleuabilitatem, & diſtantia maior in intellectu infimo, ponit eleuabilitatem;ergò ſignum clarum eſt,maiorem,& minorem diſtantiam, vbicumque ſint, de ſe multū facere ad illa duo;aliàs nec in caſu noſtro quicquam facerent, quia nulla eſſet maior ratio; ergò neceſſariò inter alios intellectus eleuabiles reperiretur magna diuerſitas; qui enim habent minorem diſtantiam ad Deum, magis eleuabiles; qui verò habent maiorem, eſſent minùs eleuabiles,& ſic ſemper aſcendendo, & deſcendendo, quia illa diuerſitas diſtantiarum inter eos intellectus, ſi non ſtat materialiter non poſſet non facere longè plùs varietatis circa eleuabilitatem, quàm faceret diſtantiarum æqualitas, vt ex ſe clarum eſt. Vndè adhuc ſequitur intellectum infimum, quia

quia ad ipsum descenditur maiorando semper distantiam quasi vniformiter difformiter inter alios ipsi propinquiores, non fore prorsus ineleuabilẽ, sed fore minùs eleuabilem, quàm sint omnes alij, hoc est ad minorem visionem, quia distaret magis, quàm illi, nec ab ipsis distaret tantùm, quantùm distaret à Deo. Hæc autèm hic suppono esse absurda. Quæ eleuabilitas ad Dei visionem ex parte eleuabiliũ fundatur indiuisibiliter in gradu intellectiuo, vt sic omnibus intellectibus communi; maior autèm, & minor distantia inter eos ad Deum stat materialiter, alioquin dicta inconuenientia necessario sequerentur. Itèm inter sensus externos, qui est supremus non propterea est eleuabilis circa obiecta aliorum, qui verò est infimus, ideò est ineleuabilis; sed omnes sunt ineleuabiles iuxta communem opinionem ob peculiares rationes ergò intellectus qui est supremus, licet sit eleuabilis circa Deum, vt intuibilem, non tamen hoc habet, quia est supremus: intellectus verò infimus non propterea erit ineleuabilis, quia est infimus, sed illorũ eleuabilitas, vel ineleuabilitas aliundè mensuranda est.

Insuper. Hæc eleuabilitas est ad supremam perfectionem, scilicèt visionem Dei nulli prorsus intellectui creato vel creabili debitam iuxta communem sententiam, sed omnibus æqualiter indebitam, & supra omniũ naturales vires æqualiter eleuatam, non autèm magis supra vires vnius, quàm supra vires alterius, alioquin aliquis ex his naturaliter posset eam consequi; ergò non potest fundari supra maiorem perfectionem alicuius intellectus, sed absolutè super intellectu, vt sic, atq; adeo conuenit intellectui, etiam possibili.

Nec demum dici potest tertiũ de illa disproportione, & extraneitate; quia ex eodem S. Thoma 3. con.g,c.53 [Diuina substantia non sic est extra facultatem intellectus creati, quasi aliquid omninò extraneum ab ipso, sicùt est sonus à uisu, vel substãtia immaterialis à sensu, nàm ipsa diuina substantia est primum intelligibile, & totius intellectualis cognitionis principium, sed extra facultatem intellectus creati, sicùt excedẽs virtutem eius, sicùt excellentia sensibilium sunt extra facultatem sensuum. Vnde & Philosophus in 2. Meta. dicit, quòd intellectus noster se habet ad rerum manifestissima, sicùt oculus noctuæ ad lucem] Tùm sic, Deus est primum intelligibile, & principium totius intellectualitatis creatæ, in quo etiam includitur quòd sit primum intellectiuũ; ergò respectu intellectus creati, vt sic, se habet ad obiectum super excedens illum in infinitum, intra latitudinẽ intelligibilis, & intellectiui; ergò non est obiectum illi disproportionatum, seù ab illo omninò extraneum. Hæc consequentia probatur, quia sic se haberet superexcedens illum in infinitum intra illam latitudinem; alia enim ratio assi-

assignati non potest, vt etiam ostẽdam infra; sed hoc est falsum; ergò. Minor probatur, Tùm quia de facto propter huiusmodi infinitum excessum, & super minentiam non est obiectum disproportionatum, & omninò extraneum intellectibus existentibus, aliàs non esset visibile ab ijs. Tùm quia tale obiectum, vt potè immateriale non est ita alienum, ac disparatum ab intellectu creato, qui etiam est immaterialis, sicùt substantia immaterialis à sensu, qui est materialis; neque sicut est sonus à visu, quia illa substantia propter illam discõueniẽtiã, nec intuitiue, nec abstractiue, seù arguitiue est cognoscibilis à sensu, & similiter nec sonus à visu; Deus autẽ est cognoscibilis abstractiuè ab intellectu creato vt dictũ est. Tùm quia excessus, seù superioritas obiecti supra potentiam cognoscitiuam in perfectione non est vniuersaliter causa sufficiens disproportionis, seù extraneitatis quasi extrahant illud obiectum ex sphæra obiecti adæquati talis potentiæ, vt clarè patet in Angelo superiori respectu intellectus Angeli inferioris: nec rursus est causa præcisa, seù adæquata; nam sonus non habet excessum in perfectione supra auditum, seù potentiam auditiuam, nec supra alias potentias sensitiuas, imò est inferior, & exceditur ab ijs, vt potè potentijs vitalibus; & tamen excepto visu, est alijs sensibus omninò disconueniens, & extraneus; nec rursus excessus infinitus obiecti supra potentiam est necessarius ad disproportionem, & extraneitatem, nàm spiritus creatus non excedit in infinitum, sicùt Deus, potentias sensitiuas, & tamẽ est illis disproportionatus, & extraneus. ergò ex eo quod Deus intra latitudinem intelligibilis, & intellectiui excedat in infinitum intellectum creatum, non sequitur, quod sit illi obiectum simpliciter disproportionatum, & omninò extraneum; sufficit enim si ob hoc sit illi prorsus indebitum, & improportionatum quantum ad vires eius connaturales, ita vt per has præcisè ex intrinseca debilitate, & insufficientia, non autèm ob coniunctionem ad aliud impediens, non posset illud immediate in se attingere: & præterea, quod per nullam potentiam, etiam obẽdientialem possit illud compræhẽsiuè cognoscere, ergò tandem hinc concluditur, non solùm intellectui creato, vt sic, sed nulli prorsus intellectui creabili, Deũ in vnione obiecti intelligibilis esse posse disparatũ, & omninò extraneum; hoc enim probât fere omnia dicta. Quæ autẽ sit causa disproportionis, & extraneitatis inter aliqua obiecta, & aliquas potẽtias dicã capite sequenti.

Dices, Deum vt clare visibilem non esse disproportionatum, & extraneum intellectui creato vt sic, neque omni intellectui creato, aùt creabili, sed alicui intellectui creabili ob propriam, & intrinsecam huius limitationem. Sed contra, quia Deus in ratione obiecti abstractiue, seù arguitiue cognoscibilis non posset tali intellectui ob

quamcunque sui limitationem esse disproportionatus, & extraneus quia huiusmodi potentia spiritualis siuè foret Angeli, siuè animæ rationalis, etiam inferioris animabus nostris posset naturaliter cognoscere se ipsam, & propriam substantiam intellectiuam, hoc enim esset obiectum ipsi maximè proportionatũ, saltèm secluso impedimento corporis, si foret intellectus animæ, aùt certè, quia in hoc nulla fingi potest repugnãtia, posset diuinitus eleuari ad compræhensionem sui ipsius, & talis substantiæ, qua cognitione stante, iam ipse bene cognosceret, nec se, nec suam substãtiã esse à se ipsis, sed esse effectum superioris causę, & sic p.r discursũ aùt alio modo euidenter arguitiuè, & abstractiuè cognosceret Deum creatorem, sicut eum cognoscunt aliæ substantiæ, siuè magis, siuè minus perfectè; ergo ob solam, ac puram limitationem talis intellectus erit quidem Deus, vt clare visibilis, super excedens in infinitum in perfectione virtutem illius, & in hoc sensu improportionatus intra latitudinem gradus intellectiui, non tamen erit obiectum illi omninò disparatum, disproportionatum, & extraneum propriè loquẽdo. Tum quia alioquin tale obiectum supponeret in tali intellectu impotentiam cognoscendi ipsum abstractiuè, sicut disproportio, & extraneitas obiecti spiritualis supponit in sensu impotentiam cognoscendi ipsum etiam abstractiuè, & similiter in vno sensu particulari supponit impotentiam cognoscendi etiam abstractiue obiectum alterius sensus disparati: Tum quia aliàs ob idem caput foret idem obiectum omninò disparatum, disproportionatum, & extraneum omnibus alijs intellectibus qui etiam sunt limitati; & maior, aùt minor limitatio stat materialiter. Tum quia alius est conceptus disproportionis, seù extraneitatis, alius conceptus excessus, etiam infiniti, obiecti respectu potentiæ, vt ostensum est; nam prior dicit, quod obiectum secundum se sit prorsùs disparatum, & nullo modo contẽtum intra sphæram obiecti adæquati talis potentiæ, atque adeò nullo modo sit attingibile ab ipsa etiam eleuata, sed sit spectans ad aliquam potentiam penitus disparatam; alter verò nempè excessus in proposito est triplex; nimirũ excessus obiecti spiritualis supra potentiam materialem, & hic est cum disproportione, & extraneitate alius est obiecti spiritualis finiti supra intellectũ inferiorẽ, & hic excessus dicit tantũ, quod hæc potẽtia possit illud obiectũ naturalitèr cognoscere minùs perfecte, & non compræhensiuè secundum plurimos auctores: tertius excessus est obiecti infiniti scilicet Dei supra intellectum creatum: & hic excessus infinitus spectari potest, vel prout est Dei, vt inuisibilis, vel vt incomprę hensibilis. Primo modo dicit solùm quòd hoc obiectum ra ione suæ infinitæ perfectionis sit improportionatum intellectui

creato

creato quoad modum eius connaturalem, & ideò per vires eius naturales non possit intuitiuè videri, non ergo vlterius dicit disproportionem, aùt extraneitatem, & disparationem simpliciter, ratione cuius, nec per eleuationem non possit videri. Secundo modo dicit, quod illud obiectum ratione suæ perfectionis habeat per excessum omnimodam, & totalem improportionem cum illo intellectu tam quoad vires eius naturales, quā quoad vires eleuatas, ita vt per nullam potentiam possit ab illo comprehensiue videri. An verò hæc improportio sit vocanda disproportio, seù extraneitas, seù disparatio, quæstio est de voce. Propriè verò disproportio, seù extraneitas obiecti respectu alicuius potentiæ, est quādo obiectum non solùm prout cognoscibile tali, vel tali modo, sed etiam secundum suam naturam, & prout est cognoscibile simplicitèr, est illi disproportionatum, & extraneum, & extra obiectum adæquatum illius potētiæ, & spectat ad aliam potentiam; sicut est ens spirituale respectu potentiæ sensitiuæ, & color respectu auditus, aùt sonus respectu visus, &c.

Dices secundo non implicare intellectum, qui sit talis naturæ, vt Deum non possit cognoscere, nisi abstractiuè, sicut imaginatio non potest cognoscere obiectum nisi abstractiue.

Sed contra quia intellectus, vt sic est potentia immaterialis, & eleuatior quouis sensu, & ex sua natura nō est incapax, sed capax cognitionis intuitiuę, vt sic, cū multa possit intuitiue intelligere; ergo cū omnis intellectus possit cognoscere Deum abstractiue, & innumeri intellectus etiam intuitiue, iam hoc etiā poterit omnis intellectus possibilis, & implicat intellectus, qui sua natura sit restrictus ad solam vim cognoscendi Deū abstractiue ob rationes allatas: secus est in imaginatione, quæ essentialiter est sensus internus, & materialis, & limitatus, & affixus organo interno, & ideò impotens attingere obiecta externa in se ipsis intuitiue, sed solùm potens ea attingere abstractiuè in eorum imaginibus interioribus; si uerum est talem potentiam habere solùm vim cognoscendi abstractiuè. Item intellectus si foret incapax visionis Dei, hoc esset ob huius infinitum excessum supra ipsum, hinc autem non potest haberi talis incapacitas vt fusè dictum est. at imaginatio non est incapax ob excessum perfectionis obiectorum sensibilium supra ipsam, sed ex alligatione ad organum internum, vndè potest prouenire, vt obiecta sensibilia externa non possit immediatè in se ipsis, sed solùm in interioribus repræsentantibus cognoscere; atque adeò abstractiuè tantum. Præthereà. Illa paritas de imaginatiua nimium probaret. Nam imaginatiua in cognoscendo est per se subordinata ad sensus externos, sicut, & organū illius ad organa illorū in receptione specierū

intentionalium; ergo uis illa imaginariuæ cognoscendi obiecta abstractiuè est per se cum subordinatione præsupponens in sensibus externis vim cognoscendi illa obiecta intuitiuè, & transmittendi species ad ipsam imaginatiuam. aliàs nunquam potentia illa interior posset quicquam cognoscere modo connaturali, ergo cognitio imaginatiuæ quamuis formalitèr sit abstractiua, tamen causalitèr passiuè, seù præsuppositiuè est intuitiua, quia est per se pendens à cognitione exreriori sensitiua intuitiua præcedente tempore, vel natura; proptèr quod S. Thomas q. de malo a.12. ad 2. [Vis, inquit, imaginatiua non est in actu perfecto omniũ intelligibilium, sed reducitur in actum per impressionem sensus. est enim phantasia motus factus à sensu secundum actum, vt dicitur in lib. de anima.] Ergo si ille intellectus ex hac paritate esset abstractiuè potens cognoscere Deum, necessariò hoc esset cum subordinatione per se ad alium intellectũ eiusdem substantiæ intellectiuæ potentem cognoscere intuitiuè idẽ obiectum, vndè in hac substantia visio intuitiua Dei præcederet cognitionem abstractiuam eiusdem. Quod omninò falsum est, tum ob multiplicationem talium intellectuum in vna substantia omninò impossibilem; tum quia cognitio abstractiua Dei est merè naturalis, vndè nullo modo potest præsupponere visionem Dei, sed solùm cognitionem intuitiuam effectuũ, in quibus, vel ex quibus in abstractiuam cognitionem eiusdem Dei deuenitur.

Dices tertio Deum, vt clare visibilem, esse disproportionatum, & extraneum illi intellectui, non propter excessum illum infinitum sed ex propria natura; sicut accidẽs spirituale est obiectum disproportionatum sensui, non propter infinitum excessum, sed ex proprijs naturis, sicut etiam sonus est obiectum disproportionatum visui, non ob excessum in perfectione, sed quia hę duæ res sunt talis, vel talis naturæ, quod nobis notum est à posteriori.

Sed contra quia si talis extraneitas non attenditur ex illo excessu, sed solùm ex naturis, ergo Deus potest esse obiectum extraneum indifferenter illi intellectui, & alijs intellectibus possibilibus, qui sunt simpliciter perfectiores intellectibus nunc existentibus, vt vere esse posũt, quia hoc potest oriri ex rerum naturis; ergo aliquę substantię intellectiuæ simpliciter perfectiores possibiles esse possunt incapaces visionis Dei, cuius aliæ minus perfectæ sunt capaces, sicut visus, qui est perfectior auditu est incapax auditionis soni Hoc autem absurdum est, & supra improbatum. Deinde si hæc extraneitas, & dispositio est similis, aùt proportionalis illi, quę est inter accidens spirituale, & sensum, vel inter sonum, & visum; ergo sicut hæc duo obiecta non solùm, vt cognoscibilia intuitiuè, sed etiam, vt simplicitèr cogno-

gnoscibilia, sunt omninò disproportionata ijs potentijs, ita Deus, non modo, vt clarè visibilis, sed simplicitèr, vt cognoscibilis, etiam abstractiuè, foret disproportionatus, & extraneus illi intellectui. Præterea licet extraneitas inter aliqua sensibilia, & aliquos sensus extraneos non sumatur ex excessu perfectionis obiectorũ supra illos, sed ex diuersitate organorum omninò disparatorũ, per quę obiecta ipsa sũt apta immutare vnum sensum, & inepta immutare alium, tamen extraneitas inter obiecta intelligibilia, & potentias cognitiuas, quando datur necessariò sumitur ex peculiari excessu perfectionis illorũ supra ipsas; tum quia ideò obiecta intelligibilia sunt omninò extranea sensibus, quia habent excessum supra illos in altiori, & eleuatiori ordine, vt constat; Tum quia videmus excessum Angeli superioris supra inferioris intellectum causare aliquam improportionem, in quantum inferior non potest cognoscere perfectè superiorem, & fortè nec compræhendere naturalitèr, cum tamen superior possit illum perfectè cognoscere, & compręhẽdere: vel etiam superior habet species vniuersaliores, quàm inferior ergo quando excessus obiecti spiritualis supra intellectum est infinitus, habebitur maior improportio; ergo si tale obiectum est etiam disproportionatum, & extraneum alicui peculiari intellectui, id orietur ex hoc excessu, & ex limitatione, & debilitate talis intellectus

Deinde Deus est obiectũ spirituale, & intellectus quicunque est potentia spiritualis; ergo Deus non potest esse ita disproportionatus, & disparatus in ratione obiecti tali intellectui, sicuti est sensui; ergo si adhùc est illi disproportionatus, vtique hoc non potest esse, ex eo quia Deus sit spiritus pręcisè, vt clarũ est ergò quia est spiritus talis, & ille intellectus est intellectus talis; ergo quia ille est spiritus in infinitum excedens, alter verò est infinite excessus, non enim apparet aliud caput. Demum ratio à priori est illa S. Thomæ vbi supra, quia diuina substantia est primum intelligibile, & principium omnis intellectionis ergo nõ potest esse obiectũ omninò extraneum, ac disparatũ vlli intellectui, sicuti spiritus est sensui, sed solũ est in infinitũ super excedens. Sicut si spiritus esset primum sensibile, & principium omnis sensationis, vtique non esset extraneus, ac disproportionatus vlli sensui: & si sonus esset primum sensibile, & principium omnis sensationis, nec visui, nec vlli alij sensui esset obiectum extraneum; & idem dicendũ de alijs sensibilibus. Verum quia, nec spiritus est primum sensibile, nec similiter sonus, aùt aliud sensibile, ideò habent extraneitatem ad illas potentias. Nec refert, quod Deus sit principium omnis sensationis, nam adhùc est obiectum omninò extraneum sensui, quia Deus non est primum sensibile, nec est principium omnis sensationis tanquam primum sensitiuum, aùt

aùt tanquam primum intellectiuũ, sed tanquam primum cognitiuũ, cuius participatione alia sunt cognoscitiua.

Ex his colligitur tota vis vltimi argumenti pro assertione, quia intellectus creatus, vt sic, est potentia spiritualis; ergo respectu Dei, vt clare visibilis, non habet extraneitatem, seù disproportionem, ac disparationem, sicut habent potentiæ sensitiuæ; ergo respectu eius habet solùm distantiam proptèr excessum illius infinitum in perfectione; ergo ita etiam se habet omnis intellectus, siuè actualis, siuè possibilis: ergo si non obstãte hac distantia, & excessu innumeri intellectus sũt capaces visionis Dei, iam omnes erunt capaces, & nullus incapax; quia maior, aùt minor distantia à Deo inter intellectus non potest causare tãtam diuersitatem, quanta est capacitas, & incapacitas visionis clarę eiusdem Dei, vt iam probatum est. Vndè patet, solam disproportionem, seù extraneitatẽ tollere à potentia cognitiua eleuabilitatem ad simplicem uisionem Dei, & excessum quamuis infinitũ eam non tollere; bene tamen tollere eleuabilitatem ad Dei compræhensionem.

Ad rationem dubitandi initio positam satis patet ex dictis, implicare naturam intellectiuam incapacem visionis Dei non quia intellectiuum, vt sic, sit capax cognitionis intuitiuæ respectu omnis obiecti intelligibilis; licèt enim hoc sit verũ, non tamen hoc precisè assumi potest, vt medium ad nostrũ intentum; sed ob varias rationes iam explicatas; inter quas etiam est hæc quia omnis natura intellectiua creabilis necessariò eiusdem est ordinis, & seriei cum intellectiuis creatis quantum ad capacitatem visionis, seù eleuabilitatem ad illã eo quod hæc eleuabilitas fundetur in gradu intellectiuo, vt sic, nec possit fundari in magis, aùt minus perfecto, quicquid sit, an omnes intellectiuæ naturæ creabiles, sint eiusdẽ ordinis, ac perfectionis circa omnia intelligibilia, de quo aliàs. illa etiam ratio, quod omne intellectiuũ possit sua natura cognoscere Deum abstractiue, & ideò sit eleuabile ad eius intuitionem, esto per se sola non sit efficax, nec fides doceat saltèm explicitè, talem causalem; tamen adiuta eadem fide, quæ docet, intellectus existentes, esse sic eleuabiles, videtur optima. Nam si omnis intellectus potest sua natura cognoscere Deum abstractiuè, ergo signum clarum est, Deum secundum se, non esse obiectum omninò extraneum, seù disproportionatum, aùt disparatum vlli intellectui creato, ac creabili quamuis habeat excessum infinitũ in perfectione supra ipsum; ergo si aliquis intellectus possibilis est ineleuabilis ad cognitionem intuitiuam Dei hoc non erit proptèr disproportionem, aùt extraneitatem, ac disparationem talis obiecti, sed ob illum excessum: sed talis excessus non potest hoc causare in tali intellectu, sicut, nec causat in alijs,

quia

quia ex fidei doctrina sunt eleuabiles;ergo,&c.

Ad primã rationẽ primæ sententiæ nego, ex tali intellectu ineleuabili nõ sequi contradictoria,sequũtur enim multa, vt colligi potest ex iam probatis. Primo enim si talis intellectus esset alicuius Angeli, iã hic Angelus ob vnum caput esset in gradu intellectiuo simpliciter perfectior,quam animæ nostræ, ob alterũ verò esset longè minus perfectus in eodem, quia foret omninò incapax summæ perfectionis gradus intellectiui idest visionis Dei,cuius animæ illæ sunt capaces Secundo si talis intellectus esset alicuius animæ rationalis possibilis, iam hæc anima esset simul, & non esset ad imaginem Dei. esset quidem, quia haberet rationem,& intelligentiam supra omnia bruta: non esset verò, quia esset incapax Dei,& sanctificationis, cuius tamẽ imago Dei debet esse particeps. Rursùs huiusmodi anima esset forma humanitatis vnibilis personæ diuinæ, ac proindè ob hoc caput foret capax visionis De, ob aliud verò secundum aduersarios esset incapax. & insuper substantia intellectualis consurgens ex ea humanitate, & persona diuina, esset Deus homo, ac proindè etiam, vt homo, seù secundum humanam naturam esset amabilis vero amore charitatis ordinatæ ad Dei visionem, & tamen ob aliud caput nõ posset esse sic amabilis. Tertio natura intellectualis habẽs talẽ intellectũ,quæcunque fingatur esse in primis foret etiam capax vnionis ad Verbum, vndè substantia ex his consurgens, nempè Deus homo, posset esse causa de condigno meritoria pro alijs visionis beatæ, & ob hoc etiam foret huius capax secundum dictam naturam; & tamen ob aliud caput esset incapax eiusdem. Deindè talis natura esset simul extra gradũ intellectiuum,quia ita supponitur,& ècõtra non esset, quia illi foret prorsùs repugnans eleuabilitas ad Dei visionem, quæ fundari non potest in maiori, vel minori perfectione intellectualitatis, sed solùm in gradu intellectiui, vt sic, omnibus omninò substantijs intellectiuis actualibus, & possibilibus communi. & demum intellectus talis naturæ,vtpotè capax cognitionis abstractiuę Dei iam haberet ipsum secundum se intra sphæram obiecti sui adæquati; ob aliud caput Deus non esset intra hanc sphæram, quia si ea potentia esset incapax visionis claræ eiusdem Dei, hoc non posset oriri ex distantia eius ad Deum in perfectione, & infinito excessu huius supra ipsam, quia hæc distantia, & excessus habetur respectu omnium intellectuum creatorum,& creabilium,vndè necessariò prouenirer ex speciali disproportione, & extraneitate dicti obiecti respectu talis intellectus, quod proindè obiectũ foret omninò extra sphęram illius. Ad probationem contrariam, qua dicitur; notitiam abstractiuam, quia imperfectior est intuitiua,non posse, ex suo concep-

tu

tu esse illi connexa essentialiter, in primis negatur illa causalis vniuersalitèr, non enim semper omnis notitia abstractiua est imperfectior intuitiua, alioquin notitia abstractiua Angeli, vel Dei esset imperfectior notitia intuitiua muscæ, vel ranæ: vndè licèt notitia intuitiua sit perfectior entitatiuè, quàm abstractiua eiusdem potentiæ, & eiusdē obiecti; non propterea sequitur, quamlibet notitiam intitiuam esse entitatiue perfectiorem qualibet abstractiua respectu aliorum obiectorum, vt notat Ioan. Maior in 1. d.3.q.1. Deindè distinguo antecedens; nam notitiam abstractiuam non posse esse essentialitèr connexam intuitiuæ, potest variè intelligi. vno modo vniuersalitèr de actuali, simultanea connexione, & sic transeat, neque hoc facit ad rem nostram, quamuis non desint, qui indicent, ad notitiam intuitiuam alicuius rei, sequi, & fortè simul, notitiam abstractiuam de prędicatis accidentalibus eiusdem. Alio modo etiam vniuersaliter de omni potentia cognitiua, etiam sensitiua, & de connexione aptitudinali; & sic hoc etiam transeat de potentia sensitiua, ob eius limitationem, & coarctationem ad certum organū, vt solet dici de imaginatiua, quæ solùm est capax cognitionis abstractiuæ, & non intuitiuæ in se ipsa, benè tamen est huius capax in potentijs sensitiuis externis sibi subordinatis, imò connaturalitèr sine harum notitia intuitiua præuia, nihil illa potest imaginari. Negotamen antecedens vniuersaliter de potentijs intellectiuis, quæ illimitatiores sunt, & vniuersaliores, innumeras enim ex his certum est esse capaces vtriusque notitiæ, saltē diuisim, & idem dici debere de omnibus alijs intellectibus, etiam possibilibus, fusè ostensum est. Quod verò additur, nempè nec notitiam intuitiuam habere sibi necessariò annexam notitiam abstractiuam, cum sensus externi sint solùm capaces illius, & non huius, esto id sit verum in his sensibus, est tamen falsum in intellectibus; alioquin si vtrobique foret par ratio, iam sicut nullus ex ijs sensibus est capax cognitionis abstractiuæ, ita nullus intellectus foret eius capax & insuper si ex eo quod illi sunt capaces solius cognitionis intuitiuæ, inferas aliquid de intellectibus possibilib. in ordine ad Deū; debes inferre, si rectè, & cohærēter discurras, dari posse intellectū aliquem, qui sit capax solius cognitionis, seù visionis intuitiuæ Dei, non autem cognitionis abstractiuæ eiusdem. Quod omninò falsum est. Denique ad eandem probationem potest concedi totum, nempè ex eo quod illæ duæ cognitiones non semper sint in omnibus potentijs essentialiter connexæ, ideò non repugnare eas separari; id enim sat est si sit verum in aliquibus potentijs; non autem est necesse, quod sit verum in omni potentia; vnde neque necesse est esse verum in aliquo ex intellectibus creabilibus ego enim non arguo ex connexione

ne vniuersaliter inter eas notitias repugnare intellectum, qui non sit capax cognitionis intuitiuæ Dei, sicut est capax abstractiuæ Dei, sed ex alijs rationibus iã allatis: ex capacitate autẽ abstractiuæ cognitionis Dei, quę omni intellectui inest, immediatè arguo, Deum secũdum se non esse obiectum disproportionatum, & extraneum vlli intellectui, & ex consequenti, si aliquis intellectus est incapax cognitionis intuitiuæ Dei, hoc debere oriri ex supradicta distantia, & excessu: quod tamen neque posse obstare iam probatum est.

Ad secundam rationem respondeo primo negando antecedens, esse scilicèt possibilem intellectum vnum cognoscitiuum præcisè hominis, & non Angeli, ex eo quia istæ cognitiones non habeant inter se essentialem connexionem; præsertim si sermo sit de cõnexione aptitudinali, id enim reijciã capite sequẽti. Neq; illa est sentẽtia verior, vt assumitur, imò est contra sententiã communem, omnes enim loquentes de intellectu, vt sic, & absolutè tanquam indubitatum supponunt illum esse potentiam illimitatam, & vniuersalem circa omnia obiecta, & abstrahendo à modo attingendi illa, & attribuũt illi tanquam obiectum adæquatum ens vniuersalissimè sumptum. Deinde nego etiam primam consequentiã scilicet Deum posse creare inter potentias spirituales cognoscitiuas, vnã limitatam ad hoc obiectum, aliã ad illud, sicut contingit in materialib. sensitiuis; est enim dispar ratio, quia hæ sunt valdè inter se heterogeneæ, ac disparatæ ob ordinem ad heterogenea, ac disparata organa, & ideò habent illam limitationem: illæ verò spirituales sunt inter se magis heterogeneæ, & conformes, vt patet in intellectibus existentibus, & infra magis elucescet Resp. secundo transeat antecedens cum prima consequentia, nego secundam. nam cum dicitur, vnam spiritualem potentiam esse posse limitatam ad vnum obiectum creatum, vel id intelligitur non omnimodè, sed secũdũ vires illius naturales tantũ, non verò secundum obedientiales, quia re vera illa potentia secundum has vires potest eleuari etiam ad aliud obiectum, circa quod nihil potest naturalitèr: vel intelligitur secundum vtrasque vires, ita vt ea potẽtia sit omnimodè addicta vni obiecto, nec possit, siue naturaliter, siue per eleuationem attingere aliud. si primo modo male inde infertur, dabilem esse, seù non repugnare intellectum, qui potens cognoscere Deum abstractiue eleuari non possit ad visionem Dei claram: neque hoc potest intendere illa ratio, alioquin nil valeret paritas de potentijs sensitiuis, quæ sunt omnimode addictæ proprio obiecto, nec possunt eleuari ad aliud. Si verò dicatur secundo modo, mala etiam est illa consequentia. est enim longe dispar ratio de illa potentia spirituali circa obiectum creatum, & de intellectu circa Deum. nam illa po-

tentia si dari posset, ob omnimodã limitationẽ, & alligationẽ ad vnũ tantum obiectum creatum, nec abstractiue, nec intuitiue posset vllo modo attingere ad aliud creatum, quia quoad hoc æquipararetur potentijs sensitiuis; vnde tota hæc ineptitudo, & incapacitas non oriretur ex puro excessu talis obiecti in perfectione supra illam, quia solus excessus obiecti, si nil aliud additur, non potest impedire eleuationem potentiæ circa ipsum, vt constat in omnibus, sed ex vera disproportione, extraneitate, & disparatione, ob quã tale obiectũ foret omninò extra obiectũ adæquatum illius potentiæ: totum enim hoc ostendit exemplum de potentijs sensitiuis, quo aduersarij vtuntur, aliàs nil valeret. At ille intellectus iam supponitur fore potens cognoscere abstractiue Deum, vnde fit, vt Deus secundum se non sit illi obiectum disproportionatum, & absolutè, & omninò extraneum ex quo capite posset in illo intellectu oriri aliqua ineleuabilitas circa tale obiectum, sed fit solùm infinitè excedens ipsum in perfectione, qui excessus, vt sæpè dixi, sicut non potest tollere ab alijs intellectibus, ita neque ab illo intellectu eleuabilitatem, ad videndum intuitiuè eundem Deum simplici visione. & demum cum dicitur maiorem esse differentiam inter huiusmodi intellectum, & Deum, quàm inter illam potentiam spiritualem, & obiectum creatum alterius potentiæ, conceditur de differentia in genere entis, & naturæ, negatur verò in genere potentiæ, & obiecti, seù cognoscentis, & cogniti; quia inter duo priora absolutè non habetur disproportio, & extraneitas in ratione cognoscibilis, quæ tamẽ habetur inter duo posteriora, sicut maior est differentia in genere naturæ inter Deum, & intellectum creatum, quàm inter speciem creatum, & sẽsum; secus in genere obiecti, & potentiæ.

Obijcies. Deus, vt compræhensibilis, est obiectum omninò disproportionatum, & extraneum intellectui creato, vt sic, & hoc nõ nisi propter infinitum excessum talis obiecti supra illum; vndè, nec potest vllus intellectus creatus esse eleuabilis ad compræhensionem Dei; ergo sic etiam potest Deus, vt visibilis, esse obiectum omninò extraneum, & disproportionatum alicui intellectui, saltèm creabili, vndè, & hic erit ineleuabilis ad visionem Dei.

Resp. Deum, vt compræhensibilem, includere, tum Deitatem, seù diuinam essentiam, tum compræhensibilitatem, seù cognoscibilitatem eius, vt totaliter adæquabilem per cognitionem: sic etiam Deum, vt visibilem dicere tum illam essentiam, tum cognoscibilitatem eius per intuitionẽ, seù claram visionem simplicem, cum precisione ab adæquabilitate, vel inadæquabilitate. cõcedo igitur antecedẽs quod scilicèt Deus, vt comprehensibilis reduplicatiuè, seù in ratione compræhensibilitatis solius, non

vc-

verò specificatiuè, seù in ratione deitatis præcisè, sit obiectum omninò disproportionatùm, & extraneum intellectui creato, idque non proptèr excessum infinitum præcise, & quomodocumque, sed propter infinitatem, & omnimodam illimitationē talis obiecti, quæ per compræhensionem debet posse perfecte adæquari in tota sui cognoscibilitate, & per nullam intellectus creati quantumcunque eleuati, cognitionem, est sic adæquabilis: & ideò talis intellectus est omninò ineleuabilis ad talis obiecti comprahensionem; Deindè nego consequentiā, quia Deus, neque, vt visibilis specificatiuè, quod clarum est, neque, vt visibilis reduplicatiue, est obiectum omninò disproportionatum, & extraneū intellectui creato; quia licet etiam, vt visibilis, excedat illum infinite; hæc tamen infinitas non petit perfectè adæquari per simplicem visionem in tota sui cognoscibilitate: sed sat est, quod per eam intuendo attingatur tantū infinite, & inadęquate: & ideò infinitas illa impedit, & prohibet quidem intellectum creatum, ne per vires naturales obiectum illud, etiam simplici visione attingat, non tamen tollit ab eo eleuabilitatem secundum vires obedientiales; quod etiam si nobis non sit notum per lumen naturale, tamen innotescit per reuelationem qua scimus, innumeros intellectus esse eleuabiles, & de facto eleuatos ad eam visionem, & ex supra probatis eadem est ratio de quocunque intellectu creabili, & hoc est, quod alij dicunt, Deum, vt compræhensibilem, comparari ad intellectum creatum, vt tam formaliter, quàm virtualiter infinitum, & illimitatum in sua cognoscibilitate; & ideò esse illi obiectum incompræhensibile. At verò Deum, vt pure visibilem, offerre se illi intellectui eleuato, vt virtualiter finitum, seù vt habens rationem obiecti limitati, atque adeo, vt finite attingibile, & ideò visibile per eleuationem visione simplici, & inadæquata.

Atque hinc colligitur duplicem distingui posse extraneitatem, qua aliquod obiectum vnius potentiæ, extrahitur, seù ponitur extra totam latitudinem, seù sphæram obiecti adæquati alterius potentiæ cogniuæ. Vna est, qua obiectum extrahatur non tantum, vt stat sub aliquo modo suę cognoscibilitatis, sed secundum suam naturam, ac secūdum omnem modum suæ cognoscibilitatis abstractiue, & intuitiue, & alium quęcunque; & huiusmodi est extraneitas, qua ens spirituale est obiectum extraneum sensibus, & est extra sphæram obiecti adæquati illorum, quia sunt in inferiori ordine: licet hæc extraneitas non sit mutua; quia ens sensibile, seù materiale, vtpote in inferiori ordine, non est in ratione obiecti extraneum substantiæ spirituali, & similiter talis est extraneitas, qua obiectum vnius sensus externi est extraneum alijs sensibus, & sic vice versa per mutuā extranei

tatem: quia nimirum ens spirituale non tantum, vt cognoscibile intuitiue, sed secundum suam naturam, & etiam abstractiue, est inattingibile à sensibus, etiam si hi possent propria obiecta attingere vtroque modo: & sic etiam se habet obiectum vnius sensus respectu aliorũ & è conuerso. Atque hæc prima extraneitas vocari potest extraneitas omnimoda, seù adæquata extẽsiue, & intensiue; quia, & extenditur ad naturam, & ad omnem modum cognoscibilitatis ipsius obiecti, & insuper quoad modos sigillatim extraneat perfecte, & complete obiectum potentiæ. Alia extraneitas est, qua Deus, vt compræhensibilis, est obiectum extraneum intellectui creato, seù est extra sphæram obiecti adæquati illius: & hæc extraneitas est quidem adæquata intensiue quoad vnum modum cognoscibilitatis diuinæ, nempè quoad compræhensibilitatem, quia quoad hanc constituit perfecte, & complete obiectum illud extraneũ intellectui creato, & inattingibile ab ipso; est tamen inadæquata extensiue, quia non extenditur ad extraneandum Deum, seù diuinam naturam intellectui creato, nec ad omnem modum diuinæ cognoscibilitatis, est enim Deus adhùc cognoscibilis abstractiue, secundum quem modum est proportionatum obiectum illi intellectui naturaliter: & est cognoscibilis intuitiue sub qua ratione est proportionatum eidem potentiæ, ut eleuatæ: unde fit, ut Deus, ut uisibilis simplici uisione, non possit dici obiectum omninò, & simpliciter extraneum intellectui creato, sed tantum secũdũ quid, idest in cõparatione ad uires illius naturales.

CAPVT V.

An dari posint intellectus ad aliqua obiecta limitati, & idem est de substãtijs intellectiuis.

Dvplex esse potest sensus quęsiti. Vnus est, an possint dari intellectus naturaliter potentes circa aliqua obiecta, & non circa alia, quæ tamen, vel per illuminationem à superiori intelligentia uel per eleuationem possint siue abstractiue, siue intuitiue cognoscerẽ. & de hoc sensu nunc non agam. sunt enim qui uelint, intellectus Angelicos esse huiusmodi, ita ut qui perfectior est, posit ex se non solũ perfectius, sed etiam extensiue plura obiecta intelligere, & hæc cognitio sit illi debita, secus verò inferiori, qui tamen circa hæc est est illuminabilis à superiori. ita Granados 1. part. q. tom. 3. partim tract. 3. disp. 4. partim inferius in alio tractatu. Alter sensus est, an dari possint intellectus, qui sint ad aliqua obiecta omnimode limitati, & addicti, ita ut ad alia, nec per uires naturales, nec per illã illuminationem aùt eleuationem possint pertingere, & hic est sensus dubij. Qui-

Quidam ergo tenent partem affirmantem. Vnde secundum eos dari potest unus intellectus co gnoscitiuus præcise hominis, & non Angeli. Primo, quia hæ cognitiones non habent inter se connexionem. Secundo, quia potentiæ sensitiuæ sunt ita limitatę ad aliqua obiecta, cùr ergo nō possunt ita esse aliquæ intellectiuæ? Nec potest recurri ad organa limitantia potentias sensitiuas, quia hæ sunt limitatæ ex sua natura, & ideò exigunt talia organa. Communis tamen, & uera sententia est in contrarium, quę intellectui absolute, & secundum se considerato statuit obiectum adęquatum ens cōmunissimum. Vnde S.Thom.2.con.g. cap.89.[est, inquit, proprium obiectum intellectus ens intelligibile, quod quidem comprębendit omnes differentias, & species entis possibiles. Et infra, ex hoc autem, quòd substantia aliqua est intellectualis, compræhensiua est totius entis. Et infra, cum substantia separata per suam naturam non fiat actu compræhendens totum ens, ipsa in sua substantia considerata, est quasi potentia ad similitudines intelligibiles, quibus totum ens cognoscitur. et q. 15. de verit.a. 2. corp. Illa pars animæ, quę non vtitur organo corporali in opere suo, non remanet determinata, sed quodam modo infinita, in quātum est immaterialis, & sic eius virtus se extendit ad obiectum commune omnibus entibus, vnde commune obiectum intellectus dicitur esse quodquid est, quod in omnibus generibus entium inuenitur.] Vbi licet agat de intellectu hominis; tamen ratio ipsius est conueniens intellectui, vt sic, & absolute, quippe intellectus, vt sic, est immaterialis. Sic etiam Rubionus in 1.d.13.q.1.ar.1. dicit intellectum intelligere, vel posse intelligere primas intentiones, & secundas positiuas, & priuatiuas, & extrema contradictionis. & idem tanquam certum, supponunt omnes alij.

Prima itaque assertio sit, non posse dari vllum intellectum angeli omnimodè limitatum, & coarctatum ad aliquod obiectum, vel aliqua obiecta. Hanc primo probant omnia dicta in capite præcedenti pro prima conclusione. quia quiuis intellectus cuiuscunque angeli possibilis est in vi intellectiua longe perfectior omnibus intellectibus animarum nostrarum, qui sine dubio, & secundū omnes nō sūt vllo modo omnimodè limitati, & coarctati; ergo &c. secundo idem probant omnia supradicta de eleuabilitate ad visionem Dei respectu cuiusuis naturæ intellectualis, siuè existentis, siuè possibilis, etiam si illæ naturæ forent animæ rationales inferiores nostris; si enim omnes sunt sic eleuabiles, ergo nec vllus intellectus naturæ Angelicæ est, qui non possit ad eam visionem eleuari; ergo nec vllus est possibilis, qui non possit eleuari ad cognitionem cuiusuis alterius obiecti creati, aùt creabilis, multò enim minus requi-

citur

ritur ad hanc cognitionem ob maiorem proportionem inter tale obiectum, & talem potentiam, quã ad illã visionẽ; ergo nec vllus intellectus Angeli dari potest, qui sit omninò limitatus, & addictus ad certũ obiectũ, vel certa obiecta. Atq; hæc ratio idẽ probat de intellectu cuiusuis animę rationalis possibilis

Obijcies esto, si fiat uis in hac voce, Angelus, vel intellectus, in quantum secundum communẽ vsum significat Angelos, vel intellectus eorum existentes, & possibiles consimiles, omnis Angelus, & intellectus Angelicus sit lõge perfectior in ui intellectiua, quàm animæ rationales, earumque intellectus; tamen vtendo his vocibus, substantia immaterialis, seù spiritualis, & potentia cognitiua similitèr spiritualis, non est, vndè repugnet, dari aliquam substantiam immaterialem immunem ab omni ordine ad materiam, atque adeò completam, & habentem potentiã cognitiuam pariter immaterialem, quæ substantia in ratione substantiæ immaterialis sit perfectior anima rationali, sed tamen eadẽ cũ sua potentia sit minus perfecta in vi cognoscitiua, quàm anima rationalis, eiusque intellectus; ergo benè poterit talis substantia, eiusque potentia esse omnimodè limitata, & addicta ad aliqua tantum obiecta, vel aliquod obiectum; siuè hæc potentia vocetur intellectus, siuè non. Antecedens probatur, quia in substantia immateriali cognitiua aliud est, quòd sit substantia immaterialis, aliud quod sit cognitiua per se, & per suam potentiam: nec esse cognitiuum sequitur ex immaterialitate, tanquam ex radice, cum secundum aliquos auctores dari possit substantia immaterialis non cognitiua. neque hoc esse cognitiuum habet illa substantia, quia est immaterialis, vt sic, aùt quia est immaterialis cõpleta, sed quia ex se est substantia talis naturę, & essentiæ, vt sit cognitiua, cuius rei non potest reddi alia ratio, sicut nec in alijs rebus, quòd sint talis, vel talis essentiæ; ergo in tali substantia nõ debet potẽtia cognitiua cõmẽsurari in vi cognitiua cũ immaterialitate eiusdẽ; ergo benè potest intelligi illam substantiam esse omnimodè immaterialem, & completam cum sua potentia cognitiua etiam immateriali, & in ratione talis immaterialitatis esse perfectiorem anima rationali, & tamen eãdem cum sua potentia esse in vi cognitiua minus perfectam, quàm sit anima rationalis eiusque intellectus, quia hæc anima potest aliũde ex sua natura esse in vi cognitiua perfectior, licet non ex immaterialitate, ergo non est vndè repugnet dari dictam substentiam. & hæc vtique non spectaret ad hunc mundum, seù ad seriem rerum ipsius, sed ad alium mũdum, si Deus illum creare voluisset, aliamque seriem substantiarum intellectualium longe alterius rationis.

Obijcies secundo si intellectus cuiusuis Angeli possibilis est in vi intellectiua perfectior intelle-

cu

ctu animæ rationalis, hoc ideò est, quia Angelus,vt sic,est totaliter intellectiuus,anima verò est solũ qua si partialiter intellectiua, cum sit etiam sensitiua:sed hoc non obstat; ergo. Maior patet. Minor probatur Primo, quia Angelum esse intellectiuum totalitèr non dicit, quòd ipse adunet in se, & concludat totam latitudinem gradus intellectiui aliàs anima rationalis nõ esset intellectiua;ergo ad sũmũ dicit, quòd sit intellectiuus tãtum, seù cognitiuus tãtũ per intellectũ, non verò per sensum: cum tamen anima rationalis sit cognitiua per intellectum, & per sensum; ergo nullo modo hinc infertur, quòd Angelus,vt sic, sit in vi intellectiua perfectior anima rationali, aùt imperfectior, sed habet se ad vtrũque præcisiuè: modo enim Angelus habeat pro vi cognitiua intellectũ tantum,& non sensum,semper verum erit, ipsum esse intellectiuum totaliter, idest tantum, siuè sit magis,siuè minus perfectus anima rationali, quæ habet intellectum, & sensum; ergo demum sicut de facto dantur Angelici intellectus in vi intellectiua perfectiores intellectibus animarum rationaliũ,ita de possibili dari possunt intellectus Angelici imperfectiores, quia illud prædicatum, nempè totaliter intellectiuum,non magis est addictum illis, quàm his intellectib. sed est ad ambos õninò indifferẽs.Secũdò eadẽ minor probatur Quia nõ est necesse,vt quãtũ alicui cognoscitiuo diminuitur de cognoscitiuitate vnius ordinis, nempè sẽsitiua, tantum illi accrescat de cognoscitiua alterius ordinis nempè intellectiua. Quod patet, tum ex eo, quia hæc non se habent, vt duo extrema constituentia vnum contrarium,sicut calor,& frigus: Tum ex eo, quia benè fieri potest, vt illud cognitiuum sit ex sua natura incapax cognosciuitatis vnius ordinis scilicèt sensitiuę, & hoc modo illi dicatur diminui hæc cognoscitiuitas, & tamen sit capax cognoscitiuitatis alterius ordinis, nẽpè intellectiuæ,non qualiscumque, aùt quantæcumque, sed certæ, ac determinatæ. vnde oportet, quod proptèr hoc excedat in intellectiuitate alia intellectiua habentia etiam cognosciuitatem sensitiuam: Tum ex eo,quia multis animalibus immobilibus cognoscitiuis per vnũ sensum tantum scilicet tactus, vt sunt ostreæ,omninò diminuitur,ac deest cognosciuitas, quæ est per alios sensus, & tamen non proptèr hoc accrescit illis tantũdem de cognosciuitate ipsa tactus, ita vt possint in hac ipsa excedere alia animalia cognoscitiua per alios sensus: nõ enim talia immobilia sunt his perfectiora in tactu, imò sunt imperfectiora, vt constat: Tum quia ex opposito etiã si animę ipsæ humanæ non sint totaliter sensitiuæ, sed etiam sint intellectiuæ, non tamen proptereà quantum illis accrescit de intellectiuitate, tãtùm decrescit de sensitiuitate infra alias animas sensitiuas,cum animę humanæ sint perfectissimæ in sensitiuitate supra

pra alias animas sensitiuas, vel omnes, vel plurimas, & explicatur magis. Quia omnia bruta sunt totaliter sensitiua, & nullatenus intellectiua, homo verò est sẽsitiuus, & intellectiuus, et tamen non omnia bruta sunt perfectiora homine in vi sensitiua, ergo, &c.

Ad primam nego antecedens idem enim prosùs sunt Angelus & substantia immaterialis completa creata, & similiter idem omninò sunt intellectus, & potentia cognitiua spiritualis, & se habent, vt definitum, & definitio: vndè si omnis Angelus, & Angelicus intellectus est in vi intellectiua perfectior animab. rationalib. earũq; intellectib. sic etiã erit substãtia illa immaterialis cũ sua potentia cognitiua immateriali Ad probationem esto conceptibiliter in substantia immateriali cognitiua aliud sit esse immateriale & aliud esse cognitiuam per se, & per suam potentiam; nego tamen in tali substantia esse cognitiuum non sequi ex immaterialitate tanquam ex radice, hoc enim fallum esse infra constabit. & esto foret verum; certe negari non potest, immaterialitatem, vt sic, esse saltèm conditionem, seù rationem essentialitèr requisitam ad esse cognitiuum spirituale, quod est esse intellectiuum, nulla enim substantia intellectiua dari potest, quæ nõ sit immaterialis, esto dari posset substantia immaterialis non intellectiua. Imò si hęc dari potest, iam esse immateriale, vt sic, est ratio essentialis generica contrahibilis per vnum esse immateriale tale, nempè intellectiuum, & per aliud immateriale tale idest esse non intellectiuum: quo fit vt illa substantia completa, sit intellectiua ad minus, quia est immaterialis talis determinatæ speciei: & ex his nego primam consequentiam probationis: in illa enim substantia immateriali completa potentia cognitiua debet in vi cognitiua cõmensurari immaterialitati ad minus vt conditioni omninò essentiali, vel rationi genericæ. Deinde nego secundam consequentiã; est enim in intelligibile, & ex terminis absurdum, quod substantia immaterialis completa, & totalis cognitiua, seù intellectiua, sit in suo esse immateriali longe perfectior, quàm substantia intellectiua immaterialis incõpleta, & partialis, & tamẽ hæc incompleta, sit ex natura sua perfectior in vi cognitiua, seù intellectiua, quàm altera completa. Tum quia hinc sequitur hanc substantiã in completã, quia perfectiori modo participaret gradum intellectiuum nobilissimum, & supremum inter omnes gradus essendi, esse simpliciter absolutè, & sine addito perfectiorem illa altera substantia completa. Tum quia illa substantia completa, est immaterialior, & elongatior à materia, ac proindè simpliciter purior, & actualior, ac perfectior in essendo, & consequẽter etiam necessariò, in operando, ac cognoscendo, seù intelligendo, & in vi intellectiua. Tum quia vel immaterialitas generica, contẽ-

ta

ta in substantia intellectiua completa, & immaterialiori, contrahitur immediatè per ipsam intellectiuitatem, vel per aliam differētiā contentam intra latitudinem immaterialitatis. Si primum, ergo sicut illa substantia completa est perfectior in immaterialitate, quàm altera incompleta, sic etiā est in intellectiuitate. si secundū, ergo substantia illa completa est perfectior in immaterialitate propter talem differentiam ipsi essentialem; ergo adhùc est perfectior in intellectiuitate, quia eius intellectiuitas habetur immediatè per huiusmodi differentiam perfectiorem, conuenit enim illi substantiæ ex ratione sua formali,& essētiali; vndè esto ea substantia nō sit intellectualis, quiā immaterialis simpliciter; erit necessariò intellectualis, quia est immaterialis talis,& determinata: Tum quia illa substantia intellectiua incompleta idest anima non solùm est minus immaterialis, seù minus perfecta in immaterialitate,sed etiā in ui intellectiua; quia in hac ipsa vi est aliquo modo pendens à corpore, cum species intelligibiles per sensus acquirat, & ideò est infima in genere naturarum intellectualiū Deinde nego alias consequentias.

Ad secundū concedo maiorem. Prima enim ratio,seù radix, cùr intellectus cuiusuis Angeli sit in vi intellectiua perfectior intellectu animę rationalis, est quia Angelus vt sic,est totaliter intellectiuus,anima verò rationalis non sic. vndè S. Thom. 1.par.q.54.a. 3. ad 1. [Angelus,inquit, dicitur intellectus, & mens, quia tota eius cognitio est intellectualis: cognitio autem animæ partim est intellectualis, & partim sēsitiua]& in corp. idē repetit, & Caiet. 1.par.q.79 num.4.[anima nostra,inquit,est intelligēs per participationem, in cuius signum non tota totalitate potestatiua est intellectualis, sed secundum aliquas suas vires est intellectiua, & secūdum aliquas sensitiua] & hinc oritur maior perfectio intellectus Angelici, & minor intellectus animæ, nam vt idem Doctor dicit in q. de spirit.creat. [naturale est in anima,quod indigeat phantasmatibus ad intelligendum; ex quo tamen sequitur,quòd diminuatur in intelligendo à substantijs superioribus] & q. de anima a. 2. ad 15. [Iste modus cognoscendi est naturalis animæ, vt percipiat intelligibilem veritatem infra modum, quo percipiunt spirituales substantiæ superiores, accipiendo scilicet eam ex sensibilibus] pendere autem à sensibilibus, quæ vtique inferiora sunt in accipiendo intelligibilia seù intelligibiles species in ordine ad intelligendum, est sine dubio minor perfectio: ab ijs verò non pendere est maior inde enim est, quod substantiæ separatæ vt dicitur 2.con. gent. cap. 94. [quæ sunt in ordine intelligibilium supra intellectum possibilem humanū sunt actu in esse intelligibili: intellectus .n.accipiēs cognitionem à sensibilibus,non est actu in esse intelligibili, sed in potentia] Proptèr, quod

etiam ex eodem S. Thom. de verit. q. 10 [oculus rationis pro tanto dicitur lippus esse respectu intelligibilium creatorum, quia nihil intelligit actu, nisi accipiendo à sensibus, quibus intelligibilia sunt excellentiora: & ideò deficiens inuenitur ad intelligibilia cognoscenda] & inde etiam est, vt habetur in 1. part. q. 58. a. 3. [quòd Angeli statim sine discursu in illis, quæ primo naturaliter cognoscunt inspiciunt omnia, quæcumque in eis cognosci possunt, & ideò dicuntur intellectuales; Animæ verò humanæ, dicuntur rationales, quia veritatis notitiā per quendā discursum acquirunt: quod quidem contingit ex debilitate luminis in eis si enim haberent plenitudinem intellectualis luminis, sicut Angeli, statim in primo aspectu principiorum totā virtutem eorum cōpræhenderent intuendo quicquid ex eis syllogizari posset] vndè etiā fit vt Angelus non intelligat componendo, & diuidendo, quia in eo est lumen intellectuale perfectum, cum sit speculum purum, & clarissimum, vt dicit Dyonis. 4. cap. de diu. nom. anima verò ob debilitatē luminis intellectualis, sicut intelligit ratiocinando, ita etiam componendo, & diuidendo, quod habetur 1. par. q. citata a. 4. concessa igitur maiori, nego minorem. Ad cuius primam probationem concedo antecedens cum prima consequentia, sed nego secundam: verè enim ex eo, quod Angelus, vt sic, sit intellectiuus tantum, seù cognitiuus per solū intellectū, & non per sēsū secus verò se habeat anima rationalis, necessariò infertur Angelū esse perfectiorem in vi intellectiua, quia in hac est purior & sēsuū imperfectis operationibus nullatenùs admista, & totus est intellectus; non solùm vt intellectus distinguitur contra sensum, sed etiam contra rationem, seù vim discursiuam, & importat virtutē cognitiuam veritatis vnico, ac simplici intuitu, quia sic est simplicior, & actualior, intellectui increato propinquior, &c. Anima autē rationalis est imperfectior, ob hoc præcipuè, quia, vt notat S. Th. de verit. q. 15. a. 4. corp. [intellectus, nēpè humanus, quoadāmodo sensibilibus operationib. admiscetur cū à phantasmatib us accipiat, & ita ex sensibilibus operationibus quodammodo intellectus puritas inquinatur] & in q. 15. a. 1. dicit [propriū humanæ cognitionis est, vt à sēsu & à phantasmate ortū habeat] & hinc patet, Angelū in ui intellectiua non posse habere se præcisiuè ad esse magis, vel minus perfectū, sed necessariò esse positiuè perfectiorem: intellectus enim, seù vis cognitiua Angeli includit in se omnes dictas perfectiones, saltēm implicite, ob quam etiam rationem idē S. Th. in 4. dist. 49. q. 2. a. 6. ad 4. sic ait: [In intellectu Angeli nō inuenitur aliquis defectus secundum rationem sui generis, sed secūdum comparationem ad intellectum qui est extra genus suum scilicet diuinum. Habet enim omnem perfectionem, quæ debetur generi in-

intellectus, in quo nō cōtinetur nisi intellectus creatus; intellectus. n. increatus est extra genus; sed intellectus humanus patitur defectum, etiam secundum rationem sui generis, quia in eo est lux intelligibilis obumbrata, vnde dicit Isaac, quod ratio oritur in vmbra intelligentiæ] Deinde nego vltimam consequentiam; prædicatum enim totalis intellectiuitatis est essentialiter addictum omnibus intellectibus perfectioribus, quàm sint intellectus animarum rationalium.

Ad secundam probationem dico, dupliciter posse intelligi fieri diminutionem vnius cognosciuitatis, & augmētum alterius. Vno modo secundum gradus vtriusque cognosciuitatis quasi inter se ita mistos in eodē subiecto vt ad explēdam latitudinem gradualem, quot des sunt de vna superadduntur de altera, sicut accidit inter gradus qualitatum contrariarum. Et hoc modo verum omninò est assumptum; non solùm enim non est necesse, quantum diminuitur de vna cognosciuitate in vno cognoscitiuo tantum illi accrescere de alia, sed etiam id est prorsùs impossibile; quia hæ cognosciuitates non habent hos gradus intendibiles, seù augmentabiles, nec ècontra remissibiles, seù diminuibiles, & insuper commissibiles ad explendam in aliquo cognoscitiuam latitudinem gradualem, vt octo, vt ex se clarū est. Neque hoc ad rem facit. Alio modo potest intelligi, quòd in aliquo cognoscitiuo diminutio vnius cognosciuitatis scilicet sensitiuæ sit simplex carentia, seù defectus & exclusio eius, tanquam minus perfectæ, augmentum verò alterius cognosciuitatis nempè intellectiuæ, sit positio, seù affirmatio, & possessio eius, habentis ex sua excellentia, & eminentia omnimodam independentiam ab alia exclusa, & ideò reddatur perfectior, & plenior in sua ratione, ac natura, quàm foret, si esset dependens ab eadem, & hoc modo negatur assumptum. intellectiuum enim purum, carens cognosciuitate sensitiua, & ab ipsa omninò independens, hoc ipso augetur, seù perfectius est in intellectiuitate, quàm foret si esset etiam sensitiuū, sicut est anima intellectiua, ob rationes allatas. Nec obstat prima probatio, quia solùm procedit de diminutione, & augmento primo modo. Nec secunda, quia intellectiuum purum, incapax sensitiuitatis, hoc ipso habet quidem certam, ac determinatam intellectiuitatem, sed tamen meliorem, ac perfectiorem intellectiuo habente simul sēsitiuitatem. Nec tertia, quia ostreę non habent vnum solùm sensum cum carentia aliorum ex eminentia, & excellētia, sed ex defectu, & vilitate, & magna imperfectione naturæ; secus in casu nostro. vndè aliter se habet sēsus tactus ad alios sēsus, ac intellectus ad sēsus. Nā tactus non est depēdēs ab alijs sēsib. in accipiēdo species, neq; eius cognitio ortum ab ijs ducit, & ideò neq; ex ipsorum consortio reddi potest

minus perfectus, neque ex diuortio magis: intellectus autem coniūctus cum sensibus, est modo explicato pēdēs ab ipsis, & ideò est minus perfectus; separatus verò, et abstractus, est omninò independēs atque adeò perfectior. similitèr, nec obstat quarta probatio, quia animæ humanæ non sunt in sua sensitiuitate, seù in suis sensibus dependentes ab intellectiuitate; non enim accipiunt ab intellectu species suas sensibiles, nec sensitiua cognitio ortum ducit ab intellectiua; sicuti è contra intellectus est pendens à sensibus iuxta prædicta; & ideò etiam si illæ animæ non sint totaliter sensitiuæ, sed sint simul intellectiuæ: tamen proptèr hoc sunt quidem minus perfectæ in intellectiuitate ob illam dependentiam ab ignobiliori cognoscitiuitate, sed nō sūt minus perfectę in sensitiuitate, quia neque in hac pēdent ab intellectiuitate, & etiam si penderent, quia tamen hæc depēdētia, foret à nobiliori, nō imminueret, sed potius augeret perfectionem sensitiuitatis: ob quam rationē multi dicunt, cogitatiuā sēsitiuā hominis ex coniunctione ad intellectum reddi perfectiorem in sua vi cognoscendi, & Albert. in sum. de homine part. 2. quæst. 1. de reminiscentia [Vires, inquit, animæ sensibilis ex ordine ad rationem efficiuntur maioris potentiæ, & hoc patet maximè in viribus motiuis sensibilis animæ, quæ sunt cōcupiscibilis, & irascibilis: quæ in homine persuasibiles sunt à ratione, & substantia virtutis, & vitij, in brutis autem non]Nec refert, q. ex S. Thom. de verit. q. 13. ad 10. [Tanta potest esse in actu speculationis vehementia, quod omninò à sensibili operatione abstrahatur] hęc enim non est dependentia sensuum ab intellectu quoad ea, quæ necessaria sunt ad compendum actum primum, aùt ad originem cognitionis sensitiuæ, sed est quoad exercitium actuum, quorum vnus potest aliquanto impedire, aùt retardare alium ex eo, quia anima in qua radicantur omnes potentiæ cognitiuæ magis figit attentionem ad obiectum vnius potentiæ, quàm ad aliud alterius: & hinc patet ad vltimā probationē, licèt n. omnia bruta sint totalitèr sensitiua, non tamen propterea sunt in vi sentiendi perfectiora homine, qui sensitiuus est, & intellectiuus: quia, vt dixi, vis sentiua hominis nullatenùs debilitatur, aùt infirmatur ex coniunctione ad vim intellectiuam, & ideò ob hoc caput non debet excedi à vi sensitiua brutorum in perfectionē sentiendi, quamuis ob aliā capita aliqui sensus hominum ab aliquibus sensibus brutorum excedi possint in perspicacitate, aùt vehementia sentiendi.

Secunda assertio. non est dabilis intellectus, cuiuscumque substātię intellectiuæ fingatur esse, qui sit omnimodè limitatus, & coarctatus ad aliquod obiectum, vel aliqua obiecta. Probatur hoc varijs vijs.

Prima via est, quia si potest dari

vnus

vnus intellectus coarctatus ad vnũ tantum obiectum, puta hominem, & non Angelum; ergo dari potest alius intellectus addictus ad duo tantum obiecta, puta ad hominem, & vnum tantum Angelum nĕpè infimum, & similiter alius intellectus potens intelligere duos tantũ Angelos, & alius potens tres tantum, & alius quatuor tantum, & alius nouem, & alius centum, & vnum tantum, & sic deinceps, quia non potest assignari ratio maior illius primi intellectus, quàm aliorum, & nulla relucet maior implicantia in vno quàm in alijs; sed hoc est omninò falsum; ergo, &c. Minor probatur primo, quia hęc omnia sunt prorsùs inaudita, & statim præseferunt magnam improbabilitatem. Secundo, quia hi intellectus vtique essent inter se differentes, & vnus esset inferior, alius superior, seù perfectior, vt ex se constat: vel ergo vniuersaliter singuli possent intelligere seipsos, & propriam substãtiam intellectiuam, & etiam obiecta sibi æqualia & etiam inferiora se; Vel non possent, sed essent singuli addicti ad obiecta superiora se plura, vel pauciora iuxta vtriusque capacitatem. vel demũ aliqui id posset, aliqui verò alij non possent. Si primum contra est, tum quia iam hi intellectus non essent limitati sicuti sensus, qui non possunt cognoscere se ipsos, nec obiecta sibi æqualia, aùt omnia se inferiora, cum tamen aduersarij hos intellectus limitatos ex similitudine sensuum conentur arguere. Tum quia si dari possunt intellectus illius naturæ, & conditionis, necessariò etiam dari poterunt in alia classe alij magis limitati, & coarctati, ex sua natura, qui nec se ipsos, nec obiecta sibi æqualia, nec omnia inferiora se intelligere possint, sed tãtũ aliqua, sicut accidit inter sensus, quia nõ potest ostẽdi maior repugnantia in ijs intellectib. quã in primis: vndè nec ij, qui forẽt in hac serie superiores, seù perfectiores, possent propterea intelligere obiecta inferiorũ intellectuũ, sed tantum obiecta aliqua, ad quæ ex se ipsis essent addicti, quia superioritas nihil ad hoc iuuare potest; sicut nec visus, qui est superior, seù perfectior alijs sensibus inferioribus, potest ideò se extendere ad obiecta aliorum, sed ex se coarctatur ad lucem, & colores; ergo falsò dictum est, vniuersalitèr singulos intellectus limitatos, posse intelligere se ipsos, omnia obiecta sibi æqualia, & omnia se inferiora. Si verò dicatur secundũ nempè non posse eos intellectus vniuersalitèr, hæc intelligere. contra etiam est. Quia in primis incredibile, & ominò inuerisimile est, intellectus potentes intelligere obiecta superiora se, suisque substantijs, esse adeò debiles, ac viles, vt non possint intelligere se ipsos, suasque substantias, nec alia obiecta sibi æqualia, quæ tamen illis sunt maximè conformia, & proportionata obiecta, nec insuper alia inferiora, puta muscam, formicam, & similia, quod sanè ex ter-

mi-

minis ipsis absurdum videtur. Deindè hinc sequitur, intellectus superiores, seù perfectiores in vi intellectiua, & intellectus inferiores, seù minus perfectos omninò parificari,& æquales inter se esse in non posse intelligere prædicta obiecta, quod certè illorum superioritati,ac maiori perfectioni mul tum derogat. Item ponere intellectus, qui sint prorsus addicti ad sola superiora obiecta, & penitus incapaces cognitionis rerum illis inferiorum, est omninò voluntarium,& nullo etiam apparenti fundamento innixum, imò & omninò fictitium, ac chimericum. Denique contra hunc modum dicendi faciunt plura infra ponenda. Nec demum potest dici tertium, scilicet aliquos intellectus posse intelligere illa obiecta, aliquos verò alios non posse, iam enim vtrũque impugnatum est, & præcipuè hoc secundum.

Secũda via,seù confirmatio primæ est,si dari possunt intellectus dicto modo coarctati ad aliqua obiecta tãtũ, vel ly tãtũ excludit alia obiecta inferiora ijs obiectus, vel excludit solùm superiora, æqualia enim certum est non posse excludere. Neutrum autem dici potest. Non primum,quia sequitur, intellectum potentem intelligere hominem tantum,& intellectum potentem intelligere solùm Angelũ infimum, & intellectum potentem intelligere Angelum illo immediatè superiorem, & sic deinceps omnes intellectus potentes intelligere alios Angelos gradatim superiores, esse omninò impotentes & ineptos intelligere obiecta ijs inferiora, etiam materialia, quantumuis vilia,& ignobilia, etiam accidentia sensibilia, quæ possunt cognoscere sensus, quod certè absurdissimum est, & contra illud receptissimum principium, quod quicquid potest cognoscere potentia inferior,præsertim si sit in inferiori ordine, potest eminentiori modo cognoscere potentia superior præcipuè si sit superioris ordinis, nec credo aduersarijs posse oppositum in mentem venire. Item sequitur, substantias intellectuales superiores nullum posse habere commercium, aùt coniunctionẽ cum intellectiuis inferioribus, nec has vllo modo alloqui, quia has nullatenus possent cognoscere: ècontra verò has inferiores,vtpotè cognoscentes aliquam, vel aliquas ex superioribus, non habere ex parte sua hanc impotentiam conuiuendi, & loquendi cum illis, quod statim apparet, quàm ridiculum, ac falsum sit. Nec dici potest secundum, quod scilicet intellectus coarctati possint quidem intelligere omnia inferiora, & etiam aliquod, vel aliqua ex superioribus, non tamen possint intelligendo pertingere ad superiora remotiora, & perfectiora, & hæc excludantur, per ly tantum:sic enim arguo contra. Nã in primis adhùc sequitur, substantias habentes tales intellectus sic coarctatos nullum habere posse commercium cum illis obiectis su-

pe-

perioribus remotioribus, qui vtique forent Angeli excellentiores, cum alloqui nullo modo possent huiusmodi substantias inferiores, vtpotè incapaces cognoscendi ipsos: vndè hæ substantiæ inferiores intellectiuæ essent longè viliores, ac deterioris conditionis, quàm plurima bruta, quæ possunt aliquo modo cognoscere homines eorumque locutiones aliqua ratione percipere, & ab ijs disciplinabiles reddi. Deinde si ij intellectus limitati non possent intelligere illa obiecta superiora, vtique hoc foret ob nimium excessum talium obiectiorum in perfectione supra illos: sed hic excessus non obstat; ergo. Maior patet, tum quia si talia obiecta, ablato illo maiori excessu, forent æqualia obiectis intelligibilibus ab ijs intellectibus, sine dubio etiam ipsa possent ab alijs dem intelligi. Tum quia si illud non foret ob nimium illum excessum; ergo foret ob aliam peculiarem disproportionem, & extraneitatem, qua illa obiecta forent ex sua natura disproportionata, & extranea, atq; adeò inintelligibilia ijs intellectibus, alia enim ratio assignari non potest; ergo sic etiam dici posset contra supra probata intellectus superiores, saltèm aliquos nullatenùs posse intelligere obiecta inferiora saltèm aliqua, quia hæc forēt ex sua natura disproportionata, & extranea ipsis: non enim obiecta superiora, seù perfectiora possunt esse ex natura sua magis disproportionata, & extranea potentijs cognitiuis inferioribus, quàm obiecta inferiora potentijs superioribus. disproportio enim naturalis, & extraneitas in obiectis respectu potentiarum abstrahit à superioritate, & inferioritate: vndè videmus tam lucem, & colorem, quæ sunt obiecta visus, & sunt nobiliora obiectis aliorum sensuum, esse disproportionata, & extranea ijs sensibus minus perfectis, quàm obiecta horum sensuum, quæ snt ignobiliora, & imperfectiora, vt odores, soni, & qualitates tangibiles, esse omninò extranea ipsimet visui. Minor verò, quod scilicet excessus ille in casu nostro non obstet, probatur, quia excessus perfectionis quo nunc Angeli excedunt intellectus humanos in aliquo sensu [illegible]us est, & tamen hic non obst[illegible] uo minus intellectus humani possint intelligere Angelos, & similitèr Angeli supremi multum in perfectione excedunt Angelos inferiores ipsorum que intellectus, & tamen hi adhùc possunt illos intelligere, nec sunt propterea limitati ad aliqua tantum obiecta, ita vt non possint extendi ad illa superiora obiecta; ergo sic in proposito solus ille excessus non obstat &c. Nec iuuat dicere, intellectus humanos, & Angelicos, etiam si excedantur ab ijs obiectis, tamen esse ex natura sua quodammodo illuminatos, & ideo illi nimio excessui [illegible], quia non quiuis excessus obstat intellectiuitati, sed solus excessus relatus ad intellectus suaptè natura limitatos, quales

lis ex se ipsis forent intellectus, de quibus agimus, cum hi intellectus sic limitati non implicent, Nam cōtra hoc est, quia tota hæc limitatio, & coarctatio ad certa obiecta, necessariò, & impręcisibilitèr includeret ex natiua sua imperfectione exclusionem illorum aliorū obiectorum superiorum, & hoc non nisi ob maiorem, & excedentem perfectionem eorum supra tales intellectus, ideò enim præcisè hi dicerentur sic limitati, quia possent quidem intelligere quædam obiecta, nullatenùs verò possent illa alia superiora, proptèr excessum illum perfectionis supra huiusmodi intellectus, quod indè clarè patet, quia si talis excessus abesset, iam ea obiecta essent intelligibilia ab ijs intellectibus, qui proindè non forent ita limitati. Vndè est implicantia in adiecto dicere, quod isti intellectus sint ex sua natura limitati ad aliqua obiecta, & excludant superiora, & hanc exclusionem non oriri ex excessu illo perfectionis, & ex distantia magna horum intellectuum in perfectione ab ijs perfectioribus obiectis. Nec rursus iuuat dicere, obiecta illa superiora, & excedentia, reddi ex tali superioritate, & excessu omninò disproportionata, & extranea ijs intellectibus inferiorbus: id enim iā impugnatum est, & adhùc impugnatur ex eo, quia totus excessus Angelorum in perfectione supra intellectus humanos, & excessus Angelorum supremorum supra intellectus Angelorum infimorum iam creatorum non reddit hos Angelos obiecta omninò disproportionata, & extranea talibus intellectibus inferioribus; ergo idem dicendum in re nostra. & ratio esse potest, quia tunc superioritas, & excessus obiectorum reddit ipsa prorsùs extranea, & disproportionata aliquibus potentijs cognitiuis secundum omnem modum cognoscibilitatis, quando illa obiecta sūt in superiori, seù altiori ordine, & habentia oppositionem ad potentias in ordine inferiori, & ignobiliori constitutas, quo pacto obiecta spiritualia sunt omninò extranea potentijs sensitiuis, & materialibus; in casu autem nostro obiecta illa superiora non sunt in ordine altiori, sed in eodē ordine entiū spiritualiū, & absque oppositione, cum quibuscūque intellectibus creatis, & creabilibus, aliàs nulli prorsùs intellectus possent cognoscere obiecta spiritualia se superiora, & excellentiora. Sed hæc clariora fient ex dicendis de excessu Dei supra intellectus creatos.

Tertia igitur via est. Nullus dari potest intellectus ita ex sua natura limitatus ad obiecta creata tantum, quin possit cognoscere Deum, saltèm abstractiuè, aùt arguitiuè, imò etiam intuitiuè per eleuationem; ergo multo minus dari potest intellectus ex se limitatus ad aliqua obiecta creata tantum, & impotēs intelligere alia obiecta creata, siuè superiora, siuè æqualia, siuè inferiora. Patet consequentia, quia multò minus requiritur ad cognoscenda

da obiecta creata quæcunque sint quàm obiectum increatum, cum huius excessus in perfectione supra quemcunque intellectum sit in infinitum maior, quàm excessus cuiusuis obiecti creati, quantumuis eminentis, &c. Antecedens autem fuse probatum est capite præcedẽti.

Dicere possent primo non implicare intellectum, qui nõ posset cognoscere compræhensiue se ipsum aùt propriam substantiam etiam per eleuationem, ac proindè hunc non posse ex se ipso compræhenso venire in cognitionem abstractiuã Dei, seù creatoris sui.

Sed contra primo, quia non ex hoc solo capite probatum est supra quemcunque intellectum posse abstractiue cognoscere Deum, sed ex alio, nempè ex eo, quia diuina substantia nulli prorsùs intellectui esse potest obiectum omninò extraneum, ac disproportionatum. Contra secundo, quia assumptum est plane falsum: quicumque enim intellectus, siuè sit omninò abstractus ab ordine ad corpus, siuè sit substantiæ intellectiuę informatiuæ corporis, sed tamen à corpore separatæ, nullum potest habere obiectum sibi magis proportionatum, quàm sit ipsemet, & propria substantia, quia nec vllo modo esse potest excedens se ipsum, nec sibi ipsi aliquo modo extraneum, nec ratione sui, vt constat, nec ratione alicuius medij sibi annexi, per quod debeat cognoscere sua obiecta, ob quàm rationem potentiæ sensitiuæ non possunt cognoscere se ipsas propter affixionem ad organa, quibus mediantibus cognoscunt obiecta sua; ergo omnis prorsùs intellectus potest cognoscere se ipsum; & propriam substantiam intellectiuam, etiam intuitiue, quid enim ad hoc obstare potest? Ergo etiam compręhensiue, vel per vires naturales, vel saltèm per eleuationem; cum enim sciamus, eleuationem ad aliqua in multis rebus non implicare, nullo etiam modo implicare potest in casu nostro cum nulla assignari hìc possit specialis ratio implicantiæ, imò magna ratio subsit non implicantiæ. Contra Tertio, quia si non implicat intellectus ineptus cognoscere compræhensiue se ipsum, etiam per eleuationem, pari facilitate dicetur, non implicare intellectum ita ex sua natura limitatum, vt sit omninò impotens cognoscere bonum, aùt malũ morale, & etiã sit prorsùs ineptus cognoscere aliquo modo, siuè intuitiue, siuè abstractiue etiã p eleuationẽ vllũ obiectũ se superius, sed tãtũ citra compræhensionẽ sit potens cognoscere modo spirituali se ipsũ, & suam substantiam, obiecta se inferiora, imò non omnia, sed aliqua tantum, imò solas qualitates sensibiles, quas modo corporeo possunt cognoscere sensus, quos ille intellectus in hoc etiam excedit quod ipse erit potens cognoscere omnia obiecta omnium sensuum externorum, & internorum, quæ omnia singuli sensus cognoscere non possunt. Hoc autem est ridiculum, & valdè vilificans has po-

tentias spirituales, & substantias intellectiuas ipsas intra seriem, ac classem potentiarum sensitiuarũ & inter bruta propemodũ reijciẽs. Nec iuuat dicere potentias sensitiuas esse organicas, & ideò propterè organa esse magis limitatas, intellectũ verò vtpotè inorganicum, esse potentiam vniuersaliorem; nam id quidem verum est. sed tamen, admissa semel doctrina de intellectibus ex propria natura limitatis, ac coarctatis ad aliqua obiecta absque ordine, ad vlla organa, facilè etiam dicet alius, non implicare intellectus ad prædictam ignobilitatem, & fortasse peiorem redactos, quia totum id limitationis, ac restrictionis, quod organa, vel ordo ad organa præstat in sensibus, fingi posset eos intellectus habere ex se ipsis, & ex propria ipsorum natura.

Dicere possent secundo quemcunque intellectum posse quidem ex se ipso compræhenso cognoscere Deum abstractiue, quia ipse, vt effectus habet connexionem cum Deo, tanquam eum causa, & ipse est imago Dei: hanc verò cõnexionem nullus intellectus habet cum obiectis creatis, quantumuis se superioribus, & ideò non est necesse quemcunque intellectum posse intelligere quæuis obiecta creata.

Sed contra est. Tum quia hinc sequitur, nullum intellectum possibilem exijs, qui forent limitati, & coarctati, imò nullum intellectum ex iam creatis posse intelligere obiectum aliquod se superius, aùt aliqua obiecta se inferiora, cum his enim nullam haberet connexionẽ effectus, & causæ, aùt causæ, & effectus, ac imaginis. Tum quia defectus illius medij, scilicet connexionis cum obiectis creatis superioribus in ratione causæ, & effectus, vel è conuerso, non arguit in intellectu incapacitatem simpliciter cognoscendi illa obiecta, alioquin omnis intellectus creatus esset simplicitèr incapax cognoscendi etiam per eleuationem, cogitationes liberas aliorum, & etiam obiecta, quæ cognoscuntur per reuelationem, manifestationem, & illuminationem, & locutionem, & etiam per affinitatem inter substantias intellectiuas in exclusione materiæ, & exclusione potentialitatis, ob quam rationem vnus Angelus cognoscere potest intuitiue alium: connexio igitur illa causæ, & effectus est quidem vnum ex medijs cognoscendi, sed nõ est adæquatum, & præcisum, cum suppetant mùlta alia media cognoscendi iã numerata. Tum quia Deus abstractiue cognitus, potest cuiuis intellectui, iam ipsum cognoscenti loqui, infundendo illi species, & excitando cognitionem; ergo potest ei reuelare se esse trinum, & vnum; & etiam dari plures Angelos, cùr enim non? ergo ille intellectus potest hæc omnia obiecta cognoscere abstractiue. Item sumatur illa substantia intellectiua unius intellectus, qui dicitur esse limitatus ad vnum tantum obiectũ superius, nempè ad Angelum infimum

mum, & incapax aliorum superiorum Angelorum, tum arguo sic: Re vera talis substantia potest loco moueri ab aliquo, ex ijs obiectis, seù Angelis superiorib. qui dicũtur esse illi incognoscibiles, cùr enim id repugnet? ergo ea substantia benè potest cognoscere, hunc motum, seù impulsum non manare ab illo Angelo infimo sibi noto; vel saltèm potest ab illo loquente audire, quòd hæc motio neque manat à se, neque à Deo, vt à causa particulari, sed ab aliqua alia substantia spirituali se perfectiori, ac potentiori; ergo illa substantia audiens, siuè loquenti credat, siuè non credat, iam format conceptum abstractiuum illius substantiæ perfectioris, ac potentioris, quàm audit esse causam huius motus, quia sine tali conceptione, nec assensum, nec dissensum præstare potest.

Quarta via sumitur ex discrimine inter intellectum, & sensum prædicabilem de sensibus externis; nam is sensus primo diuiditur in sensus particulares omninò inter se disparatos, & heterogeneos ita, vt quilibet excludat, & extraneet à sphœra sui obiecti adæquati obiecta omnium, & singulorum aliorum, & sic vice versa; intellectus verò non primo diuiditur in intellectus particulares, seù speciales, qui sint omninò inter se disparati, heterogenei, ac disproportionati, alioquin singuli intellectus haberent proprium obiectum adæquatum, à quo excluderent obiecta omnium, & singulorum aliorum, vndè nulli intellectus possent intelligere vnquam eadem obiecta, quod clarum est esse falsissimum; Diuiditur ergo intellectus in communi sumptus in intellectus particulares, magis inter se inuicem homogeneos, ac conformes, & solũ differentes tanquam perfectiorem, & imperfectiorem, seù minus perfectum secundum speciem; ergo hæc minor perfectio id intellectibus imperfectioribus, non solùm actu existentibus, sed etiam possibilibus, tantum facit, vt ipsi possint intelligere omnia illa obiecta, quæ possunt perfectiores, seù superiores modo tamen imperfectiori, & minus claro, aùt etiam per plures species, & etiam intelligendo plura simul, non autem facit, vt possint simplicitèr intelligere pauciora tãtũ obiecta ad q̃ sint limitati; tũ quia si ea minor perfectio id faceret in aliquib. intellectib. possibilib. scilicet restringere simplicitèr eorum obiecta, iam id etiã necessariò faceret in intellectibus omniũ Angelorum actu existentium minus perfectorum; vndè omnes hi intellectus minus perfecti intelligerent pauciora obiecta simpliciter: sicut quia illa eadem imperfectio facit ex natura sua, vt intellectus minus perfecti intelligant minus perfectè aùt minus clarè sua obiecta, ideò id de facto facit in omnibus intellectibus minus perfectis non solùm possibilibus, sed etiam actualibus, semper enim intellectus Angelorum minus perfectorum intelligũt minus perfectè omnia illla obiecta

quæ Angeli perfectiores intelligũt perfectiùs, quia nulla assignari potest ratio, cùr minor ista perfectio sit semper, & vbique causatiua talis minoris perfectionis in intelligendo, non verò sit restrictiua, & limitatiua ad pauciora obiecta: Tum ex eo, quia inter intellectus iam existentes, illi, qui sunt minus perfecti, semper ita decrescunt vniformiter, vt quò sunt minus perfecti in essentia sua, sic decrescant in modo intelligendi minus, ac minus perfecte eadem prorsùs obiecta, quæ intellectus perfectiores intelligunt modo perfectiori, vel etiam in intelligendo plura simul; non verò descrescant per restrictionem, ac coarctationẽ simpliciter ad pauciora, ac pauciora obiecta, vt omnes cõcedunt; ergo sic etiam intellectus possibiles, quantumuis minus, ac minus perfecti decrescunt proportionalitèr quantum ad modum intelligendi minus perfecte, vel etiam quoad intelligere pauciora obiecta simul, & non quoad pauciora obiecta simpliciter, quia illud decrementum semper minorat intellectus vniformiter sicut in essendo, ita in intelligendo, quia intelligere sequitur ad perfectionẽ essẽdi.

Dices esse duplicem classem intellectuum decrescentium in intelligendo, vnam per decrementũ intensiuum idest per minus, ac minus perfecte intelligere eadem omninò obiecta, quæ meliùs intelligunt intellectus perfectiores, & sic accidit in intellectibus existentibus, & alijs possibilibus consimilibus, qui spectant ad hanc classem; alteram per decrementum extensiuum in numero obiectorum, quia scilicet vnus intellectus potest intelligere pauciora obiecta, & nõ tot, quot potest alius magis perfectus: & ad hanc classem spectant aliqui alij intellectus possibiles, & hi sunt limitati ad certa obiecta, sed tamen hoc reijcietur per sequentia argumenta.

CAPVT VI.

Alia argumenta contra intellectus limitatos ad certa obiecta.

SVppono primo varie posse excogitari, intellectus limitatos. Primo, vt sint simplicitèr limitati ad certa obiecta nempè non modo connaturalitèr, sed etiam essentialitèr, ita vt possint intelligere tot, vel tot obiecta finita, non tamẽ plura, nec omnia intelligibilia, siuè simul, siuè successiuè, etiam obedientialitèr. Secũdo, vt sint secũdũ quid limitati ad tot, vel tot obiecta quantũ ad vim, seu modum intelligendi ea simul, idque, vel connaturalitèr, vel etiam essentialitèr, & obedientialitèr, abstrahendo ab hoc, quod possint, vel nõ possint intelligere omnia obiecta intelligibilia, siuè simul, siuè successiuè. Tertio, vt circa obiecta ab ijs intelligibilia sint limitati ad certum mo-

modum intelligendi magis, aùt minus perfectum iuxta perfectionem intelligentium, idque, vel cõnaturalitèr, vel etiam essentialitèr. Similitèr intellectus illimitati possunt intelligi, vt illimitati, vel ad omnia obiecta intelligibilia successiuè intelligenda, siuè connaturalitèr, siuè obedientialitèr modo tamē intelligendi magis, & minus perfecto, sed semper finito; vel ad omnia intelligenda simul, & modo infinito: de quo tamen modo, an sit possibilis, vel impossibilis hic non disputo. Vndè patet, intellectus simpliciter limitatos, & intellectus illimitatos constituere duas classes.

Arguo igitur primo sic. Si dari possunt intellectus simplicitèr limitati ad certa obiecta, sequitur necessariò in hac classe dari infinitas series inferiores, & superiores extensiuè intellectuū specie, aùt genere inter se differentium, sed hoc est absurdum; ergo, &c. Sequela maioris probatur, quia ibi necessariò daretur vna series continens infinitos intellectus limitatos ad vnum obiectum tantum: alia series continens infinitos intellectus limitatos ad duo solum obiecta, alia series intellectuum infinitorum limitatorum ad tria, alia limitatorū ad quatuor, & sic deinceps. Quia nulla esse potest ratio, cùr circa singulas combinationes, seù numeros obiectorum detur vnus intellectus tantum, & cùm repugnet dari plures, & plures in infinitū, quorum vnus per hoc sit specie distinctus ab alio, quòd melius, seù clarius, aùt vnitius per pauciores species intelligit illud idē obiectū, aùt illa eadem obiecta, quæ minus perfecte intelligit alius: aùt saltèm per hoc, quod vnus potest intelligere plura simul, quàm alius; licèt simplicitèr possint intelligere totidem obiecta successiue. Si enim in classe intellectuum illimitatorum ad omnia obiecta dantur innumeri intellectus, & dari possunt alij infiniti Angelorum differentes inter se specie per hoc, quod vnus est natus intelligere melius, seù perfectius, aùt vnitius eadem prorsùs obiecta connaturalia, & plura simul ex his ipsis, alius verò minus perfectè, ac pauciora simul ex ijsdē, cùr in classe intellectuū limitatorum ad aliqua, seù aliquot obiecta dari non possunt plures, imò infiniti, qui sint limitati ad eadem finita obiecta vnius combinationis, seù numeri, differentes specie inter se ex dicto modo intelligendi, & alij limitati ad alia obiecta similitèr inter se differentes, & sic deinceps, licet ab intellectib. aliarū cōbinationum differant plusquàm specie, quia ab ipsis non differunt ex solo modo intelligendi, sed etiam ex maiori, vel minori numero obiectorum similitèr ab ijs intelligibilium? Maior verò scilicet hoc esse absurdum, probatur, quia ob vnum caput series extensiue superiores, & singuli intellectus ipsarum necessariò forent semper, & vniuersalitèr perfectiores etiam in modo intelligendi, quàm series extensiue inferiores, & singuli harum intellectus

Tum

Tum quia series superiores cum suis intellectibus necessariò forent absolutè perfectiores in natura, seù essentia intellectiua, ob hanc enim rationem essent superiores extensiue, & non ob aliam; ergo necessariò etiam forent semper perfectiores in modo intelligendi sua obiecta, cum modus intelligēdi sit magna imò præcipua perfectio inter naturas, & gradus intellectiuos, vt constat in intellectibus existentibus, cōprehēdēdo sub modo intelligendi etiam simultatem in intelligendo plura: Tum quia alioquin sequitur, seriem intellectuum potentium intelligere e.g. centum obiecta spiritualia perfectiora, & perfectiora, imò etiam seriem potentium intelligere mille obiecta, & seriem potentium bis mille, & sic semper ascendendo fore minus perfectas, aùt æque perfectas in modo intelligēdi ac sunt series potentium intelligere vnum tantum obiectum, aùt duo tantum obiecta: imò etiam, sequitur series intellectuum, quò sunt extensiue perfectiores, & perfectiores in infinitum, eò fore minus, ac minus perfectas, ac decrescentes in modo intelligendi, dicet enim quis has series sic decrescentes non implicare, si semel admittatur, singulas series perfectiores extensiue non esse hoc ipso perfectiores intensiuè in modo intelligendi: hæc autem ex terminis ipsis videntur inconuenientia, ac falsa. Ob aliud vero caput eædem series extensiue superiores non possent quoad singulos suos intellectus esse semper, & vniuersalitèr perfectiores in modo intelligendi, aliqui enim intellectus spectantes ad series extensiue inferiores, necessariò forent perfectiores in modo intelligendi aliquibus intellectibus serierum superiorum. Quod patet primo ex eo, quia in singulis seriebus tam inferioribus, quàm superioribus, singuli intellectus sunt limitati, saltèm connaturalitèr, ad certum gradum claritatis, seù perfectionis in modo intelligendi, maioris, vel minoris, & etiam in posse plura, aùt pauciora obiecta simul intelligere, iuxta ipsorum naturam, sicut etiam contingit in intellectibus actu existentibus illimitatis ad omnia obiecta, alioquin si singuli possent clariori, & clariori modo seù perfectiori, & perfectiori semper intelligere, iam singuli haberent in se totā actu virtutem intensiue infinitam in modo intelligendi; ergo in casu nostro aliqui intellectus serierum superiorum hoc ipso, quòd forent limitati ad determinatum gradum in modo intelligendi, necessariò possent excedi, & de facto excederentur in tali gradu talis modi ab aliquibus intellectibus serierum inferiorum; & hoc ideò, quia ex iam probatis, etiam in qualibet ex his seriebus darentur intellectus syncategorematice infiniti perfectiores, & perfectiores in modo intelligendi sua obiecta; ergo aliqui ex his necessariò possent excedere, & actu excederent in gradu modi intelligen-

gen-

gendi aliquos ex illis, vtpotè limitatos ad determinatum gradum in suo modo intelligendi; assignato enim in superiori serie vno intellectu sub limitato, ac determinato gradu, A, iam is intellectus non solùm posset excedi, & excederetur ab intellectibus perfectioribus eiusdem, aùt superiorum serierum, sed etiam ab aliquibus serierum inferiorum, quia hi semper crescerent in infinitum perfectiores, & perfectiores in gradu modi intelligendi sua obiecta, & ex consequenti aliqui ex his necessariò crescerent in suo gradu modi supra illum gradum modi A limitatum, & finitum: & idem proportionalitèr dicendum est de multis alijs supra modum multorum aliorum. Secundo idem patet ex eo, quia hoc ipso, quòd admittuntur, vt dabiles intellectus limitati ad certa obiecta, iam hi necessariò sunt etiam limitati in modo intelligendi, vt dictum est; ergo sicut in singulis, tàm inferioribus, quàm superioribus seriebus dari possunt intellectus limitati connaturalitèr ad certum modum intelligendi, sic etiam dari possunt aliqui intellectus limitati essentialitèr ad certũ modũ, & inelevabiles ad modum meliorem, quia non est, vndè intellectus sic ex natura, & essentia limitati implicent, sicut non implicant per aduersarios intellectus ex sua natura essentialitèr limitati ad certa obiecta. ergo necessariò omnes illi intellectus serierum inferiorum, tàm magis, quàm minus inter se perfecti quoad modum, qui non sunt limitati essentialitèr, sed solùm connaturalitèr ad certum modum intelligẽdi, excedent in perfectione modi omnes illos intellectus serierum superiorum, qui sunt essentialitèr limitati ad determinatum modum. Tertio idem patet; nam ex hoc, quod aliquæ series sint superiores extensiue, aliquæ inferiores adhùc extensiue, non sequitur, aùt omnes, aùt aliquos intellectus superiorum esse absolutè perfectiores in modo intelligendi omnibus, aùt aliquibus intellectibus posteriorum, quia sicut in classe intellectuum extensiue illimitatorum ex eo, quod aliqui sint perfectiores in modo intelligendi, alij verò minus perfecti, adhùc in modo, non sequitur, quòd hi sint etiam minus perfecti in extensione, & illi sint perfectiores, cum in extensione omnes sint æquales; ita in classe intellectuum extensiue limitatorum, ex eo quod aliqui sint extensiue perfectiores, & alij extensiue minus perfecti, non bene infertur, quòd hi sint minus perfecti etiam in modo, & illi magis; sed omnes possunt esse æqualitèr perfecti in modo intelligendi, licet sint inæquales in extensione: quia sicut incrementum, & decrementum in modo intelligendi non trahit secũ incrementum, & decrementum in extensione, vt videre est in omnibus intellectibus illimitatis existentibus, ita vice versa incrementum, & decrementum in exten-

tensione, quod reperitur in intellectibus extensiue limitatis, non debet secum in his trahere incrementum, & decrementum in modo intelligendi, sed potest stare cum modo omninò æquali. Imò contendet aliquis, eos intellectus extensiue limitatos, qui in extensione excedunt alios, posse ab his excedi in perfectione modi intelligendi quia non apparet, vndè hoc repugnet, sed hæc ex mox dicendis magis elucescent.

Arguo igitur secundo principaliter, quia quicquid sit de dictis seriebus inter intellectus extensiue limitatos, comparando simplicitèr classem cum classe inuenientur cõtradictiones similes præcedentibus, nam classis intellectiuorũ extensiue limitatorum ex vno capite esset tota secundum singulos suos intellectus absolute, & simplicitèr inferior, seù minus perfecta in ratione naturæ, seù essentiæ intellectiuæ atque adeò etiam in modo, & perfectione intelligendi, quàm classis illimitatorum. ex alio capite verò non sic esset. Primum videtur clarum. Tum quia classis intellectuum limitatorum non esset vndè haberet hanc limitationem in extẽsione ad finita obiecta; classis verò illimitatorum haberet in extensione illimitationem omnimodam ad obiecta infinita; nisi illa esset simplicitèr, & absolutè infra hanc in natura, ac perfectione intelligendi. Tum quia singuli intellectus extensiue illimitati haberent excessum infinitum supra singulos intellectus limitatos? Tum quia quis dixerit, intellectus potentes intelligere infinita obiecta perfectiora, & perfectiora in infinitum, non esse in ratione naturæ intellectiuæ longè perfectiores intellectu potente intelligere tantum duo obiecta, aùt solùm tria, aùt quatuor & sic de alijs? Tum quia alioquin posset aliquis intellectus ex limitatis esse in perfectione, ac vi, seù essentia intellectiua æqualis supremo seraphino, imò alijs maioribus possibilibus, & fortè etiam perfectior ijs: quod quidem in nullius mentem credo posse venire. Secũdum verò probatur, quia iuxta supradicta debent in vtraque classe dari aliqui intellectus limitati connaturaliter ad certum modum intelligendi perfectiorem, & minus perfectum pro varietate naturarum intellectualium, & alij limitati etiam essentialitèr nõ eiusdem: vndè necessariò fit, vt aliqui intellectus ex classe limitatorum extensiue, excedãt aliquos ex classe illimitatorum extensiue in tali modo, ad quem hi sunt limitati cõnaturalitèr, & alios in modo, ad quem sunt limitati essentialitèr, cũ cuilibet ex his modis sit finitus, ac determinatus, ac proindè excessibilis ab intellectibus aliquibus extẽsiue limitatis, qui sicut in infinitũ possunt crescere, quoad extensionẽ ita etiam possunt in perfectione modi intelligendi, atque adeò aliqui ex ipsis magis perfecti excedere possunt in modo, non quidem omnes intellectus, aùt perfectiores

ex

ex classe illimitatorum extensiue, sed aliquos ex his minus perfectos. Insuper ex hoc quod omnes,& singuli intellectus ex classe illimitatorum extensiue, sint superiores, ac perfectiores quoad extensionē omnibus, & singulis intellectibus ex classe limitatorum extensiue, non sequitur, quòd sint absolutè superiores ijsdem etiam in modo intelligendi; benè enim potest intelligi, quòd sint superiores in vna ratione, nempè in extensione, sint verò æquales ijs in alia, scilicet in modo intelligendi, quia augmentum extensiuum non debet secum trahere augmentum intensiuum, seù in modo cognoscendi. Imò esto de facto in classe illimitatorū extensiue, omnes,& singuli intellectus existentes excedant etiam in modo totam alteram classem, tamen cōtendi potest, dabiles adhùc esse alios intellectus illimitatos extensiue talis naturæ, vt in modo intelligendi sint inferiores singulis intellectibus extensiue limitatis, nulla enim in hoc relucet implicātia, si hi intellectus extensiue limitati dari possunt, vt aduersarij volunt.

Dices intellectus ex classe extensiue illimitata esse superioris ordinis, & ideò nullum ex his posse adæquari in modo intelligendi ab vllo intellectu ex alia classe.

Sed vrgeo, nam in primis falsū est assumptum; quia omnes omninò intellectus actuales, & possibiles sunt ordinis naturalis, cum contineantur intra gradum intellectiuum, & à materia eleuatum, tanquam potentiæ, seù proprietates substantiarum intellectualium quę omnes sunt necessariò naturales, implicant enim substantiæ supernaturales, vt hic suppono; ergò nulli prorsùs intellectus comparati ad alios intellectus, possunt esse superiores, seù altioris ordinis ad eū modū,& sensū, quo entia supernaturalia respectu naturaliū, & entia spiritualia respectu corporeorū dicuntur superioris, & altioris ordinis, seù eminentioris, vt ex se constat; sed tantū aliqui intellectus dicuntur esse superiores, seù perfectiores secundum speciem, alij verò inferiores. Deinde intellectus omnes ex extensiue illimitatis sunt re vera limitati in modo cognoscendi sua obiecta magis, & minus perfecte; ergo si ex his sumantur aliqui qui sunt minus perfecti in modo, puta intellectus hominum,& intellectus infimi Angeli, & alij paulo superiores, iam hi habent modum cognoscendi magis limitatum, ac finitum in tanta, vel tanta perfectione; ergo sumendo ex classe extentensiue limitata aliquos intellectus ex perfectioribus, puta ex ijs qui possunt intelligere successiue decem millia, aut centum millia obiecta, & non plura, isti necessariò possunt in modo intelligendi excedere modum prędictorum illimitatorum, vtpotè finitum, & isti intellectus semper crescunt in suo modo intelligendi secundum quod crescunt in extensione, & hic excessus semper est in mo-

modo intellectuali, qualis non est excessus, quem habet e.g. visio corporea in claritate supra actum fidei diuinę, ob quā rationē rectè dicitur talem visionem nō posse pertingere ad perfectionem modi cognoscendi dictæ fidei, qui est in ordine intellectuali eminentiori.

Arguo tertio; intellectus, vt sic secundum vnum, & eundem gradum perfectionis est ex parte sua sufficiens indiuisibilitèr ad omnia obiecta, atque adeò est indiuisibilitèr respiciens ens, vt ens; ergo intellectus, vt sic, ex suo conceptu est illimitatus extensiue, & ex consequenti implicant intellectus extensiue limitati ad aliquot tantum obiecta. Consequentia patet. Antecedens probatur: quia si intellectus vt sic dicto modo non est sufficiēs ad omnia obiecta, ergo in quolibet intellectu extēsiuè limitato, quales sunt omnes intellectus nūc existentes proptèr vnum obiectum est necessarius vnus gradus intellectualis, & proptèr aliud obiectum perfectius est necessarius gradus perfectior, & proptèr aliud obiectum perfectius requiritur alius gradus intellectualis perfectior, & sic deinceps semper ascendendo proptèr perfectiora, & perfectiora obiecta, quæ infinita sunt, sunt necessarij infiniti gradus intellectuales perfectiores, & perfectiores; ergo quilibet ex ijs intellectibus est ex parte sua continens in se per formalem continentiā infinitos simul gradus intellectuales perfectiores, & perfectiores formalitèr, vel virtualitèr inter se distinctos, ac proindè quilibet intellectus ex ijs est quantū ad extensiuitatē actu infinitè perfectus ex parte sua in ratione intellectiui. Hoc autē absurdū, & falsum est, vt hic suppono. Nec dicas, hanc non esse infinitatem perfectionis, sed solùm superioritatem, & eminentiam ordinis. Nam contra est, quia vel hæc superioritas est in respectu ad intellectus limitatos ab aduersarijs admissos, vel solùm in respectu ad potentias sensitiuas. Si primum id iam reiectum est, & adhùc apertè est pro nobis. quia tunc aliqua potentia est non solùm superioris ordinis supra alias infinitas, sed etiam est actu infinite perfecta, quando continet actu in se per continentiā formalem infinitos gradus perfectionis maioris, & maioris, per quos formalitèr æquiualet in aliqua ratione infinitis potentijs inferioribus, perfectioribus, & perfectioribus in infinitum in illa ratione, vt patet tum in potentia Dei productiua ad extra, quæ non solùm est superioris ordinis, sed etiā est infinite perfecta in ratione potentiæ productiuæ, quia per continentiam formalem continet actu in se infinitos gradus perfectionis maioris, & maioris, virtualitèr distinctos, per quos est æquiualens formalitèr infinitis potentijs creatis productiuis perfectioribus, & perfectioribus in infinitum in ratione potentiæ productiuę, vt Theologi dicunt in materia de infinitate Dei; tum etiam in potentia

por-

portatiua ponderum infinitorum, maiorum, & maiorum, quia hæc æquiualet dicto modo infinitis potentijs portatiuis, maioris, & maioris ponderis: & idcircò ipsa non solùm est superioris ordinis, sed etiam est infinitè perfecta in illa ratione: tū etiam in potentia motiua velocius, & velocius in infinitū, q̄ ob similē rationē nō modo est superioris ordinis ad alias potentias motiuas maiores, & maiores in infinitum, sed etiam est infinitè perfecta in illa ratione supra omnes illas: tum etiam in merito Christi, quod non solùm est eminentioris ordinis, sed etiam est actu infinitū ex communiori sententia ob infinitam dignitatem suppositi diuini, & etiam ob æquiualentiam proportionalem dictis ad infinita merita maiora, & maiora creaturarum intellectualium: sed in casu nostro quilibet intellectus ex extensiuè illimitatis continet actu in se simul per continentiam formalem infinitos gradus intellectuales perfectiores, & perfectiores in ratione intellectiui, per quos est formalitèr æquiualens infinitis intellectibus limitatis ab aduersarijs concessis; ergo quilibet est actu infinitè perfectus, &c. Si verò dicatur secūdū; id quidē verū est scilicet quemlibet intellectum extensiuè illimitatum esse superioris ordinis supra omnes potentias sensitiuas, etiam si hæ forēt perfectiores, & perfectiores in infinitum in ratione sensitiui, quia potentia, & natura spiritualis, vt sic per vnum gradum indiuisibilem immaterialem, vt sic, excedit indiuisibiliter per continentiam eminentialem omnes potentias, & naturas materiales, quantumuis perfectiores, & perfectiores in infinitum: sed tamen præter hoc, si verū est intellectum in communi, vt sic per vnum, & eundem gradum intellectualem non esse ex parte sua sufficientem respicere indiuisibiliter omnia sua obiecta perfectiora, & perfectiora in infinitum, iam necessariò infertur, quemlibet intellectum ex extensiuè illimitatis nunc existentibus, vt possit respicere talia omnia obiecta debere in se vnitim, & actu includere per inclusionem formalem infinitos gradus intellectuales perfectiores, & perfectiores, saltem virtute distinctos, ita vt ipsa obiecta respiciat diuisibiliter, nempe per vnum gradum, vnum obiectum, per aliū gradum perfectiorē respiciat aliud obiectum, & sic deinceps; ergo revera quilibet esset infinite perfectus, ex parte sua in ratione intellectiui quantum ad extensiuitatem in omnia obiecta. Nec refert, quod etiam nunc quilibet intellectus sit illimitatus, & infinitus extensiue; hinc enim non fit, eum esse simpliciter infinite perfectum, etiā in extensione, sed solùm infinitum secundum quid in quantum per vnum, & eundem indiuisibilem gradum est indiuisibiliter respiciens omnia sua obiecta sub ratione entis, aùt veri, quæ infinita sunt de quo infra.

Arguo quartò à priori, quia omni-

omnis potentia cognitiua limita a intrinsece ad aliquot obiecta tantum, necessariò præsupponit talia obiecta limitatiua eius extrinsece ad se ipsa tantum: sed nulla potentia cognitiua intellectiua possibilis potest præsupponere aliquot obiecta limitatiua eius extrinsece ad se ipsa tantum; ergo nulla potentia intellectiua potest esse intrinsece limitata ad aliquot obiecta tantum maior probatur primo ex singulis potentijs sensitiuis externis, quæ vtique intrinsece limitatæ sunt ad aliquot sensibilia obiecta tantum ipsarũ propria; & ipsæ, vtpotè ordinatæ intrinsece ad obiecta sunt dependẽtes ab ijs obiectis, & hæc sũt independentia ab ijs, & ideò necessariò præsupponunt talia obiecta, vt extrinsece limitatiua ipsarum ad se ipsa tantum: quia enim non omnia obiecta sensibilia, vt sic sũt ex natura sua apta sentiri, seù cognosci sensibiliter sub vno, & eodem modo perficiendi, seù immutandi potentias, sed determinata obiecta sunt ex se addicta tantum vni determinato modo per determinatum organum tanquam proximum limitatiuum, seù completiuum limitatiui, puta colores, suo peculiari modo, & organo, & soni suo, & sic de alijs, & sunt inepta sẽtiri alio modo, seù per aliud organũ, & hoc nos scimus à posteriori ideò potentiæ sensitiuæ ex hac radice habent, vt singulæ sint correspondentes, & proportionatæ ijs obiectis, & singulæ sint intrinsece limitatæ ad aliquot determinata obiecta ipsarum propria tantum vt visus ad colorem, auditus ad sonum, &c. secundo probatur idem quia remota ab obiectis hac peculiari, ac determinata vi limitatiua potentiarum ad ipsa tantum, iam non aliquot tantum certa obiecta, sed prorsus omnia alia erunt intra sphœram obiecti adæquati singularum potentiarum, & consequenter singulæ erunt non limitatæ intrinsece ad aliquot obiecta tãtum, sed illimitatæ ad omnia; ergo quia obiecta sunt priora potentijs, iam omnis potentia cognitiua dicto modo limitata, necessariò præsupponit obiecta sua limitatiua, &c. Tertio probatur quia potentiæ cognitiuæ intrinsece illimitatæ ad omnia obiecta, præsupponunt hęc obiecta illimitata, seù infinita, & illimitationem intrinsecam propriam accipiunt obiectiue, seù terminatiue, & extrinsece ab illimitatione obiectorum, quia in priori signo hæc ex natura sua non sunt inepta, sed apta cognosci à singulis illis potentijs; ergo sic etiam omnes potentiæ cognitiuæ intrinsece limitatæ ad aliquot tantum obiecta, supponunt hæc obiecta, & intrinsecam suam limitationem ab horum limitatione accipiunt, &c. & ratio horum adhùc est; quia obiecta sunt, quæ obiectiue, terminatiue, & extrinsece fundant potentias cognitiuas, suntque ipsarũ extrinseca radix, ac prima origo; & prius ratione est, esse possibilia obiecta, quàm esse possibiles potẽtias; non enim ideo dari possunt obie-

obiecta cognoscibilia, quia dari possunt potentiæ cognitiuæ, sed è contra ideò hæ potentiæ dari possũt quia dari possunt obiecta cognoscibilia: propter quod S. Thom. q. de anima a. 16. ad 9. dixit [Intelligibilia non sunt propter intellectus intelligentes, sed magis intelligibilia sunt fines, & perfectiones intellectuum] & Suarez de anima lib. 2. cap. 3. [actus, inquit, & obiectum integrant vnum finem potentiæ, qui est consequi ipsum obiectum] ergo obiecta sunt, quæ extrinsece fũdãt potentias illimitatas, vel limitatas extensiue; ergo, &c.

Minor verò probatur, quia quod potentiæ cognitiuæ possint habere, ac supponere, non omnia obiecta, sed aliquot tantum obiecta limitatiua ipsarum ad se ipsa tantum, oritur tanquam ex radice ex eo, quia non omnia obiecta cognoscibilia, sed aliqua determinata tantum sunt ex natura sua, positis requisitis, apta proximè, vel remotè cognosci sub aliquo vno modo perficiendi, aùt immutandi potentiam actiue, aùt quasi actiue. alia verò sunt ex natura sua inepta, & repugnãtia cum illis, & spectantia ad alium modũ; vt patet ex eo, quia si obiecta cognoscibilia, sint omnia ex natura sua, stantibus requisitis apta cognosci sub vno modo perficiẽdi, aùt immutandi vnã, & eandẽ potentiam, nec vlla ex ijs obiectis sint quæ ex parte, ac natura sua habeant quoad hoc vllam repugnantiam ad inuicem, vel cũ alijs, sed omnimodam potius conformitatem, & homogeneitatem, iam in hac infinitate obiectorum nullatenùs dari poterunt aliquot obiecta limitatiua ex natura sua alterius potentiæ cognitiuæ ad se ipsa tantum, & aliquot alia, quæ sint limitatiua alterius potẽtiæ tantum, & sic de alijs; quia alioquin hoc ipso essent ex natura sua inepta conuenire cum alijs in modo perficiendi, & spectandi ad eãdem potentiam. vnde simul forent ex natura sua apta, & inepta conuenire in dicto modo cum alijs; ergo quòd potentiæ cognitiuæ possint supponere obiecta prædicto modo limitatiua, oritur ex radice præexplicata, scilicet diuersitate, ac difformitate in modis perficiendi, &c. Sed in casu nostro omnia obiecta vt sic sunt natura suà, positis requisitis, apta proximè, vel remotè cognosci sub vno modo quasi actiue perficiendi, aùt immutandi potentiam intellectiuam, nempe indiuisibiliter in eodem indiuisibili receptiuo, scilicet entitate ipsius potẽtię, q̃ immaterialis, seù spiritualis est nec vlla esse possũt obiecta ad hoc ex natura sua inepta, aùt alijs repugnantia, vt clare patet ex eo, quia nunc de facto omnia prorsùs obiecta intelligibilia, vt sic, sunt dicto modo apta cognosci, seù intelligi à quolibet intellectu ex hũc existẽtibus, & alijs consimilibus, qui propterеà sunt illimitati; ergo nulla potentia cognoscitiua intellectiua possibilis potest præsupponere aliquot obiecta limitatiua eius extrinsece ad se ipsa tãtũ, quæ erat minor pre-

probanda. Atque ex his

Infertur primo solam potẽtiam cognitiuã materialem, seù corpoream, & affixam organo, seù simili corporeo complemento, qualis potentia est sensus, esse posse intrinsece limitatam extensiue ad aliquot tantum obiecta; potentiam verò cognitiuam immaterialem, seù spiritualem, & inorganicam, qualis est intellectus, esse hoc ipso illimitatã, & illimitabilẽ extensiuè. patet, quia sola dicta potentia materialis apta est habere extrinseca limitatiua tã remota, quã proxima. Remota quidẽ sunt ipsa obiecta corporea sẽsibilia, quę ob naturas inter se valde disparatas, ac difformes in modo perficiendi præexplicato, non omnia possunt stare sub vno modo, sed aliqua sub vno, alia sub alio, & alia sub alio, & sic nunquam omnia possunt perficere eandem indiuisibilem potentiam, seù idem indiuisibile perfectibile, sed aliqua vnum alia aliud. Proxima verò limitatiua sunt diuersa organa diuersimode complexionata, per quæ obiecta illa nata sunt perficere varias potentias diuisibiliter, & nunquam eandem indiuisibiliter. Potentia verò immaterialis, quę ratione suæ immaterialis, & indiuisibilis entitatis, potest habere omnia obiecta intelligibilia, vt perfectiua sui indiuisibiliter tanquam indiuisibilis perfectibilis remanet incapax limitationis extensiuæ. Non dico, quod omnia ista obiecta non possunt perficere diuersas specie potentias immateriales, seù intellectus, vere enim hoc possũt, sed dico omnia, & singula esse apta remote, vel proximè perficere omnes, & singulas has potentias sub vno modo perficiendi, seù immutandi ipsas, scilicet indiuisibiliter in se ipsis absq; alijs medijs, q̃ sint cõplementa potentiarum æquiualentia, aùt proportionalia organis; & sic omnes, & singulæ tales potentiæ sunt extensiue illimitabiles. vnde autem sumatur diuersitas specifica inter has potentias, alibi patebit. Atque hinc etiam habetur non posse dari aliud limitatiuum extrinsecum proximum potentiæ cognitiuæ, quàm organum, aùt aliam similem corpoream dispositionem, qua mediante obiecta sint extrinsece limitatiua; ac proinde organa non solùm esse sufficientia limitatiua proxima, sed etiam præcise, & adæquata. Vndè

Infertur secũdo rationẽ allatã à priori, esse eandẽ, sed fusius explicatã cum illa, quam docet S. Thom. q. 15. de Verit. a. 2. corp. vbi sic ait: [ex hoc quod pars sensitiua animę vtitur organo in operando, duo ipsã consequuntur; scilicet, quod non potest ei attribui aliqua potentia respiciens commune obiectum omnibus entibus, sic enim iam trãscenderet corporalia; & iterum quod possibile est in ea inuenire diuersas potentias secundum diuersam naturam obiectorũ propter conditionem organorum, quæ aptari potest huic, vel illi naturæ: Illa verò pars animę, quæ non vtitur organo corporeo in opere suo, nõ remanet determinata, sed quodammodo infinita, inquantum est im-

immaterialis, & sic eius virtus se extendit ad obiectum commune omnibus entibus. vndè commune obiectum intellectus dicitur esse quod quid est. Vnde philosophus ait, quod intellectus est, quo est omnia facere, & quo est omnia fieri. Vnde impossibile est, quod in parte intellectiua distinguātur diuersę potētię ad diuersas naturas obiectorū,&c.] vbi, licet sit sermo de intellectu animæ intellectiuæ, tamen ratio, quæ de ipso affertur, est communis omnibus omninò intellectibus, vtpotè sūpta ex eius immaterialitate. vt satis clarum est. & Albertus in sum. par. 2. de homine [sensitiua, inquit, est potentia organica, quæ corrumpitur ab excellenti sensibili, & idcircò etiam non potest recipere omnia sensibilia, quia organum suū nō est fabricatum ad naturam omniū sensibilium. intellectus autem est potentia sine organo, & idcircò potest recipere omnia intelligibilia.] Et idem S. Thom. de spirit. creat. q. 4. ar. 2. ad 10 [sensus, ait, non recipit species absq; organo, & ideò nō dicitur locus specierū, sicut intellectus]

CAPVT. VII.

Obiectiones contra supra-pradicta.

OBijcitur primo. color, sonus, odor, & alia sēsibilia possunt cōuenire in modo perficiendi sēsū communem internum, & ab ipso sentiri, & tamen adhùc apta sunt limitare varios sensus externos; ergo sic etiam, licet omnia obiecta intelligibilia conueniant in modo perficiendi omnes intellectus nunc existentes, qui illimitati extensiue sunt, apta tamen sunt aliquot ex ijs sumpta seorsim ab alijs limitare vnum intellectum possibilem; aliquot verò alia limitare alium, & sic deinceps.

Respondetur, nego antecedens si intelligatur de modo perficiendi sensum communem immediatè & independenter à præuijs modis perficiendi, ac limitandi sensus externos, & organa, & ab eorum actionibus, seù sensationibus; obiecta .n. sensibilia talem vim sic immediatam habere non possunt in sensum internū: si verò intelligatur de modo mediato circa sēsū cōmunē, & dependēte à modo perficiēd. immediate, ac limitandi sensus externos, & ab horum actionibus; sic conceditur antecedens: re enim vera obiecta sensibilia habent vim perficiendi, & immutandi immediate solùm sensus externos immittendo species intentionales in ipsos aùt ipsorū organa: & quia circa hos sensus non omnia hæc obiecta habent vnum perficiendi modum, sed varios, ac difformes, ideò limitant diuersos sensus externos: qui verò omnes hi sensus reducuntur ad sensum communem tanquam ad centrum, & principium commune in ipsos influens, & inter ipsorum obiecta discernens, vt dicitur in lib. de anima; inde est quod

quod ijdem sensus medijs proprijs sensationib. habent vim gignendi in illo species sēsatas interiores nobiliores,& conueniunt, seù conspispirant omnes in hoc modo immutandi ipsum; vnde etiam fit, vt ob hanc rationem, & subordinationē ipsa etiam sensibilia obiecta omnia dici possint conuenire in vno modo perficiēdi mediate eundem sensum, qui cum sensibus externis in eadem anima radicatur. Negatur tamē consequētia; est enim magna disparitas.nā obiecta sensibilia, vt sic sunt cognoscibilia à cognitiuo corporeo, & organico, vndè, & nata sūt cognosci dupliciter ab eo scilicet exterius,& interius;&habēt respectū ex natura sua ad potentias materiales sensitiuas tum externas, tum internas, & ad organa externa,& interna, quod nobis innotescit à posteriori, & dici potest oriri partim ex materialitate ipsarum potentiarum, & organorum diuisibili in plures partes disponibiles secundum exterius, & interius; partim ex materialitate dictorum obiectorum nata coaptari, & accommodari illi alteri materialitati;& insuper ipsæ potentiæ cum suis organis externæ,& internæ natæ sunt subordinari ad inuicem diuersimode, ita vt externæ habeant subordinationem,saltèm ad vnam ex internis,nempè ad sensum communem, tanquam ad principium in ipsas influens, & tanquā ad inuicem discernentem inter omnia illarum obiecta ob necessitatem animalis:hic verò sensus, vtpotè non ita obuius,nec tam immediate proximus, & expositus sensibilibus obiectis,in sui immutatione, ac intētionali perfectibilitate pendeat à potentijs ipsis externis, quæ ijsdē obiectis immediatiores, ac propinquiores sunt, ac proindè immediate inmutabiles: & hinc est, quod obiecta sensibilia spectari possunt tum, vt animalis immutatiua immediate,& proximè exteriùs, & cognoscibilia seorsim secūdūse absq; discretione inter differentias ipsorum; tum vt immutatiua eiusdem mediate,& remotè interius, & cognoscibilia cū dicta discretione: & sub prima quidem ratione, quia ob differētes ipsarū naturas nō possunt stare sub vno modo immutandi, sed sub multiplici, ac difformi; ideò specificant, ac limitant obiectiue differentes potentias sensitiuas externas,aliquot quidem obiecta vnā potentiam,puta visum; aliquot verò aliam potentiam, nempè auditum,&c. sub secunda verò ratione quia ob illam subordinationem illarum potentiarum, & quasi vnionem ad vnum principium commune internum bene possunt habere vniformem, seù vnum modū immutandi ipsum per talium potentiarum actus vitales, & possunt ab illo cognosci tanqam à iudice, vt dixi, ideò possunt omnia illimitate mediate respicere vnum sensum communem ad omnia ipsa illimitatum. At verò obiecta intelligibilia, vt sic, sunt cognoscibilia à cognitiuo spirituali inorganico, & indiui-

sibi-

ſibili, ac proinde vnico ſimplici modo omninò intimo, non autē exterius,&interius; vndè ſunt inepta reſpicere plures potentias intellectiuas internas,& externas inuicē ſub ordinatas, & etiam immutare aliquas immediate, alias mediatè, quo fit, vt omnem prorsùs intellectum, quem aliqua ex his obiectis ſunt nata perficere immediate, poſſint etiam perficere omnia alia eodem indiuiſibili modo in ſe ipſo immediate, ſcilicet abſque medio alterius potentiæ prius perfectibilis, aùt complemēti eius, & ſic omnia omninò obiecta intelligibilia ſe habent immediate ad omnem intellectum ob conueniētiam in vniformi, ſeù vno modo, perficiendi, & immutandi indiuiſibili, & immediato: nec poſſunt aliqua ex his ſpecificare, aùt limitare ad ſe vnum intellectum,& alia aliū ob ſpecialē aliquā conueniētiā, quam dicantur habere inter ſe;& non cum alijs obiectis, quia in alijs obiectis ratio ſpecificandi, limitādi, ac diuerſificandi potentias cognitiuas, non eſt penes conuenientiam aùt diſconuenientiam in naturis illorum entitatiue, ſeù materialiter ſpectatis, alioquin nunquam obiecta conuenientia aliquo modo in natura poſſent ſpectare ad diuerſas potentias, & ſemper obiecta inuitum diſcouenientia in naturis, deberent attingi à differentibus potentijs, & nunquam ab vna, & eadem, quod eſt apertè falſum; ratio ergo obiectiua ſpecificans, limitans, ac diuerſificans potentias quoad limitationem ſumitur ex diuerſitate, ac difformitate modi immutandi, ſeù perficiendi illas, ſeù ex naturis, prout ſtant ſub talibus modis: In caſu autem noſtro omnia obiecta intelligibilia conueniunt in vniformi, ſeù vno modo immutandi ſeù perficiendi, nempè indiuiſibiliter, & immediate potentias intellectiuas, vnde non poſſunt aliqua ex his limitare vnum intellectum ad ſe, & alia alium, ſed omnia omnem intellectum illimitant, vt ita dicam ad omnia.

Inſtabis: Non implicat dari ſenſum illimitatum potentem cognoſcere immediate omnia obiecta ſenſibilia, quæ nunc dantur, & inſuper alia plura, & plura ſenſibilia dabilia, ab his omninò diuerſa; & tamen adhùc dantur ſenſus limitati; ergò ſignum eſt, obiecta ſenſibilia poſſe ſumi tum omnia ſimul & ſic illimitare, ſeù fundare ſenſum illimitatum, tum aliquot peculiaria ex his ſimul,& ſic limitare, ſeù fundare vnum ſenſum limitatum ad ipſa tum etiam aliquot alia ſimul, & ſic limitare alium ſenſum, &c. ergo ſic etiam obiecta intelligibilia, poſſunt ſumi tū omnia ſimul, & ſic illimitant intellectus, ſeù fundant intellectus illimitatos, tum aliquot tantum ex his, & ſimiliter aliquot alia ex his,& ita vlterius procedendo,& ſic fundant intellectus limitatos.

Reſpondeo in primis negari poſſe antecedens quoad primam partē tum quia cum ſenſus ſit potentia cognitiua affixa organo, quod vti-

que debet esse coaptatum, & proportionatum etiam obiecto ipsi sensibili; vnum autem, idemque organum vtpotè consistens in certo temperamēto, ac cōplexione qualitatum, aliorumque accidentium, non possit esse proportionatum, & coaptatum tantæ multitudini tot obiectorum inter se adeò innaturis differentium, ac disparatorū, vt rectè S. Thom. q. 15. de verit. ar. 2. corp. fieri non potest, vt vnus, & idem sensus sit illimitatus, ac potens omnia illa immediatè cognoscere, & etiam actus omnium sensuum externorum, & internorum ob sui perfectionem: tum quia si is sensus adeò illimitatus dari posset, iam forte non essent dabiles sensus limitati, sed omnes forent illimitati ad omnia sensibilia; sicut contendimus contingere in intellectibus erga intelligibilia; sed tamen transeat totum illud antecedens cum prima consequentia, negatur secunda; & disparitas est, quia obiecta sensibilia, vt sic sunt perfectiua sensus, sub respectu ad organa spectantia ad modum perficiendi tanquam complementum, vnde sicut organa, ob dictum temperamētum, quod vtique est multipliciter variabile, posśūt esse multiplicia, seù multiplicis, ac difformis rationis, sic etiam ipsa obiecta vtpotè accomodata, & proportionata sibi poscentia organa, possunt, ac debent habere vim perfectiuā sensus multiplicem, ac diuersimodam: quò fit, vt pro varietate temperamenti, ac complexionis organicæ, & dari possit vnum organum peculiaris, & perfectioris cuiusdā temperamenti, quod sit coaptatum, & attemperatum omnibus obiectis sensibilibus simul penes vnum modum perficiendi, ac proinde omnia hęc sensibilia sumi possint simul, & hoc modo illimitare, seù fundare sensum illimitatum, & vniuersalem ad omnia; & insuper dari possint multiplicia organa multiplicis heterogeneæ complexionis, aliqua quidem proportionata, & consentanea aliquibus tantum obiectis sensibilibus penes aliquem peculiarem modum perfectiuitatis; alia verò attemperata, & consentanea alijs obiectis sensibilibus penes alium specialem modum, & sic discurre de alijs: & ex consequenti intra totam illam multitudinem sensibilium sumi possint tum aliqua obiecta peculiaria limitatiua vnius sensus coarctati ad ipsa tantum, tum etiam aliquot alia limitatiua alterius sensus ad se ipsa tantum restricti, & ita deinceps. At verò obiecta intelligibilia, vt sic, sunt perfectiua intellectus immediate in se ipso absque vllo alio complemento variabili, seù multiplicabili, vndè impossibile est his obiectis conuenire modū perficiendi multiplicem, sed necesse est esse semper vnum, & eundē indiuisibiliter per immediatā scilicet informationem, aùt assistētiam specierum intelligibilium in eodē indiuisibili, ac immateriali susceptiuo. & inde est, quòd ex obiectis intelligibilibus non possint sumi aliquot simul, quæ fundent vnum intellectum limitatum, & aliquot alia.

alia fundantia alium, sed omnem intellectum, quem possunt fundare aliqua, possunt etiam omnia, & omnia semper simul ad omnes illimitatos intellectus spectant.

Ob. secundò etiam si detur visus illimitatus ad omnes colores, & auditus illimitatus ad omnes sonos, & sic de alijs sensibus; tamē non est cur implicet alius visus ex sua natura limitatus ad solùm album, & alius auditus ex se limitatus ad vnam tantum speciem soni; ergo similitèr accidit in intellectibus.

Respondeo primo negari posse ab aliquo antecedens, alioquin non conuincetur qui dicet etiā nunc in quolibet vidente esse nō vnum, sed plures visus specie distinctos, ac diuersos, vnum nimirum limitatū ad solùm album, & alium ad solū nigrum, &c. & idem dicet de alijs sensibus, si enim hi sensus limitati non implicant, vndè haberi potest eos, qui nunc dantur non esse tales? vnde conspicua erit opinio Ianduni, qui lib 3. de anima tex. com. 40. q. 38. cum dixisset species specialissimas potentiarum animæ esse infinitas secundum quid, & quoad nos, & ita vt sint difficile pertransibiles ab intellectu nostro, ex eo quia hæ species specialissimè distinguūtur, & numerantur sicut species specialissimę actuum eius, q̄ vtique sunt difficile numerabiles à nobis, subdit sic: [sicut videre albū & videre nigrum non sunt idem secundum speciem specialissimam ita posse videre album, & posse videre nigrum non sunt idem secundum speciem specialissimā] & paulo inferius [Multi, inquit, consueti sunt audire, quod visus est vna potentia, & similiter auditus; & sic de alijs: sed non sequitur ex hoc, quod sit vnus omninò secūdum speciem specialissimam: imò hoc est impossibile secundum prædicta: & est simile, quia sicut numerus habilitatum, seù potentiarum materiæ est secundum numerum specierum, vt docet Comment. 12. metaph. ita numerus potentiarum animæ est secundum numerum formalem spiritualium, quas recipit anima.] Imò etiam ex eo, quod Arist. 3. Phys. t. com. 11. dicit [posse sanari, & posse infirmari, non esse idem, sicut sanari, & infirmari nō sūt idē] & 3. Phys. t. cap. 35. dicit, [modo quodā infinitæ videndur potentiæ animę] nempè prout distinguuntur per species specialissimas, vt idem auctor explicare contendit, sicut species specialissimæ entium, quæ possunt sentiri, intelligi, & appeti, sunt valdè multæ, & de difficili pertransibiles ab intellectu nostro, & sic quodammodo sunt infinitæ, & secundum quid, & quoad nos; sic rationabile esse intelligere de actibus animæ, & de potentijs eius. Verum Philosophus non intendit, eas potentias esse verè specie specialissima plurificatas, sicut secundum speciem plurificata sunt obiecta illa, sed solùm secundum diuersos conceptus inadæquatos potentiæ per diuersas connotationes, & hæc fortasse est etiam mens illius auctoris, alioquin sæpè in vna substantia cognitiua essent actu simplicitèr infinitæ potentiæ ob in-

finitatem obiectorum, non enim possunt esse finitæ simpliciter, aut infinitæ in potentia cum omnes sint ibi actu. Quod sane nemo dicet.

Respondeo secundo transeat antecedens; negatur consequentia, est enim discrimen, nam sensus in modo perficiendi passiuè, seù quatenùs perfectibiles; obiecta autem sensibilia in modo perficiendi actiue, seù vt perfectiua, pendent, & complementur ab organis, quæ, cum consistant in temperamento qualitatum, aliorumque accidentiū quod vtique intrinsecæ variationis capax est, possunt esse multiplicia, & aptari diuersimodè obiectis, & varijs immutādi modis; vndè organum e. g. proportionatum omnibus coloribus, & coaptatum vni modo immutandi ipsis omnibus communi, potest intelligi variari intrinsece, & sic potest esse proportionatum vni tantum colori, puta albo, & aptatum vni solùm modo perficiendi proprio albi; & proportionaliter dicendum de alijs, quò fit, vt etiam si detur visus illimitatus ad omnes colores, & auditus ad omnes sonos; adhùc tamen non implicent alius visus, & alius auditus limitatus, &c. secus est in intellectibus, & obiectis intelligibilibus, vt dictum est.

Ob. tertio ex hoc, quod omnia obiecta intelligibilia sint perfectiua intellectus vniformi, seù vno indiuisibili modo, non sequitur quòd omnia ipsa sint ita perfectiua omnis omino intellectus, sed tantum intellectus capacis omnium, seù perfectibilis ab omnibus, quia perfectiuum dicit ordinem ad solùm perfectibile sibi correspondens, ergo adhùc dici potest, dabiles esse intellectus capaces quidem cognitionis aliquorum obiectorum, sed incapaces omnium; ergo nostra ratio supra allata non benè probat omnes intellectus esse extensiue illimitatos, sed tantum intellectus, qui sunt apti cognoscere omnia obiecta, non autem eos, qui solùm sunt apti ad aliqua, & ex consequēti hi intellectus sint limitati extensiuè.

Respondeo nego antecedens. Quia quoties obiecta in perficiendo potentias seruant vnum, & eundem inuariatum modum communem omnibus ipsis, semper omnes illæ potentiæ sunt perfectibiles ab omibus ijs, & omnium capaces. Quod patet tum ex eo, quia quoties colorata seruant vnum, & eundem modum perficiendi visum, sēper omnes potentiæ visiuæ sunt perfectibiles ab omnibus ijs, & omnium capaces, & sic accidit in alijs obiectis aliorum sensuum: Tū ex eo, quia vnitas inuariata omniū obiectorum cognoscibilium in modo actiuè perficiendi potentias trahit necessariò in omnibus his potentijs vnitatem modi perficiēdi passiue ab omnibus ijs obiectis, atque adeò etiam & capacitatem omnium illarum, seù perfectibilitatem respectu omnium: sicut diuersitas modi perficiendi actiue, necessariò trahit diuersitatem modi

di perficiendi passiue in potentijs, & hic modus dIersus passiuus necessariò trahit in potentijs incapacitatem cognoscendi obiecta stantia sub alio modo perficiendi, vt patet in diuersitate modorum conuenientiũ coloribus, sonis, odoribus &c. & ratio est, quia modus perficiendi actiuus in obiectis circa potẽtias sequitur ad esse perfectiuum, seù vim perfectiuam eorum circa easdem, & modus perficiendi passiuus in potentijs sequitur ad esse perfectibile earũdẽ respectu obiectorum; ergo hi modi actiui & passiui perficiendi debent esse proportionati, ac commensurati ipsi esse perfectibili potentiarũm, & consequentèr quando modus perficiendi actiuus, est vnus, & vniuersalis omnibus obiectis erga potentias iam in ijsdem obiectis etiam ipsum esse perfectiuum debet esse vniuersale omnibus circa omnes potentias, & quando modus perficiẽdi passiuus est vnus, & vniuersalis potentijs respectu obiectorum, iam necessariò in omnibus ijsdem potentijs esse perfectibile debet esse vniuersale respectu omnium illorum obiectorum. Vnde est implicantia in adiecto dicere, quod aliqua obiecta seruent eundem inuariatum modum perficiendi respectu potentiarum aliquarum, quem seruant alia obiecta ab his potentijs cognoscibilia, & tamen hæ eædẽ potentiæ non sit capaces omnium illorum obiectorum. In proposito autem nostrò omnia obiecta intelligibilia in perficiendo quoscumque intellectus seruant semper vnum inuariatum modum actiuũ; vt sæpè dictum, cui proindè modo respondet in intellectibus omnibus vnus inuariatus modus perficiendi passiuus, & per consequens omnia obiecta intelligibilia sunt perfectiua omnium omninò intellectum, & ineptè dicitur quod omnia obiecta sint perfectiua tantũ intellectuũ capaciũ, seù perfectibiliũ ab omnib. quia re vera omnes prorsùs intellectus sũt capaces perfectionis recipiẽdę ab omnib. sicut omnes sũt capaces vnius modi perficiẽdi inuariati omnibus obiectis cõmunissimi, vndè quilibet intellectus est perfectibile correspondens omnibus obiectis intelligibilibus.

Instabis, quia nullatenus videtur posse esse idem modus immutandi, seù perficiendi obiectorum perfectiorum, & obiectorum minus perfectorum circa intellectus quod probatur ex eo, quia licet omnem intellectum, quem possunt perficere obiecta minus perfecta possint etiam perficere obiecta perfectiora; non propterea tamen necesse est contra omnẽ intellectum perfectibilem ab obiectis inferioribus, esse etiam perfectibilem à superioribus, quia benè fieri potest, vt aliqui intellectus sint capaces obiectorum inferiorũ incapaces verò superiorum.

Respondeo nego antecedẽs; nisi enim obiecta minus perfecta haberent eundem modum perficiendi cum perfectioribus, numquam illa possent perficere intellectus,

quos

quos possunt perfectiora obiecta, & propterea sonus, qui est obiectum imperfectius luce, non potest perficere visum, quem perficit lux quia nimirum sonus non conuenit cum luce in modo perficiendi obiecta: & hinc colligitur, quod neque visus sit capax cognoscendi sonum; ergo quia obiecta intelligibilia minus perfecta habent eundē modum perficiendi, quem habent obiecta perfectiora, iam omnia indifferenter possunt immutare eosdem, imò omnes intellectus; alioquin neque possent obiecta inferiora vnquam perficere eos intellectus perfectos quos perficiunt obiecta perfectiora. Vndè sola conuenientia in modo perficiendi est ratio, vt omnia obiecta tali modo correspondentia possint semper perficere easdem potentias, & ad ipsas extendi, & sola disconuenientia est ratio, vt nō omnia obiecta possint perficere easdem potentias: & hinc patet ad probationem antecedentis.

Obijcies quarto. quia modus ille communis omnibus obiectis intelligibilibus, posse scilicet perficere intelligibiliter potentiam, & immediatè scilicet absque alio cōplemento, est valdè genericus; ergo sub eo plures modi specifici variari possunt pro varietate specifica potentiarum; ergo non benè probatur ex illo modo communi intelligibilibus omnes intellectus esse illimitatos ad omnia obiecta. Antecedens probatur, quia modus perficiendi sensum communis omnibus obiectis sensibilibus, vt sic est, genericus, vt constat, conuenit enim luci, coloribus, sonis, odoribus, & alijs, ac proindè multò magis modus ille communis omnibus obiectis intelligibilibus, quæ longè plura sunt, & inter se diuersissima, est genericus. Prima vero consequentia patet, quia sicut sub modo generico sensibilium variari possunt plures modi specifici, pro varietate specifica sensuum, nempè modus conueniens luci, & coloribus circa visum, modus conueniēs sonis circa auditum, modus conueniens odoribus, &c. ita sub modo generico intelligibilium infinitorū variari possunt per varietate specificam intellectuum multò plures modi specifici. Secunda consequentia patet, quia ex modo perficiendi generico communi omnibus obiectis sensibilibus non benè probatur omnes sensus esse illimitatos ad omnia obiecta sensibilia, cum singuli sensus sint limitati ad aliquot tantum; ergo neque ex illo modo communi omnibus intelligibilibus rectè probatur illimitatio omnium intellectuum ad omnia illa obiecta; fieri enim potest vt aliqui intellectus ratione sui modi peculiaris, ac specifici sint ex natura sua limitati ad aliquot tantum intelligibilia.

Respondeo modum illum perficiendi communem intelligibilibus posse spectari tum ex parte obiectorum perfectiuorum, & ex parte potentiarum perfectibilium, tum etiam secundum se idque dupli-

pliciter, nempè vel quatenùs est spiritualis simpliciter, vel quatenus est per suam spiritualitatem immediatus, seù fundans negationem medij in perficiendo. Si igitur ille modus spectetur ex parte obiectorum, potentiarum,& etiam secundum se, seù suæ spiritualitatis præcise, sic concedo antecedens, verè enim ille modus quoad has rationes est genericus; quia conuenit obiectis diuersarum specie, & sæpè genere naturarum, & est circa potentias intellectiuas specie differentes, & ipsa eius spiritualitas est sub se includens omnes spiritualitates inferiores repertas in innumeris speciebus intelligibilibus inter se specifice distinctis, & in hoc sensu cōcedo etiam primam consequentiam, nempè sub illo modo posse variari plures modos specificos,sed nego secundam,quia consideratio illius modi communis secundum illum sensum, non est ei adæquata, & vltimata, vt mox patebit. siverò spectetur dictus modus secundum se, seù secundum suam spiritualitatem,prout immediatam, seù prout fundantem negationem medij inter formas perfectiuas, quæ sunt species intelligibiles obiectorum, & ipsas potentias perfectibiles, sic nego antecedens,sub hac enim ratione ille modus est specificus, quia talis immediatio, seù negatio medij in perficiendo potentias intellectiuas est secundum se eiusdem rationis in omnibus,&vbique aqualis quo ad intrinseca, nec habet vndè in se variari possit, cum in indiuisibili consistat,& æqualemedium vbique neget;& præterea ipsamet spiritualitas modi, prout reduplicatiue fundans, ac connotans huiusmodi negationem, vnius speciei videtur esse formaliter, aùt æquiualenter. & hæc fundatio, & simul ipsa negatio fundata omnis medij est vltimum constitutiuum prædicti modi communis, cum nihil aliud detur superaduemens ad ipsum. Ad probationem antecedētis est magnum discrimen. nam modus perficiendi sensibilium est adæquate, & secundum totam suā rationem, etiam vltimatam,genericus;quia, & obiecta ipsa sensibilia sunt in suis naturis specie diuersa, vt color, sonus, & alia, & similitèr diuersæ specie sunt potentiæ sensitiuæ, vt visus, auditus, & ipsemet modus perficiendi secundum se, vtpotè corporeus, est organicus, seù est mediante organo, quod multiplicis, ac difformis rationis semper est in omnibus, vt patet in organo visus, organo auditus, &c. & hinc fit, quod sub illo modo benè variari possint plures modi specifici, seù specifice differentes absolutè, & simpliciter, & quod nec omnia obiecta sensibilia possint esse perfectiua omnium sensuum, neque quod etiam in ratione sensibilis,& in ordine ad extensiuitatē dici possint vnius speciei,sed simpliciter multiplicis, neque omnes sensus possint esse illimitati ad omnia illa obiecta, sed singuli sint limitati ad aliquot tantum. Modus ve-

quos possunt perfectiora obiecta, & propterea sonus, qui est obiectum imperfectius luce, non potest perficere visum, quem perficit lux quia nimirum sonus non conuenit cum luce in modo perficiendi obiecta: & hinc colligitur, quod neque visus sit capax cognoscendi sonum; ergo quia obiecta intelligibilia minus perfecta habent eundē modum perficiendi, quem habent obiecta perfectiora, iam omnia indifferenter possunt immutare eosdem, imò omnes intellectus; alioquin neque possent obiecta inferiora vnquam perficere eos intellectus perfectos quos perficiunt obiecta perfectiora. Vndè sola conuenientia in modo perficiendi est ratio, vt omnia obiecta tali modo correspondentia possint semper perficere easdem potentias, & ad ipsas extendi, & sola disconuenientia est ratio, vt nō omnia obiecta possint perficere easdem potentias: & hinc patet ad probationem antecedentis.

Obijcies quarto. quia modus ille communis omnibus obiectis intelligibilibus, posse scilicet perficere intelligibiliter potentiam, & immediatè scilicet absque alio cōplemento, est valdè genericus; ergo sub eo plures modi specifici variari possunt pro varietate specifica potentiarum; ergo non benè probatur ex illo modo communi intelligibilibus omnes intellectus esse illimitatos ad omnia obiecta. Antecedens probatur, quia modus perficiendi sensum communis omnibus obiectis sensibilibus, vt sic est genericus, vt constat, conuenit enim luci, coloribus, sonis, odoribus, & alijs, ac proindè multò magis modus ille communis omnibus obiectis intelligibilibus, quæ longè plura sunt, & inter se diuersissima, est genericus. Prima vero consequentia patet, quia sicut sub modo generico sensibilium variari possunt plures modi specifici, pro varietate specifica sensuum, nempè modus conueniens luci, & coloribus circa visum, modus conueniēs sonis circa auditum, modus conueniens odoribus, &c. ita sub modo generico intelligibilium infinitorū variari possunt per varietate specifica intellectuum multò plures modi specifici. Secunda consequentia patet, quia ex modo perficiendi generico communi omnibus obiectis sensibilibus non benè probatur omnes sensus esse illimitatos ad omnia obiecta sensibilia, cum singuli sensus sint limitati ad aliquot tantum; ergo neque ex illo modo communi omnibus intelligibilibus rectè probatur illimitatio omnium intellectuum ad omnia illa obiecta; fieri enim potest vt aliqui intellectus ratione sui modi peculiaris, ac specifici sint ex natura sua limitati ad aliquot tantum intelligibilia.

Respondeo modum illum perficiendi communem intelligibilibus posse spectari tum ex parte obiectorum perfectiuorum, & ex parte potentiarum perfectibilium, tum etiam secundum se idque dupli-

plicitèr, nempè vel quatenùs est spiritualis simplicitèr, vel quatenus est per suam spiritualitatem immediatus, seù fundans negationem medij in perficiendo. Si igitur ille modus spectetur ex parte obiectorum, potentiarum, & etiam secundum se, seù suæ spiritualitatis præcise, sic concedo antecedens, verè enim ille modus quoad has rationes est genericus; quia conuenit obiectis diuersarum specie, & sæpè genere naturarum, & est circa potentias intellectiuas specie differentes, & ipsa eius spiritualitas est sub se includens omnes spiritualitates inferiores repertas in innumeris speciebus intelligibilibus inter se specifice distinctis, & in hoc sensu cōcedo etiam primam consequentiam, nempè sub illo modo posse variari plures modos specificos, sed nego secundam, quia consideratio illius modi communis secundum illum sensum, non est eiadæquata, & vltimata, vt mox patebit. siverò spectetur dictus modus secundum se, seù secundum suam spiritualitatem, prout immediatam, seù prout fundantem negationem medij inter formas perfectiuas, quæ sunt species intelligibiles obiectorum, & ipsas potentias perfectibiles, sic nego antecedens, sub hac enim ratione ille modus est specificus, quia talis immediatio, seù negatio medij in perficiendo potentias intellectiuas est secundum se eiusdem rationis in omnibus, & vbique aqualis quoad intrinseca, nec habet vndè in se variari possit, cum in indiuisibili consistat, & æquale medium vbique neget; & prætereà ipsamet spiritualitas modi, prout reduplicatiue fundans, ac connotans huiusmodi negationem, vnius speciei videtur esse formaliter, aùt æquiualenter. & hæc fundatio, & simul ipsa negatio fundata omnis medij est vltimum constitutiuum prædicti modi communis, cum nihil aliud detur superaduenìens ad ipsum. Ad probationem antecedētis est magnum discrimen. nam modus perficiendi sensibilium est adæquate, & secundum totam suā rationem, etiam vltimatam, genericus; quia, & obiecta ipsa sensibilia sunt in suis naturis specie diuersa, vt color, sonus, & alia, & similitèr diuersæ specie sunt potentiæ sensitiuæ, vt visus, auditus, & ipsemet modus perficiendi secundum se, vtpotè corporeus, est organicus, seù est mediante organo, quod multiplicis, ac difformis rationis semper est in omnibus, vt patet in organo visus, organo auditus, &c. & hinc fit, quod sub illo modo benè variari possint plures modi specifici, seù specifice differentes absolutè, & simplicitèr, & quod nec omnia obiecta sensibilia possint esse perfectiua omnium sensuum, neque quod etiam in ratione sensibilis, & in ordine ad extensiuitatē dici possint vnius speciei, sed simplicitèr multiplicis, neque omnes sensus possint esse illimitati ad omnia illa obiecta, sed singuli sint limitati ad aliquot tantum. Modus ve-

verò perficiendi intelligibiliũ, licet secundum vnam rationem, & quasi materialitèr, & extrinsece sit genericus; tamen formaliter secundum rationem vltimam, & completiuã est specificus, vt probatum est: quo fit vt sub eo non possint variari plures modi simplicitèr specie differentes, & ideò negatur prima consequentia. Deindè negatur secũda, ad cuius probationem do antecedens, sed nego aliam consequentiam, & disparitas clara ex dictis est, quia modus perficiendi communis omnibus sensibilibus, est absolutè, & simplicitèr genericus secundum omnem rationem, & sub eo continentur plures modi perficiendi omninò, & simplicitèr difformes, ac specie differentes, ac proindè conuenientes obiectis totalitèr secundum speciem diuersis, & nullatenùs coeuntibus in vnam speciem, etiam secundum quid: & propterea ex illo modo non potest benè imò nec apparenter probari extensiuitas omnium illorum obiectorum ad omnes sensus, sicut neque extensiuitas, seù illimitatio omnium sensuum ad omnia illa obiecta, nec rursùs obiecta, etiam spectata in ratione sensibilis, vt sic possunt vllo modo dici vnius speciei, etiam secundum quid quoad præcisam rationem extensiuitatis ad sensum: sicut neque sensus quoad extensiuitatem in obiecta. secus est in modo communi intelligibilium, qui secundum vltimam rationem specificus est, & ideò indiuisibilis formaliter in plures specificos modos, ac proinde est omnibus obiectis indiuisibiliter, & æqualitèr conueniens in ordine ad perficiendos intellectus; ergo is modus in omnibus obiectis causare debet aliquid indiuisibiliter, & æqualitèr conueniens omnibus, in ordine ad eosdem, quod non causaretur, si modus ille non esset omnibus sic æqualitèr communis, vt ex se constat; ergo vel causat hoc, quod omnia obiecta sint apta ab omnibus intellectibus æquali limpiditate, aùt alia æquali perfectione intelligi, & consequentèr quod omnes intellectus ratione vnius, & eiusdem modi perficiendi passiue possint æqualitèr, seù æquali perfectione omnia intelligere; vel solùm causat hoc, quod omnia obiecta possint extendi ad omnes intellectus, & hi omnes licèt diuersimodè ad omnia obiecta. nihil enim aliud apparet, quod modus ille communis possit in omnibus obiectis causare: sed non potest causare primum, quia de facto omnia obiecta intelligibilia, etiam si ijs conueniat vnus, & idem modus perficiẽdi omnes intellectus existẽtes spiritualitèr immediate, & indiuisibilitèr, apta sunt intelligi inæqualitèr ab ipsis, & ipsi inæqualitèr, seù magis, aùt minus perfecte, ac limpide apti sunt illa intelligere, vt patet in intellectibus humanis, & Angelicis; ergo necessariò causat hoc, quòd omnia intelligibilia obiecta possint extendi ad omnes intellectus, & hi omnes possint extendi ad omnia illa obiecta licèt inæquali-

li-

liter, quoad perfectionẽ intelligendi, & sic sint omnes, & singuli intellectus illimitati extensiue, & implicent intellectus ex natura sua limitati extensiue ad aliquot tantum obiecta.

Instabis ergo omnes intellectus sunt vnius, & eiusdem speciei infimæ, quod est absurdum. licet enim aliqui id videantur concedere, alij verò velint, has potentias, vt potentiæ sunt, non differre specie, differre verò vt proprietates sunt à diuersis essentijs manantes, hæc tamen fere omnes reijciunt.

Respondeo nego consequentiã; licet enim omnes intellectus possint dici esse eiusdem speciei imperfecte, seù aliqualiter, ac secundũ quid, nempè quantum ad modum proximum perficiendi passiuè immediatè in se ipsis, omnibus æqualem; & etiam quantum ad præcisam extensiuitatem ad omnia obiecta intelligibilia terminatiue similiter ijs æqualem, ac proinde quantum ad obiectum adæquatũ; ob quàm rationem intellectus possunt dici esse potentiæ inter se disparatæ; tamen absolutè, & simpliciter sunt inter se specie differẽtes in diuersis substantijs intellectiuis, vel per ordinem ad differentia obiecta motiua, ac specificatiua, aùt magis proportionata; vel ex vi intrinseca attingendi obiecta cum maiori, aùt maiori perspicacitate, efficacitate, ac penetratiuitate, limpiditate, vniuersalitate specierum intentionalium, & virtute cognoscendi plura simul, aùt alia simili perfectione, de quo agitur in materia de Angelis; hæc enim omnia principalia sunt respectu intellectuum, eosque inter se inuicem sufficientissimè distinguunt distinctione specifica simplicitèr. vndè S. Thom. 2. con. gen. cap. 92. dixit [oportere substãtiarum intellectualium gradus accipere secundum gradum intellectualis operationis, quæ est eis propria] sic etiam è cõuerso omnia obiecta intelligibilia dici possunt vnius speciei aliqualiter, ac secundum quid, nimirum quantum ad modum illum perficiendi actiue immediatè omnibus æqualem, & etiam quantum ad præcisam extensiuitatem ad omnes intellectus omnibus obiectis similitèr æqualem; proptèr quod caput obiecta intelligibilia non sunt dicenda in se omninò disparata: spectata verò illa obiecta sub ratione motiuorum specificatiuorum formalium, & prout attingibilia sub illa diuersitate perfectionis maioris & maioris, sunt absolutè, & simplicitèr distincta specie, etiam in ratione obiecti. sensus autem secũdum omnem rationem sunt inter se distincti specie, & omninò disparati respectiuè, & similitèr obiecta sensibilia inter se, vt satis patet ex dictis. & ideò rectè Albertus in sum. 1. part. de quarto coæuo a. 2. [In sensibilibus, inquit, sunt formæ contrariæ reductæ ad diuersa genera, secundum quas distinguũtur sensus, & potentiæ materiales: sed in intelligibilibus aliud est, quia eadem est ratio omnium in-

telligibilium secundum, quod intelligibilia sunt, licet non sit eadem ratio omnium sensibilium, secundum quòd sensibilia sunt]

Vrgebis. Ideò modus perficiendi communis omnibus sensibilibus, est genericus, quia sub eo continentur diuersi specie modi iuxta diuersitatem specificam sensuũ; ergo sic etiam potest dici, modum illum communem omnibus intelligibilibus esse verè genericum, quia sub eo continentur diuersi specie modi pro diuersitate specifica intellectuum; ergo sicut sensus ratione illius modi generici nullatenus sunt vnius speciei, etiam secundum quid, & quoad extẽsionem ad omnia sensibilia, ita nec intellectus ob modum illum erunt vnius speciei secundum quid, & quoad extensionem ad omnia intelligibilia.

Respondeo modum illum sensibilium esse genericum, quia est modus perficiendi mediate, idest medio organo; quod potest esse multiplicis speciei saltem imperfectæ, aùt heterogeneo: seù illum modum esse genericum, quia sub eo sunt diuersi specie modi iuxta diuersitatem sensuum, prout sunt potentiæ materiales perfectibiles mediate idest medijs organis, tanquam complementis. Secus est in modo intelligibilium, vt iam dixi, & patet modos perficiendi specifice distinctos, qui sunt limitatiui potentiarum quoad extensionem repugnare in obiectis cum modo perficiendi generico, & omnibus communi, & respiciente omnia obiecta, atque adeò illimitato, & illimitante, nisi in ipsis obiectis sit respectus in ratione perficiendi ad potẽtias mediate, seù medijs aliquibus complementis variabilibus; si enim is respectus sit ad potentias immediatè, & solitariè vt est in obiectis intelligibilibus ad intellectus, iam modi specifici implicarẽt cum modo generico circa potentias immediate respectas; quia modi specifici limitarent extensiue illas ad aliquot tantum obiecta; simul verò modus genericus easdẽ illimitaret ad omnia: omnes enim hi modi sunt necessarij, & non liberi; vndè semper respiciunt potentias iuxta propriam naturam, & conditionem ipsorum: & sic intellectus existentes essent omnes illimitati ad omnia obiecta, & etiam essent limitati ad aliquot tantum. Patet etiam, non posse dici in obiectis modos perficiendi immediatè variari specie pro pura varietate specifica potentiarum. nunquam enim harum mera varietas potest intelligi variare primò modos, aùt in ipsos quasi redũdare, nisi ipsi in se supponantur ex propria natura intrinsece variabiles, & varij: nec vnquã potentiæ possunt esse variæ secundum speciem, nisi per ordinem ad modos ab ipsis, vel præsuppositos, vel coexigitos in se ipsis secundum se varios; nec potest vnus specie modus coaptari vni tantum specie potentiæ, & non alteri, nisi per se ipsum sit ab alijs modis diuersus, vt constat in organis, quæ

ideò

ideò accomodari possunt, & deseruire diuersis potentijs,quia in se ipsis heterogenea,ac diuersa sũt,licèt cum ordine ad diuersas potentias. De quo rectè S.Thom. 2. con. gen. cap. 82. Vbi sic ait [Diuersi sensus sunt perceptiui diuersorum sensibilium,sicut visus colorum,auditus sonorum. hęc autem diuersitas manifeste ex dispositione organorum diuersa contingit. Nam organum visus oportet esse in potentia ad omnes colores, organum auditus ad omnes sonos : si autem hæc receptio fieret absque organo corporali,eadem potentia esset omnium sensibilium perceptiua]

Objicies quintò. potest dici obiecta intelligibilia esse ex se indifferentia, vt possint omnia simul spectare ad aliquos intellectus, puta existentes, & consimiles illimitatos, aliqua verò ex ijs esse apta limitare ad se ipsa tantum alios intellectus possibiles, qui proinde limitati erunt extensiuè, & potentes ex sua natura quasi eligere sibi tot obiecta,& non plura.

Respondeo non posse id dici ob rationes iam allatas;præcipuè verò ex eo, quia obiecta intelligibilia omnia ratione illius vnius proximi communissimi modi perficiendi immediatè, sunt apta, & determinata ad extensionem in omnes omninò intellectus, etiam possibiles, quia hi omnes nullo excepto, non alio modo nati sunt perfici, quàm immediatè in se ipsis, & cõsequẽter omnes sunt perfectibiles ab omnibus obiectis illum vniuersalissimũ modum participantibus. Vndè nec possunt aliqui intellectus addicere sibi ex sua natura, & quasi eligere tot,vel tot obiecta, excludendo alia, quia hoc repugnat illi vniuersalissimæ aptitudini omnium obiectorum ad omnes intellectus. Benè autẽ possunt aliqui sẽsus addicere sibi aliquot obiecta,exclusis alijs,& alij sensus alia obiecta,quia nõ omnib. obiectis sẽsibilibus inest aptitudo vniuersalis ad omnes sensus,sed diuersis diuersa ob diuersitatẽ modorũ perficiendi sensus iuxta supradicta. Nec ita se habent obiecta intelligibilia ad intellectus sicut sensibilia ad sensus adæquatè, & quoad omnia, sed tãtum inadæquatè sicut explicatum est in superioribus;in quantum scilicet [sensibilia secundum suam naturam nata sunt apprehendi per sensum, sicut intelligibilia per intellectum] ex S.Thom. 2.con.gen.cap. 96.

Instabis intellectus humani habent modum perficiendi passiuum longè diuersum à modo perficiẽdi passiuo intellectuũ Angelicorum, hi enim nõ sunt nati perfici medijs sensibus,& medio intellectu agente,sicut illi, & tamen vtrique intellectus sunt illimitati;ergo nec obiecta intelligibilia omnia habent vnum, & eundem modum actiuè perficiendi omnes intellectus, sed modos diuersos.

Resp.intellectus humanos propter vnionẽ animę ad corpus,& quia [potentia sensitiua est in homine propter intellectiuam] ex S.Thom. q.de anima a.13. ad 7. habere qui-

dem modum perficiendi passiuum remotum, præuium, & ministerialé longè diuersum à modo intellectuum Angelicorū, vtpotè in vsu, & operationibus sensuum consistentem; imò etiam diuersum ob respectum ad proprium principiū connaturale verè productiuum specierum intelligibilium, quod est intellectus agens; à quo modo immunes sunt intellectus Angelici: modum tamen perficiendi passiuum, seù quasi passiuum proximum habere vniformem, & vnum cum modo passiuo intellectuum Angelicorum, quia hic modus consistit in perfici à speciebus intelligibilus obiectorum immediatè idest absque vlla dispositione aùt medio, cui intelligantur ipsi intellectus esse alligati tanquam integranti vnum perfectibile cum ijs, aùt illud complenti secundum eam proportionem, qua sensus sūt alligati organis; quoad hoc enim omninò æqualitèr, & indiuisibilitèr se habent omnes intellectus nō modo Angelici, sed etiam humani, vt constat in intellectibus tum animarum coniunctarum, tum etiam separatarum, multas species infusas immediate recipientium. & hinc patet ad antecedens, conceditur enim quoad primum illum modum passiuum, negatur quoad hunc secundum. conceditur etiam consequentia, si consequens intelligatur de obiectis intelligibilibus, quoad modum perficiendi actiuū correspondentem illi primo modo passiuo intellectuum, negatur verò quoad modū actiuum correspōdētē illi secundo modo passiuo. Neq; verò cum dico omnia obiecta intelligibilia habere vnum, & eundē modum proximum perficiendi intellectus actiuè intelligo quòd ipsa omnia sint verè, & propriè principia productiua specierum intelligibilium in intellectibus, id enim falsum esse suppono ex tractatu de anima, & de Angelis; sed intelligo, omnia illa obiecta per species intentionales illorum repræsentatiuas, & imagines, ac uicarias, etiā si sint effectiuè ab alijs principijs, perficere vno, & eodem modo sæpè explicato, intellectus; qui modus verè, & propriè quidem formalis est, cum species sint intelligibiles formæ intellectuum; potest tamen dici large actiuus, aùt quasi actiuus secundum modum significandi, quia per tales species obiecta significantur, vt perficientia, seù denotantur perficere, non autē perfici, sicut vice versa intellectus denominātur perfici: perficere autē, & perfici concipiuntur instar actiui, & passiui, seù tanquam agere, & pati.

Dices. ergo absolutè, & simpliciter intellectus humani in modo perficiendi passiuo conueniunt cū sensibus: sicut enim intellectus habent modum passiuum remotum in sensibus, & mediante hoc habēt modum proximum in se ipsis; ita sensus habent modum remotum in organis, & proximum in se ipsis; obiecta enim sensibilia medijs organis perficiunt tales potentias.

Re-

Respondeo. concedo inter eos intellectus, & sensus esse aliqualem conuenientiam, sed valdè imperfectam, latam, & analogam, non autem perfectam, & vniuocam; longè enim differenter se habent sensus ad intellectum, ac organa ad sensus, hi enim sunt his alligati tanquam subiectis, & instrumentis operandi constituentibus, aùt compræhendētibus vnū receptibile, & vnum completum principium; illi verò respiciūt intellectus solùm tanquam inferiores potententiæ illis ministrantes, & quasi proponentes obiecta, nec constituentes, aùt complentes cum ijs vnum pricipium, vndè modus passiuus per sensus est verè remotus extrinsecus, & præuius respectu intellectuum, i.mò separabilis, vt patet in brutis, & est omninò distinctus ab altero modo passiuo proximo eorundem intellectuum ita, vt sint duo modi totales inepti coire in vnum sicut, & ipsi intellectus, & sensus sunt omninò inhabiles coire, aùt constituere, aùt cōplere vnam potentiam cognitiuam: modus autem passiuus sensuum per organum, non est remotus, sed proximus: licet enim sensus patiatur ab obiecto mediante organo, & non immediatè in se solo; tamen quia organum constituit, aùt complet vnum perfectibile, vnamque completam potentiam materialem cum sensu, ideò modus passiuus per organum non est remotus, sed proximus sensui: nec ibi sunt duo modi passiui totales, sed ad summum partiales, & in vnum coeuntes, & ideò S. Thom. q. de anima a.13.ad 19. dixit [sensus recipere species sensibilium in organis] Imò de spirit.creat.q.2.a.6.ad 14. [Anima, inquit, sensitiua non patitur à sensibilibus, sed coniunctum, sentire enim, quod est pati quoddam, non est animæ tantum, sed organi animati]

Obijc. sexto. Si bona esset ratio supra allata, quod scilicet intellectus non possint esse limitati in extensione ex eo, quia obiecta intelligibilia non possunt esse limitatiua illorum in ea, sed necessariò sū. illimitatiua; iam probaret etiam intellectus non posse esse limitatos in modo intelligendi, sed necessariò esse in ipso illimitatos proptèr idem caput: Consequens est falsū, cum certum sit, omnes omninò intellectus creatos esse in modo intelligendi limitatos; ergo etiam falsum est antecedens, & ratio illa nil valet.

Respondeo. nego antecedens, seù sequelam antecedētis; non enim obiecta intelligibilia se habent vniformitèr vtrobique, sed longè differenter sicut etiam creati intellectus difformiter se habent circa illimitationem in extensione, & in modo intelligendi. nam cum hi intellectus sint intrinsecè simpliciter, & absolutè finiti in virtute, ac perfectione intellectuali, sicut & substantiæ intellectiuæ creatæ, non solùm non est ijs conueniens, sed etiam est prorsùs repugnans illimitatio in modo intelligendi, quia

hæc

hæc est illimitatio, seù infinitas simpliciter, & in eo, quod se tenet solū ex parte intelligentium, scilicet inefficacia, ac perfectione cognoscēdi, ac penetrādi obiecta, atq; adeò, in ipsa ratione & gradu intellectuali illimitatio verò extensiua seù quoad simplicē extensionem nō est infinita simpliciter, sed solùm secūdum quid, trahens semper secum in creatis minorationem perfectioris in modo intelligendi obiecta perfectiora, quò perfectiora sunt, vt infra dicetur; & ideò talis illimitatio non solùm non est repugnans, sed est omninò congruens, ac necessaria spiritualitati, & absolutioni ipsorum intellectuum à materia & eleuationi ad altiorem ordinem. Similitèr obiecta intelligibilia nullatenùs possunt concurrere ad causādam etiā obiectiue, & extrinsece, in intellectibus creatis illimitationem in modo intelligendi, cum huius sint illi incapaces: & insuper ipsa obiecta sunt ex sua natura inepta originare in intellectibus illimitationem, aùt limitationem in modo intelligendi, sed habent se mere permissiue, seù non repugnātèr ad vtramque, in quantum scilicet ijs secundum se non repugnat posse cognosci modo infinito, vel finito: siuè enim talia obiecta sint infinita, siuè finita, siuè aliquod ex his sit in perfectione infinitum, siuè finitum, semper obiecta ex parte sua sunt indifferentia ad posse cognosci modo cognoscendi finito, si nimirum cognoscens sit finitū, vel modo infinito, si cognoscens sit infinitum, vt est Deus: neque esse, aùt assignari potest aliqua ratio, aùt modus communis omnibus ijs obiectis, ratione cuius omnia sint apta cognosci solùm finito modo, aùt modo solùm infinito. At verò illimitationem in simplici extensione benè possunt obiecta intelligibilia obiectiue, & extrinsece causare in intellectibus, quia, & hi sunt capaces illius, & obiecta ipsa habent omnia in se ipsis præsuppositum aùt coexigitum vnum communem modum immutandi, seù perficiendi indiuisibilitèr potentias illas; ac proinde necessariò omnia spectant ad obiectum adæquatum illarum, seù ad obiectum, ad quod illę extendi possunt: quo fit vt obiectis intelligibilibus omninò repugnet esse limitatiua aliquorum intellectuum ad aliquot obiecta tantum, & aliorum ad alia præcise, quia alioquin hoc ipso deberent in obiectis intelligibilibus reperiri plures, ac plures modi proxime perficiendi, singuli limitati, & inter se ipsos omninò difformes, ac disparati, quod supra improbatum est.

Instab. obiecta intelligibilia, quo sunt perfectiora, eo minus perfectè intelligi possunt ab intellectibus inferioribus, magis verò perfecte à superioribus; ergo re vera illa obiecta sunt limitatiua intellectuum in modo intelligendi; ergo etiam esse possunt in extensione.

Respondeo primo hoc nimium probare; probaret enim etiam nūc de facto omnes intellectus existentes,

tes, esse illimitatos ad certa obiecta, sicut omnes sunt actu limitati ad certum modum intelligendi. quod est aperte falsum.

Respondeo 2. concesso antecedenti, distinguo primum consequens, vel enim intelligitur de limitatione in modo finito præcisè, & absolute, non determinando talem, vel talem modum finitum; & sic nego consequentiam, vt ex dictis patere potest; quoad hoc enim obiecta illa habent se solum permissiuè, & indifferenter tam ad limitationem, quàm ad illimitationem intellectuum aliundè prouenientem: vel intelligitur de limitatione in modo finito tali, vel tali, seù tantæ, ac tantæ perfectionis, & multiplicis, & sic concedo primam consequentiam, sed nego secundã. & ratio discriminis est, quia limitatio talis, vel talis in modo, nec est repugnans limitationi priori in modo absolutæ, quæ est communis omnibus intellectib. imò est illi maximè congrua, est enim modificatio, ac differentia illam contrahens, ac particularizans ad intellectus in particulari sumptos: nec rursùs est repugnans, sed omninò conueniens obiectis ipsis, seù entitatibus obiectorum, quia non sumitur, aùt attenditur penes aliquã vnitatem, seù conuenientiam illorum in ratione perficiendi illas potentias, sed penes diuersitatem, ac varietatẽ in perfectionibus eorum entitatiuis maiorib. & maioribus: & sic benè possunt obiecta illa per has sibi intrinsecas diuersitates, ac multiplicitates causare obiectiuè & extrinsece diuersitates, ac varietates in modo intelligendi limitato tali, vel tali: At verò limitatio in extensione, ad tot scilicet, vel tot obiecta tantum, est prorsùs repugnans tum illimitationi extensiuæ omnium intellectuum ad omnia obiecta intelligibilia iam probatæ: imò prorsùs ipsam destruit, clarè enim implicat, omnes intellectus esse illimitatos extensiue ad omnia omninò obiecta intelligibilia, & simul aliquos ex ijs esse limitatos ad aliquot obiecta tantum, & alios ad alia tantum; tum etiam obiectis ipsis, quia hæc omnium intellectuum illimitatio sumitur extrinsece ex eo quod omnia illa obiecta habent vnum tantum modum omnibus communem perficiendi intellectus, scilicet immediate indiuisibiliter; nec possunt aliter eos proximè perficere, & sũt incapacia plurium modorum perficiendi limitatorum difformium; vnde hoc ipso, & ipsa obiecta possunt extendi ad omnes intellectus, tanquam spectantia ad obiectum adæquatum ab ijs attingibile; & ipsi intellectus extendi possunt ad õnia ipsa obiecta; ac proinde esse possunt extensiue illimitati ad omnia; & nulla ex his possunt esse limitatiua aliquorum ex illis in extensione. & hoc discrimẽ est verum, non solùm si intellectus ponantur tantum limitati connaturaliter in tali, vel tali modo intelligendi, vt re vera sunt, cum non sit vnde implicet, eos eleuari ad per-

perfectiorem modum, saltem quoad maiorem limpiditatem, & claritatem: sed etiam si ponantur in prædicto modo limitati essentialiter cum incapacitate melioris; semper enim mala, imò nulla est consequentia, arguere à limitatione in modo intelligendi ad limitationē in extensione, quæ repugnās est, tàm intellectibus, quàm obiectis intelligibilibus; hæc enim omnia partim proxime, partim remote, magis, & minus, apta sunt extendi ad omnes intellectus, & ab ijs aliqualiter intelligi.

Dices. In intellectibus idem est modus cognoscendi, ac modus perficiendi passiuus, correspondens modo perficiendi actiuo conuenienti obiectis, quia intellectus cognoscunt patiendo, seù recipiendo species obiectorum; sed modus perficiendi passiuus est vnus, & idem indiuisibiliter cōmunis omnibus intellectibus, sicut modus actiuus est vnus, & idem communis omnibus obiectis, vt supra dictum est; ergo sic etiam modus cognoscendi est vnus, & idem indiuisibiliter communis omnibus intellectibus; ergo si omnes intellectus ratione vnius modi perficiendi passiui, & vnius modi perficiendi actiui obiectiui sunt illimitati in extensione, iam sunt etiam ob idē caput illimitati in modo cognoscendi; ergo cum hoc sit falsum, allata ratio pro illimitatione extēsiua intellectuum nulla est.

Respondeo nego maiorem. nam modus cognoscendi tenet se ex parte intellectus quatenuùs vitaliter operatiui, seù elicitiui in se actuum cognoscitiuorum cum tāta, vel tanta efficacia, & conatu, cū tali, vel tali claritate, & intensione, facilitate, celeritate, & cum vsu, & concursu tot, vel tot specierum, & vi attingendi simul tot, vel tot obiecta, vel cum simili alia conditione suppositis iam speciebus intentionalibus; nec formaliter cognoscit intellectus patiendo, seù recipiendo has species, sed hæc passio, seù receptio se habet præsuppositiue, & antecedenter in priori saltē naturæ; cognoscit verò formalitèr per actum ipsum vitalem cognitionis, quem in se ipso elicit, & recipit: At verò modus perficiendi passiuus supra explicatus tenet se ex parte intellectus, prout passiuè seù receptiue, aùt quasi receptiue se habentis respectu dictarum specierum tantum, cum habitudine ad principium actiuum, seù productiuum illarum. Deinde concessa minori negatur prima consequentia: bene enim potest modus perficiendi passiuus esse vnus, & idem indiuisibiliter ratione immediationis, quę vtique in indiuisibili cōsistit; cū omnes intellectus immediate in se ipsis solis perficiantur; modus verò cognoscendi, vtpotè: consistens in illa positiua perfectiore habente, vt patet, magnam latitudinem, bene potest esse varius diuisibilis, ac multiplex. Demum negantur aliæ consequentiæ.

Objicies septimo. quoties obiectis conuenit vnus, & idem proximus

uno

modus immutandi, seù perficiendi potentias, semper omnes hæ potentiæ sunt vnius speciei absolute, & simpliciter, & non tantum secundum quid; ergo si obiectis intelligibilibus conuenit vnus modus perficiendi intellectus; iam hi proptèr hunc modum non solùm sunt illimitati in extensione ad omnia illa obiecta, sed etiam sunt vnius infimæ speciei absolute, & simpliciter. Antecedens probatur, tum quia ideò e.g. potentiæ visiuæ omnes sunt vnius speciei absolute, & simpliciter, quia obiectis visibilibus conuenit vnus, & idem modus immutandi eas, & sic de alijs sensibus: tum quia ideò omnes intellectus humani sunt absolute vnius speciei, quia obiectis eorum conuenit vnus, & idem modus immutandi, seù perficiendi illos.

Respondeo. in potentijs cognitiuis duo reperiri nempe extensionem, seù extensiuitatem ad omnia obiecta conuenientia in dicto modo perficiendi, & insuper specificationem simpliciter. quæ duæ rationes sunt distinctæ: tum quia extensiuitas dicit solùm, posse attingere seù cognoscere aliquo modo omnia illa obiecta, tanquam spectantia ad obiectum adæquatum, seù vt contenta sub obiecto adæquato potentiarum, & ab omni alio præcisiue se habet: specificatio verò dicit solùm, quod potentiæ sint repositæ in aliqua vna certa, ac determinata specie, & non in alia, siue hæc formalitas habeatur per ordinem ad vnum illũ modum perficiendi conuenientem omnibus ijs obiectis, siue aliunde: Tum quia apud omnes constat, omnes intellectus iam existentes, & alios consimiles possibiles habere extensiuitatem ad omnia obiecta intelligibilia, seù habere vnum, & idem obiectum adæquatum ipsa compræhendens, & tamen non omnes habere eandem specificationem, sed esse diuersarum specierum absolute, & simpliciter. Similiter modus proximus perficiẽdi potentias potest spectari, vel per se solus, vel prout est aliquando coniunctus per se cum alio modo remoto: & similitèr ipsæ potentiæ possunt spectari, vel præcise, vt subStant illi modo proximo, vel vt includũt, aùt exigunt, aliquas proprias rationes, seù formalitates, ac perfectiones. ex his igitur nego antecedens, si modus ille vnus, & idem perficiendi proximus spectetur per se solus; sic enim non est sufficiẽs, vt omnes potentiæ ipsi sobstãtes sint vnius speciei absolutè, & simpliciter, quia possunt interuenire aliæ rationes, & formalitates tollentes hanc vnitatem specificam, & ponentes in potentijs diuersitatem specificam simpliciter vt accidit inter intellectus: quæ rationes supra sunt numeratæ: & insuper ipse modus solitariè sumptus est tantum aptus causare illam extẽsiuitatẽ potẽtiarũ ad omnia obiecta in ipso conuenientia; quia ex hoc præcise, quod potentiæ possint perfici ab obiectis vno, & eodem modo proximo, habent tantum pos-

posse attingere illa omnia, vt contenta sub suo obiecto adæquato, & ab omni alio præscindunt; vndè hinc nec includunt, nec excludunt vnitatem perfectam specificam, sed hæc ex alio principio sumenda est. Benè tamen possunt tales potentiæ ratione huius extensiuitatis dici esse eiusdem rationis, ac speciei secundum quid, & imperfectè iuxta supradicta. Ad primam probationem antecedentis, nego potentias visiuas esse vnius speciei absolutè proptèr vnitatem, & identitatem modi immutandi eas præcise, ac solitariè spectati; sed quia cum tali modo est coniuncta carentia aliarum rationum aptarũ diuersificare specie eas potentias; si tamen verum est potentias visiuas esse inter se vnius speciei essentialitèr inter diuersa specie animantia, & sic de alijs sensibus: sunt enim auctores, qui volunt, saltèm sensus hominis proptèr coniunctionem cum parte intellectiua esse diuersę speciei à sẽsibus aliorum animaliũ, & aliqui id etiam tenẽt de sensibus omnium animalium ad inuicem comparatorum. Ad secundam probationem nego intellectus humanos omnes esse absolutè vnius speciei præcise proptèr vnum modum proximum perficiendi eos conuenientem omnibus eorum obiectis; sed quia huic modo est coniunctus alter modus, accipiendi scilicet species à sensibus, ac sensibilibus, qui modus est conueniẽs omnibus, ac solis intellectibus humanis, & non alijs, & etiam ob alias rationes illis intrinsecas. Nec tamen desunt, qui velint, de possibili dabiles esse intellectus specie distinctos in hominibus specie differentibus.

Instabis. Illud discrimen inter intellectus, quod scilicet stante vno, & eodem modo perficiendi proximo, vnus intellectus habeat modum cognoscendi perfectiorẽ, ac limpidiorem, est solùm accidentale; ergo adhùc intellectus omnes forent vnius speciei essentialis. Patet antecedens à pari, quia discrimen inter visus, quòd scilicet stante vno, & eodem modo perficiendi vnus sit melior, & acutior, & robustior ad videdũ est solũ accidẽtale, & ideò omnes visus sunt vnius speciei essentialis, licet non semper accidentalis.

Respondeo nego antecedens. & est disparitas inter intellectus, & visus. nam quia ipsemet modus proximus immutandi visum, qui modus vnus specie est, potest ratione sui variari aliquando intrinsece accidentaliter tantum; potest enim variari leuiter, ac secundum magis, ac minus in ipso organo; quod ex dictis spectat intrinsece ad ipsum modum immutandi; ideò benè possunt ipsi visus variari accidentaliter in videndo acutius, & melius, non ratione sui præcise, sed ratione variationis accidentalis in organis. secus est in intellectibus; nam inter ipsos, modus perficiendi proximus est omninò vnus, & indiuisibilis consistens in negatione medij, seu in immediatione perfecti-

ui

ui ad perfectibile, ac proinde est intrinsece inuariabilis, etiam accidentaliter, & ideò benè possunt ipsimet intellectus perfectibiles variari intrinsece in suis essentijs ita, vt vnus intellectus ratione suæ propriæ essentiæ præcise, & immediate, & nullatenus ratione modi proximi perficiendi, sit exigens cognoscere limpidius, ac perfectius; & sic proportionaliter se habeat quilibet alius intellectus: vnde fit, vt omnes intellectus ratione propria distingui possint inter se specie essentiali proptèr varias exigentias, quæ sine dubio essentiales ijs sunt, cum sint imbibitæ in illorũ rationibus formalibus, vt etiam cõtingit in alijs rebus. Nec obstat, quòd possit dari visus specie essentiali distinctus ab alijs visibus per hoc quòd ille stante eodem organo, sit ex se præcisè limitatus e. g. ad solùm album; id enim falsum est nisi organum varietur essentialitèr; hoc enim sic variato, dari poterit ille visus limitatus; alioquin si ad hoc satis foret variatio organi accidentalis, iam datur omnibus ansa dicendi, visus nunc existentes esse essentialitèr limitatos ad eas species colorum, qui nunc existunt, nec posse extendi ad alios colores aliarum specierum, si hi multiplicarentur, quia posset dici, eos exposcere alia organa accidentaliter ab organis existentibus diuersa: hoc autem non solet admitti: ob quàm rationem S. Thom. de spirit. creat. q. 10. ad 7. [Nihil, inquit, prohibet, aliquam virtutem, quæ in se finita est, non habere terminum in aliquo genere determinato; sed tamen habere terminum, in quantum ad superius genus se extendere non potest. Sicut visus non habet terminum in genere coloris, quia si in infinitum colores multiplicarentur omnes possent à visu cognosci: non potest tamen cognoscere ea, quæ superioris generis]

Obijc. Octauo. Si ratione vnius modi immutandi sunt illimitati omnes intellectus, & vniuersales ad omnia obiecta intelligibilia; ergo à pari ratione eiusdem modi omnes species intelligibiles sunt illimitatæ, & vniuersales, tàm circa omnes intellectus, quàm circa omnia obiecta, quia immutatio illius modi habetur formaliter per has species. Sed consequens est falsum; ergo, & antecedens.

Respõdeo. Nego consequentiã; est enim magna disparitas. nam species intentionales sunt ex natura sua magis limitatæ, ac coarctatæ, quàm potentiæ cognitiuæ, quæ vtique longè ampliores, & vniuersaliores sunt, & natæ tendere in plura obiecta, quàm illæ, vt clare patet in speciebus sensibilibus sensuum. & ratio est, quia hæ species sunt ex natura sua imagines, & similitudines impressæ obiectorũ, & determinationes potentiarum ad hæc, vel illa obiecta; vnde quælibet ex his speciebus est ratio qua potentia vnitur obiecto in ordine ad vnionem vitalem cum eodem, & ex consequenti est impossibile, omnes species intelligibiles esse

illimitatas, & vniuersales, sicut etiam omnes habitus, & omnes actiones, seù vniones vitales, quæ sunt species expressæ includunt enim aliquid intrinsecè vniuersalitati repugnans. Nam nec possunt omnes species esse coaptatæ, & proportionatæ omnibus intellectibus adeò inter se diuersis, ac proinde diuersa determinatiua exigentibus, imò quia species, creatæ accidentia sunt, non possunt habere aptitudinem connaturalem ad omnes intellectus, tanquam ad subiecta. Circa obiecta verò, nec possunt esse illimitatæ, & omninò vniuersales, quia non possunt singulæ species esse imagines, ac similitudines naturarum adeò inter se diuersarum, ac disparatarum; nisi in quantum hæ stant sub aliqua peculiari conuenientia, ratione cuius possunt species esse magis, aut minus vniuersales, ac limitatæ, vt dicitur de speciebus Angelicis. Neque idem modus perficiendi, seù immutandi potentiam potest causare in speciebus illimitationem ad omnia obiecta habentia talem modum, tum quia alioquin omnes species visibiles possent repræsentare omnes colores, & sic vna species albi posset repræsentare indifferenter album, nigrum, rubrum, & sic de alijs, quod sane falsum est: Tum quia species intentionales, cum sint imagines obiectorum, nō possunt extendi, nisi ad ea obiecta quorum sunt imagines, nec identitas modi immutandi seù perficiendi potest facere, vt vna species eua-dat imago illius obiecti, cuius re vera non est imago, sed relinquit illam suæ naturæ. Nec refert, quod immutatio, seù perfectio illius modi ratione cuius omnes intellectus sunt illimitati habeatur formaliter per illas species; quia hæ se habent solùm, vt quo, non vt quod, & vt determinationes, & vniones illorum ad obiecta, & ideò includunt aliquid repugnans vniuersalitati, vnde non possunt, nec debent esse æque illimitatæ, ac illæ potentiæ, vt etiam constat in actionibus vitalibus, alijsque determinatiuis aliarum rerum. Secus est in intellectibus, hi enim in respectu ad species se habent, vt id quod est perfectibile per eas, nec est imago obiectorum, sed id, quod est assimilabile obiectis: & insuper vniuersalitas, seù illimitatio extensiua non est repugnans intellectui in communi sumpto, vt clarum est; neque vllis intellectibus particularibus, imò est illis congruens ac necessaria ob omnes rationes hactenus allatas: & in speciali, quia alioquin tales intellectus deberent habere aliqua obiecta intelligibilia extrinsece limitatiua propter aliquem peculiarem modum alijs intelligibilibus non communem supra iam improbatū Bene ergo possunt omnes intellectus esse illimitati, & omnia obiecta esse illimitatiua illorum ratione vnius, & eiusdem modi perficiendi, non quomodocunque sumti, sed prout versantis inter extrema se habentia, vt quod, & capacia-

ta-

talium conditionum, ob quàm rationem omnes viſus ſunt illimitati ad omnia viſibilia; & hæc omnia ſunt illimitatiua illorum.

Dices. Poſſunt aliquot obiecta intelligibilia e. g. mille, ratione alicuius conuenientiæ peculiaris fũdare vnam ſpeciem intelligibilem vniuerſalem ad ipſa tantum, & eadem obiecta coniuncta cum mille alijs poſſunt ratione alterius conuenientiæ particularis fundare aliã ſpeciem magis vniuerſalem ad ipſa in ſententia admittente ſpecies magis, ac minus vniuerſales; ergo ſic etiam fieri poterit circa intellectus, vt nimirum aliqui ſint magis, alij minus uniuerſales circa eadem obiecta.

Reſp. ex dictis tranſeat antecedẽs, nego conſequentiã, & ratio diſcriminis eſt primo, quia uniuerſalitas illa maior, & minor non eſt ita conſona intellectibus, ſicut ſpeciebus, conſtat enim omnes intellectus exiſtentes non habere illam uarietatem in uniuerſalitate, cum omnes ſint extenſiue illimitati; ſecus autem accidit in ſpecibus, ut patet. Secundo quia obiecta intelligibilia differenter ſe habẽt ad ſpecies, ac ad intellectus. Nam ſpecies reſpiciunt tanquam imagines, ac ſimilitudines repreſentatiuas ipſorum ſecundum proprias illorum naturas, & tanquam diſpoſitiones, ac determinationes, & uniones intelligibiles intellectuum ad illas, tam prout tales naturæ ſunt in aliqua ratione conuenientes, & quaſi idem, quàm prout ſunt inter ſe diuerſæ: & ideò quia non poteſt dari in omnibus obiectis intelligibilibus vnus modus reſpiciendi omnes ſpecies, ſed multiplex, ac diuerſus; ſi quidem in ijs non poteſt excogitari alius modus recipiẽdi, quàm quòd obiecta ſint talis, vel talis naturæ, ſeu tale, vel tale repræſentabile, per imagines, ac proinde ſub tali, vel tali conuenientia in aliqua ratione; inde eſt, quòd non poſſunt omia obiecta intelligibilia fundare in omnibus ſpeciebus æqualem vniuerſalitatem ad omnia; bene tamen poſſunt aliquot obiecta ratione alicuius peculiaris conuenientię fundare ſpeciem vniuerſalem ad ipſa tantum: coniuncta verò eadẽ obiecta cũ alijs obiectis ratione alterius conuenientiæ, apta ſunt fundare aliam ſpeciem magis vniuerſalem ad ipſa. obiectis itaque intelligibilibus non repugnat, imò eſt omninò intrinſecũ, & eſſentiale habere plures, ac plures diuerſos modos concurrendi obiectiuè, ac repræſentabiliter ad limitãdas ſpecies intentionales magis, vel minus cum talium modorum diuerſitas ſit ipſamet diuerſitas naturarum, ſeu ipſorum repræſentabilium, nec poſſit in alio conſiſtere. At reſpectu intellectuum ſe habent obiecta intelligibilia, vt perfectiua, tanquam potentiarum perfectibilium, & aptarum tendere in ipſa per actus intelligendi; & hinc eſt, quòd obiecta illa quantumuis diuerſa, benè poſſunt habere vnum communẽ modum perficiendi potentias immediatum, excluſiuum

oẽ-

organi, aut alterius medij, & ex consequenti possunt omnia spectare ad omnes potentias sic perfectibiles, quales sunt omnes intellectus, etiam possibiles: & sic omnes erunt æque illimitati extensiue nō autem magis, & minus limitati Tertio species intelligibiles Angelorum ponuntur deriuatæ, & exemplatæ ab ideis diuinis, prout hæ ideę sunt ratione inter se distinctæ, alia enim est idea hominis, alia equi; ob quod S. August. 83. q. q. 9. ait [alia ratione conditus est homo, & alia equus] & sic non mirum si hæ species possint esse magis, aut minus vniuersales: at verò intellectus creati sunt participationes intellectus increati, qui non distinguitur ratione in plures intellectus, non enim alio intellectu intelligit Deus vnum obiectum, alio aliud, sed omnia vno, & eodem, etiam secundum rationem: & sic non possunt dari intellectus magis, aut minus vniuersales, sed omnes sunt illimitati ad omnia obiecta.

CAPVT VIII.

An dari possit potentia cognitiua infra intellectum, sed supra sensum.

RESpondet sub dubio Rubionus affirmatiue in 2. d. 1. q. 1. a. 1. vbi sic ait [Non videtur impossibile, fieri aliquam apprehensiuam plurium singularium aliquod commune habentium; & illius communis eis. Aliqua enim fortè forma posset fieri inferior, & limitatior intellectiua, & superior, ac illimitatior sensitiua, quæ esset apprehensiua non omnium, vt intellectus, sed aliquarum tantum, & communis illis, quod commune esset eius adęquatum obiectum, &c. Hoc tamen non est vtcertum ab aliquo asserendum, sed magis, vt Deo notum, & nobis dubium dimittendum] Dixerat autem supra, [sensum, licet sit illimitatus ad multa singularia, esse tamen determinatum, & limitatum sic ad ipsa, quod non potest tendere in aliquid eis commune vniuersale]

Sed tamen contra hoc est. quia talis potentia media, vel foret spiritualis, vel materialis. Si primum; ergo foret vera potentia intellectiua, quia nomine potentiæ intellectiuæ non significatur aliud quā potentia cognitiua spiritualis, seu in suo esse eleuata supra materiam; neque enim dari potest potentia cognitiua spiritualis pure sensitiua; vt infra. Si secūdum ergo foret potētia sensitiua; quia nomine potentiæ sensitiuæ significatur potentia cognitiua condistincta à spirituali, ac proinde materialis, & non alia; ergo implicat, talem potentiam esse infra intellectum, & supra sensum.

Dices primo. Illam potentiam esse spiritualem, non tamen esse intellectiuam, quia non foret illimitata ad omnia obiecta, sed limitata

ad aliqua, vnde foret potentia spiritualis innominata, & inferior intellectiua.

Sed tamen contra hoc vrgent omnia argumenta allata contra intellectus extensiue limitatos: hoc enim ipso, quod illa potentia foret spiritualis, iam foret cognitiua immaterialiter, sicut omnes intellectus, vnde foret perfectibilis à suis obiectis modo illo perficiendi cõmuni omnibus obiectis intelligibilibus, scilicet in se ipsa immediatè absque organo, aùt alio proportionali medio, & ex consequenti foret vera potentia intellectiua illimitata, sicut aliæ ob hoc caput, & etiam ob alia supra posita. Atque hinc fit, illam potentiam non posse esse innominatam limitatam, quia limitatio potentiæ supponit, vel coexigit obiecta limitata in modo peculiari immutandi, seù perficiendi illam, & incapacia alterius modi vniuersalioris respectu alterius potentiæ disparatę vniuersalioris, & insubordinatæ, ac inconnexæ illi primæ potentiæ, vt patet in sensibus visus, auditus, &c. obiecta autem illa determinata ad quæ fingigitur esse limitatá illa potentia, nec possunt esse limitata in aliquo peculiari modo immutandi illam, quia hìc est inassignabilis; & prætерea sunt capacia alterius modi perficiendi vniuersalioris communis omnibus obiectis intelligibilibus, quia tàm illa obiecta determinata, quã alia intelligibilia obiecta sunt perfectiua omnium intellectuum illimitatorum, nullam subordinationem, aùt connexionem habentium ad potentiam, quæ dicitur innominata.

Dices secundò hanc potentiam esse ex se ipsa limitatam ad totam collectionem determinatorum obiectorum, etiam si hæc non conueniant in aliquo peculiari modo, aùt ratione, quia hæc conuenientia non requiritur.

Sed contra est. quia sic etiã dici posset aliquã potentiam ex se ipsa esse vnius speciei per ordinem ad collectionem aliquorum obiectorum inter se omninò disparatorum & in nulla ratione conuenientium. Hoc autem est contra omnes antiquos Theologos, ac Philosophos, qui ad vnitatem specificam potentiarum, habituum, & actuum requirunt aliquam vnitatem, aùt conuenientiam in obiectis, vel ad specificandum per modum extrinsecę formæ, res illas, vel certè ad manifestandam illarum intrinsecã specificationem, quam certè nullatenus aùt dare, aùt indicare possunt plura obiecta, quà plura inter se sunt, & omninò disparata, & inconnexa: quod etiam clarum fit ex inductione; omnes enim potentię, actus, & habitus existentes naturales, ac supernaturales semper in suis obiectis præsupponunt, aùt coexigunt aliquam vnitatem, seù conuenientiam, vt considerantibus patere potest: nec nobis licet pro libitò fingere nouas rerũ definitiones, aùt cõditiones, & certè vnitatẽ, seù cõueniẽtiã obiectorũ in modo immutandi, seù perficiẽdi potentias cognitiuas

esse

esse optimum medium ad saluandam harum vnitatem, inter alios egregie tenet Henricus quodlibet 8.q. 15. vbi sic ait [Hoc solùm est generale in virtutibus passiuis, quod secundū diuersitatē obiectorū,à quib. diuersimode patiūtur,& hoc in quantū ab eis diuersimodè patiuntur, sunt diuersæ potentiæ: ita quod quantumcunque sint diuersa obiecta, dum tamen vniformitèr, & essentialitèr eandem rationem passionis inferunt, eis respondet vna virtus passiua, vt unus intellectus omni intelligibili, & unus uisus omni uisibili: Color autem, & sonus, quia diuersimode immutant, & inferunt sensui passiones, propter hoc oportet esse diuersos sensus respectu illorum, &c.] & paulo inferius [intellectus non numeratur per potentias, aùt uires secundum aliquam diuersitatem iutelligibilium, quoniam idem est modus mouendi intellectum à quocunque intelligibili, &c.] quare uniuersaliter quando obiecta cognoscibilia ratione incompossibilitatis inter se inuicem, ac disparationis,& heterogeneitatis in modo immutandi, seù perficiendi non possunt immutare idem receptiuū tunc fundant disparatas potentias, seù spectant necessariò ad diuersas potentias; aliqua quidem ad unā potentiam, aliqua ad aliam, & sic deinceps, & nunquam possunt omnia spectare ad unam potentiam, nisi quando hæc potentia est communior, sibique subordinans illas alias particulares, & ab ijs accipiēs species intentionales. ob quam rationem licèt non omnia, sed aliqua obiecta sensibilia, puta colores, spectent ad vnam potentiam sensitiuam scilicet ad visum, & soni ad auditum, & sic de alijs particularibus sensibus omnia tamen spectāt ad vnum sensum communem internum. Hæc autem constat non posse accidere inter obiecta intelligibilia, vt sæpè dictum est.

Dices tertio. esto illa potentia, de qua agimus foret intellectus, nō tamen esse necesse, quod intellectus vt sic, atque adeò omnis intellectus possit intelligere omnia entia, alioquin posset omnia intelligere perfectè, & per proprias species etiā entia abusiua, q̄ sūt priuationes.

Sed contra, quia hæc est fallacia consequentis, aùt à secundum quid ad simpliciter: intellectus, vt sic, & omnis intellectus potest omnia intelligere, ergo potest perfectè, &c. Vndè rectè Caietanus 1.par.q. 79. a.2. [Concedendum, inquit, est, quod omnis intellectus est circa omne ens. sed aduerte ne fallaris à cognitione ad modum cognitionis declinans; ad cognoscere quippè omne ens sufficit cognoscēdo attingere omne ens, ita quòd ad omne ens terminari possit cognitio illius: ad modum verò cognoscendi spectat, quod cognoscat perfectè, vel imperfectè, per propriam speciem vel alienā, per causam, vel effectū, &c. constat autem, quod omnis intellectus in omne ens potest, quamuis non perfectè, aùt per species proprias. Quia ergo intelligere est cir-

circa omne ens terminatiue, oportet omne intelligens esse omnia, &c.] Neque verò ex eo, quòd omnes intellectus conueniant in eodem obiecto adæquato, nempè ente, sequitur, omnes intellectus humanos, & Angelicos esse eiusdem speciei simpliciter: quia, vt etiam supra dixi, conueniẽtia in tali obiecto propter vnum, & eundem modum perficiendi non potest dare vnitatem simplicitèr, sed ad summum secundum quid, quando aliundè datur principium faciens diuersitatẽ in specie: quia vt egregie ait Scotus in 2.d.1.q.6.§ ad argumenta,[Quælibet diuersitas specifica sufficit ad distinctionem simplicitèr, non autem quælibet identitas in aliquo sufficit ad identitatem simplicitèr, quia identitas simplicitèr requirit integram causam, ad distinctionem autem sufficit quæcunque diuersitas.] Cum ergo intellectus habeant aliundè sufficientem rationem specificæ distinctionis inter se, iam ab obiecto illo adæquato non habebunt identitatem specificam simplicitèr, sed secundum quid in extensiuitate, & etiam habebunt vnitatem genericã in ratione potentiæ intellectiuæ, per quam distinguentur à sensibus; non tamen indè habebunt propriã speciem talis, vel talis intellectus vt rectè Suarez de Angel. lib. 2.c. 12.num.19.referens Scotum. Neque similitèr ex prædicta conuenientia sequitur, omnes intellectus posse indifferenter recipere omnes species intelligibiles quantumuis inter se diuersimodè perfectas, & per eas intelligere, id enim saltèm connaturalitèr falsum est, quia diuersitas inter has species spectat, & redundat in diuersitatem modi intelligendi, qui in diuersis intellectibus necessariò diuersus est; vndè vni intellectui sunt proportionatę aliquæ species, quæ sunt improportionatæ alij, & sic vice versa; aliquę enim sunt proportionatæ nobiliori essentiæ, seù actualiori, ac lumini intellectuali, & perfectioribus actibus, secus aliæ. Proptèr quod Aegidius in 2.d.3.part. 1. dub. 3. literali ait [quod species vnius Angeli sint efficaciores ad intelligendum, & possint vehementius in actum procedere, hoc est quia recipiuntur in essentia, seù in natura plus de actualitate habente]

Dices quarto. Illam potentiam fore spiritualem, & cognitiuam; non tamen fore intellectiuam, sed sensitiuam per sensationes longè diuersæ rationis à sensationibus ordinarijs, & consimilibus: vndè ratione spiritualitatis, esset supra sensus ordinarios, aliosque similes, & posset cognoscere etiam prædicata vniuersalia sensibilia, quæ hi non possunt: quia verò non foret intellectiua, sed solùm speciali modo sensitiua, ideò esset infra intellectum. Nec desunt qui velint dabilem esse animum spiritualem, non intellectiuum, sed vel sensitiuum, vel loco motiuum, vel vegetatiuum, vt Arriaga de anima disp. 2.sect.3.

Secũdò ea quia talis, o vera spiritualis vtique foret potẽtia ad cuius substãtiam spiritualis, non autẽ materialis, aliàs potentia foret longè excedens perfectione sua in substantiam, cuius esset connaturalis proprietas. Implicat autem substantia spiritualis cognitiua, quæ non sit intellectiua, sed pure sensitiua, seù cognitiua per solùm sensum, ac sensationem Primo quia tali substantiæ spirituali, quà cognitiua spiritualis est, omninò improportionatus est modus cognoscendi pure, & præcisè sensitiuus, tum quia ex terminis ipsis constat, modum cognoscendi substantiæ cognitiuæ spirituali vt sic proportionatum, conuenientem, & accommodatum esse modum cognoscẽdi similitèr spiritualem, ac proinde intellectiuum; cum cognoscitiuitas spiritualis, quatenus spiritualis sit ipsa intellectiuitas ex communi omnium conceptu; hæc enim, vt contradistincta à cognoscitiuitate sensitiua, quæ absque dubio matetialis, & corporea est, saltèm in modo cognoscẽdi, vtpotè exercita per sensus, ac sensationes, ac sensibiles, species incorporea, ac spiritualis esse debet: Tum quia licèt alicui substantiæ cognitiuæ spirituali possit esse conueniens modus cognoscendi sensitiuus, vt accidit animæ rationali: tamen hoc illa non habet, quà præcise substantia cognitiua spiritualis est, sed solùm quà est forma corporis sensibilis, et organici, quia sub hac ratione est forma sensitiua, & siuè in se, siuè in corpore, ac mater a immutabilis ab obiectis sensibilibus, & capax sensibilium specierum, quæ ad modum cognoscendi sensitiuũ necessariæ sunt: quatenùs autem est substantia cognitiua spiritualis iam est superexcedens materiam, ab eaque tanquam à subiecto in tali sua cognitiuitate independens, & ex consequenti habet plus aliquid, quam forma pure sensitiua, quę à corpore omninò pendens est: ergo habet modum cognoscendi nobiliorem, seù altiorem non solùm ad sensibilia, sed etiam ad spiritualia cognoscenda: qui sanè modus non potest esse alius, quàm intellectiuus; vndè modus cognoscẽdi pure sẽsitiuus, hoc est exclusiuus intellectiui, est illi substantię omninò improportionatus: imò nec vlla ratione potest eidem conuenire modus sensitiuus, nisi vt subordinatus, ac ministrans modo intellectiuo, vt in anima humana constat

Secundo talis substantia spiritualis sensitiua, vel foret substantia completa, vel foret incompleta, seù forma, ac pars; vt est anima rationalis, alius enim rationis fingi non potest. Neutrum dici potest. ergo. Non primum, tum quia iam foret tota spiritus purus, vt est Angelus ac proindè foret incapax sensuum, specierum sensibilium, & sensationum; & appetitus sensitiui: hæc enim, vtpotè longè diuersa ab intellectu, appetitu intellectiuo, speciebus intelligibilibus, & intellectionibus, iuxta communem conceptum nõ possunt cadere in purũ spi-

ſpiritum, ſed poſcunt in ſubiectis ſuis materiam, & organa, aut aliquid ſimile materiale, ac corporeũ, alioquin confundentur cum ijs quatuor. Tum quia alioquin iſta ſubſtantia mere ſenſitiua foret admirabile, & monſtruoſum brutum pure, ac totalitèr ſpirituale, non minus quàm ſit Angelus; quod horrent aures, & mentes omnium: Tum quia non apparet, vndè talis ſpiritus habere poſſet ſpecies ſenſibiles, quas nunc ex communi ſententia ſuppono eſſe neceſſarias ad ſentiendum: quia nec eas poſſet accipere à ſolo auctore naturæ, cum ſint tali ſpiritui omninò innaturales, ac diſproportionatæ: nec ſecundum connaturalem ordinem ac exigentiam poſſint infundi omnes ſimul, nec ſucceſſiuè, prout ſucceſſiue aliæ deberent corrumpi, & aliæ produci in ordine ad varias, ac ſibi inuicem ſuccedentes ſenſationes.

Nec rursùs poſſet is ſpiritus accipere ſpecies ab obiectis ipſis ſenſibilibus: nam vel acciperet eas in ſe habendo ſe mere paſſiue; & hoc non, quia repugnat res materiales agere per ſe ſolas, atque adeò, vt cauſas principales, in purum ſpiritũ mere patientem: vel acciperet coagendo per ſenſum agentem cum his obiectis tanquam ſuis inſtrumẽtis: & hoc neque, quia duo agẽtia, etiam principalia, nõ poſſunt ſimul concurrere, & coefficere eundem effectum, niſi ſint coniuncta, & indiſtantia inter ſe, vt in omnibus conſtat: alias quomodo, ſaltèm cõnaturalitèr ſimul cõcurrent & tale agens principale eleuare poterit obiecta à ſe diſtantia ad ſecũ coagendum? ergo in propoſito noſtro, vt dictus ſpiritus poſſet ſimul cum ijs obiectis coefficere ſpeciem illarum in ſe ipſo deberet eſſe ijs intime præſens, nec poſſet id aliter præſtare: ergo nec poſſet illa eleuare ad cauſandas ſpecies in ordine ad cognitionem habendam, accedẽdo ad ipſa per motum ſpontaneũ, & ab intrinſeco manantem, vt faciunt animalia bruta, quia hic motus fit ex præuia iam cognitione: vndè is acceſſus fieret mero caſu, & fortuito; & ſic etiam ſemper mero caſu ille ſpiritus cognoſceret prædicta obiecta, & non niſi intima ſibi, & foret longè deterioris conditionis, quàm ſint ipſa bruta, quæ ſpontanee accedunt ad obiecta cognoſcendo illa à ſe diſtantia. Præterea idem ſpiritus completus, nullo prorsùs modo poſſet cognoſcere ſe ipſum, ſaltèm naturaliter, ſpiritus enim non eſt cognoſcibilis per ſenſum, ſed intelligibilis per intellectum; & tamen propria ſubſtantia foret illi maximè proportionata, & omninò independens à quouis corporis impedimento: atque ita quoad hoc etiam eſſet vilioris conditionis, quã noſtra bruta, quæ aliquo modo ſe ipſa cognoſcunt. Nec denique poſſet dici ſecundum, ſcilicet huiuſmodi ſpiritum fore formam incompletam, ac partem compoſiti vt eſt anima, quia in primis adhùc hoc compoſitum foret monſtruo-

sum, quia esset pure sensitiuum, vt sunt bruta, & tamen foret constás ex corpore, & anima omninò spirituali, & immortali, non minus quàm homo: deinde verò hæc anima, vtpote parte sensitiua, seù per solùm sensum cognitiua, nullo modo posset cognoscere se esse spiritualem, nec arguitiue, cum est cóiuncta corpori; nec intuitiue, cū foret separata; imò, & separata maneret omninò immortalis duratura in æternum, & omninò sui ipsius inscia, & incognoscitiua actu, ac si esset forma lapidis quantum ad impotentiam proximam cognoscēdi: quæ ex terminis videntur absurda. Insuper anima nostra spiritualis quà sensitiua est, non potest proptèr spiritualitatē cognoscere p sēsū naturas sēsibiles cōmunes pluribus singularibus; ergo multo minus ille spiritus qui esset forma pure sensitiua, posset ratione suæ spiritualitatis sentiendo cognoscere easdem naturas. Prætereà si dari posset spiritualis forma, quæ foret pure sensitiua, aùt pure vegetatiua aùt pure loco motiua, iam dari etiā posset spiritus monstruosus, & ridiculus, qui esset forma spiritualis ignefactiua, aùt frigefactiua, aùt corporis misti inanimati; si enim forma pure sensitiua, potest non esse materialis, sicuti sunt omnes formę sensitiuæ brutorum existentium; sed spiritualis: & sicut dari potest forma pure vegetatiua, aùt pure loco motiua spiritualis; cùr dari nō potest forma ignefactiua, quę nō sit materialis, sicuti sunt formę ignium existentium, sed spiritalis, & sic de alijs? Tertio, & vltimo si is spiritus completus posset cognoscere obiecta sensibilia singularia, & proptèr perfectionem suæ spiritualitatis posset naturalitèr extendi etiam ad cognitionem naturarum sensibilium ijs communium; ergo potiori ratione proptèr eandem posset naturalitèr cognoscere obiecta spiritualia, & præsertim se ipsum quia hæc entia spiritualia sunt magis consona, & proportionata, ac similia eius spiritualitati, vt ex se patet: & ob eandem rationem, etiam si esset spiritus incompletus, posset separatus eadem obiecta, aùt aliqua ex ijs cognoscere; ergo necessariò foret spiritus intellectiuus, quia spiritus mere sensitiuus non potest saltèm naturalitèr res spirituales cognoscere, vel certè illi connaturalius est obiecta sensibilia seù corporea, quam spiritualia, & incorporea cognoscendo percipere; ergo tandem implicat substantia spiritualis cognitiua, quæ sit pure sensitiua.

Dices quinto illam potentiam cognitiuam, de qua est quæstio, esse quidē materialē, & sensitiuā, prout sēsitiua distinguitur ab intellectiua, sed tamen esse supra sensum nō abstractè sumptum, sed solùm vt cōtractum ad sensus imperfectos, iā existentes externos, & internos, qui solùm apti sunt cognoscere aliqua singularia sensibilia non autem vllam naturam, etiam corpoream, communem, seù vniuersalem ijs, quā tamen appræhendere posset il-

illa potentia ſuperior.

Sed cõtra eſt, quia ex infra probãdis, potẽtia cognitiua materialis, vt ſic, ſiuè dicatur ſẽſitiua, ſiuè innominata, ſiuè organica, ſiuè nõ organica, eſt omninò immerſa materiæ quãtum ad eſſe, & quãtũ ad operari; ergo nullo modo poteſt eſſe abſtractiua, ſeù productiua ſpeciei intelligibilis alicuius obiecti etiam ſenſibilis abſtracti à ſingularibus, ſeù vniuerſalis, nec præciſiua ipſius per appræhenſionem, ſicut nec cognitiua obiecti ſpiritualis: materia enim coarctat formam materialem eiuſque omnem cognitiuam potẽtiam lõgè infra vim abſtractiuam, præciſiuam, ac cognitiuam potentiarum intellectiuarum; ac proinde eam alligat, ac reſtringit ad ſpecies tantum corporeas, & ſingulares in repræſentando; ſicut etiam ad obiecta tantum materialia, & ſingularia: tum quia alioquin nulla poterit aſſignari ratio ſufficiens, cùr non poſſint dari potentiæ cognitiuæ immerſæ materiæ tam perfectæ, vt non modo adæquent potentias immateriales intellectiuas in vi, ac perfectione cognitiua, ſed etiam ipſas ſuperexcedant: Tũ quia aliàs non conuincetur qui dicet, potentias ſenſitiuas nunc exiſtentes, ſaltèm internas, nunc de facto formare ſpecies ſẽſibiles obiectorum materialium vniuerſaliũ atque hæc ipſa obiecta præciſiuè cognoſcere: idque præſertim attribuet ſenſibus internis humanis qui proptèr coniunctionem ad intellectum humanum ſunt longè perfectiores ſenſibus aliorum animalium. de quo tamen fusè aliàs quare rectè Aegid. quodlibet 4. q. 20. reddens rationem, cùr in homine potentia intellectiua ſit vna tãtum, potentiæ autem ſenſitiuæ ſint plures, dicit [Hoc eſſe proptèr appræhendere vniuerſalitèr, & particularitèr: vt quia intellectus tendit in ſuum obiectum vniuerſalitèr, & ſub quadam ratione communi, nõ oportuit huiuſmodi potentiã plurificari: tendit.n. in ſuũ obiectũ ſub ratione veri, ſub qua ratione poſsũt omnia cognoſcibilia cõprehẽdi: ſed ſenſus tendit particularitèr, ſub qua ratione omnia ſenſibilia non compræhenduntur.

DISPVTATIO III.

De substantia immateriali comparata ad materiam primam capacem quidem quantitatis, sed non exigitiuam.

Ago hìc de hac substantia, prout præcisè, & explicitè immaterialis est, nó verò prout explicite intellectiua est: hæ enim duæ rationes saltem conceptibilitèr distinguuntur, siquidem immaterialitas solā explicat negationem, seù exclusionem materiæ; intellectualitas verò solam vim intelligendi, hoc est nobili, & eleuato modo cognoscendi etiam obiecta ipsa immaterialia designat: potest autem substantia immaterialis sumi, vel prout est forma substantialis incompleta, altera nimirum pars essentialis compositi, vel prout est aliquod totum cōpletū, nempè compositum ipsū substantiale. Similitèr materia capax quantitatis potest fingi duplex vna, quę quantitatis sit pure capax, sed non exigitiua; altera, quæ sit capax, & secundum se exigitiua simul, & vtraque in duplici statu, nempè, vel vt actu quanta, vel vt priuata quantitate.

CAPVT I.

An substantia immaterialis excludat à se materiam pure capacem quantitatis.

CErtum est non omnem substantiam immaterialem excludere à se hanc materiam saltèm vt sui compartem. nam anima rationalis non excludit, sed includit vt compartem materiam; siuè hæc ponatur pure capax, siuè etiam secundum se exigitiua quantitatis, vt proprietatis. idque verum est, siue talis materia sit actu quanta, vt constat, siuè etiam priuata quantitate: non enim videtur esse vnde repugnet Deum vnire formam illam materiæ priuatæ quantitate, sed quantificabili etiam vt stat sub tali forma: in quibus tamen casibus clarum est totum completum ex his partibus constans non esse substantiam immaterialem, seù spiritualem, sed materialem, & compositam, vt patet de homine: nam vt aliquod totum compositum, sit abso-

solutè immateriale, seù spirituale non sat est si altera eius pars sit immaterialis, sed necesse est, ipsum esse integre, & totalitèr immateriale secundum omnem sui partem cum enim ens immateriale, ac spirituale sit aliquid valdè bonum, & intrinsece perfectum, & in gradu suo excedens omne materiale, & corporeum, vtique violatur per quācunque immistionem, & intimitatem cuiusuis materialitatis, ac corporeitatis intra ipsum, & ideò debet esse vndequaque, & adæquatè immateriale, seu exclusiuum materiæ corporeæ, seù quæ sit quātificabilis in ipso. Vndè etiam fit vt omnis omninò substantia constans ex quauis alia forma substantiali, quæ foret alterius rationis ab anima rationali, non possit esse, aùt dici immaterialis, si eius materies set actu quāta, aùt etiā carens actu quantitate, exigens tamen ex se ipsam; atque adeò etiam prout est sub tali forma: quia vtrobique esset materia ex se positiue corporea, & quantitati addicta, licet per accidens, & ab extrinseco esset ea priuata.

Quare difficultas solùm est an substantia immaterialis completa constans ex forma immateriali excludat à se materiam actu carentē quantitate, & incapacem eius sub tali forma, licet capacem sub alia, an verò dari possit substantia completa, quæ sit verè immaterialis, etiam si talem materiam in se, vt sui partem includat. & quidem

Pars affirmans dabilem esse hanc substantiam, sic probari potest. Dari potest materia vnius rationis æque capax quantitatis sub vna forma substantiali exigente quantitatem, & inextensionis hoc est carentiæ quantitatis sub alia forma quantitatem excludente: ergo dabilis etiam est substantia completa constans ex hac secunda forma, & dicta materia; ergo talis substantia erit immaterialis. Prima consequentia clara est. secunda probatur tum ex eo, quia hæc substantia sic composita est omninò incapax quantitatis tam ratione formæ ipsam penitus excludentis, quàm ex parte materiæ per talem formam determinatæ, & addictæ, ad carentiam, & exclusionem eiusdem quantitatis; ergo est substātia completa, quia est quoddam totum conflatum ex materia, & forma, & est immaterialis, quia est omninò opposita substantiæ completæ materiali, seù corporeæ, quæ vtique in se includit, & exigit quantitatem: Tum ex eo, quia vniuersalitèr substantia immaterialis habet latitudinem; cum enim ipsa in suo conceptu importet immunitatē, & independentiā in esse suo à materia quantificabili, vt sic, iam vna substantia in sua immaterialitate erit minus perfecta, quia est quidem immunis, & independens ab huiusmodi materia, est tamen habens intrinsecum ordinem, & vnibilitatem ad ipsam, quo modo anima rationalis est immaterialis: alia verò substantia erit magis perfecta, & magis immaterialis, quia

non

non solùm est immunis, & indepẽdens à materia illa, sed etiam ab omni ordine, & vnibilitate ad eãdẽ qua ratione sunt substantiæ immateriales Deus, & Angeli; ergo similiter inter substantias immateriales completas vna esse potest magis perfecta, quia nimirum est omninò simplex, & immunis ab omni compositione cuiusuis materiæ, & formæ, quæ sint partes, & ab omni ordine ad materia, vt est Deus, & in communiori opinione sunt etiam Angeli: alia verò esse potest minus perfecta: quia & si excludit compositionem ex materia, & forma quantificabili: tamen est composita ex materia, & forma spiritualibus, quales multi volunt esse Angelos de facto, vel de possibili: alia demum esse potest minus perfecta quia composita ex forma spirituali, & ex materia de se indifferẽti ad quãtitatẽ, & carentiã, seù exclusionẽ quãtitatis iuxta exigentiã diuersarum formarum; quæ materia licet sit quantificabilis sub vna forma vnius compositi, quod proindè erit materiale; est tamen de se inquantificabilis prout est sub alia forma noui compositi omninò exclusiua quantitatis; ergo hoc compositum erit verè substantia completa immaterialis; quia à priori ratio immaterialis completæ benè, & integre saluatur in hoc, quod substantia composita ratione sui, & ratione suæ formæ sit omninò exclusiua quantitatis in omnibus suis partibus, & quod materia sit incapax quantitatis in ipsa, & sub eius forma, quãtumuis aliũdè sit eiusdẽ capax sub alia forma, & in alio cõposito; talis enim capacitas habebit se materialitèr, & impertinentèr, & per accidens. Antecedens verò principale scilicet dari posse talem materiam probari potest pluribus medijs.

Primum medium est. quia secũdum omnes datur materia vnius speciei sublunaris æque capax in diuersis cõpositis ob diuersas formas, conditionum, seù dispositionũ contrariè oppositarum, vt patet in igne, aqua, & alijs; ergo sic etiam dari potest materia æque capax in diuersis compositis, & formis conditionum priuatiue, seù cõtradictoriè oppositarum, quales sunt quantitas, & inextensio, seù carentia quantitatis.

Secundum medium à priori est quia ideò materia est capax diuersarum dispositionum, quia est capax diuersarum formarũ illas exigentium: sicut enim materia non est proptèr se ipsam, sed proptèr formam; ita non proptèr se, sed proptèr illam debet esse disposita, atque adeò varietas dispositionũ tota est iuxta exigẽtiã formarũ: sed dari potest materia vnius speciei æqualitèr capax formæ materialis exigentis hanc dispositionem, videlicet extensionem quantitatiuam, & formæ spiritualis exigentis inextẽsionem oppositam, cùr enim id repugnet? ergo similitèr potest esse capax harum dispositionum.

Tertium medium. quia vna, & eadem materia est æque susceptiua

ma in alio, & alio composito formę materialis, & formæ spiritualis, seù inextensę nimirū animæ rationalis; ergo multò magis potest in diuersis esse capax quantitatis, & actualis inextēsionis, q̄ nō est ita spiritualis, vt anima, sed est quędam spiritualitas priuatiua, à qua minus videtur distare materia, quàm à spiritualitate positiua animæ.

Quartum medium. Dari potest, & datur forma spiritualis scilicet anima rationalis exigens materiā actu quātam, & organizatam; ergò etiam dari potest forma spiritualis exigens materiam actu inextensam, & non quantam, vtpotè magis sibi proportionatā, & consequēter dari etiā potest hæc materia incapax quantitatis sub tali forma, licet sit capax sub alia.

Quintum medium, quia si quid impedit in vna, & eadem materia capacitatem quantitatis, & inextensionis diuisim sub diuersis formis, est quia talis materia, vt possit recipere quantitatem, necessariò habet ex se partes entitatiuas substantiales, ac proinde connaturalitèr quantitati coextensas, & non nisi violenter existentes sub inextēsione, seù priuatas extensione illa. Hæc autem non obstat, primo, quia nō est necesse, materiam habere ex se partes illas, sed sat est, si secundū se sit indifferens ad eas habendas à quantitate sub forma compositi materialis, & nō habendas sub forma compositi immaterialis. secundo quia esto materia ex se partes habeat; tamen hæ æque connaturalitèr sunt quantæ in vno composito, ac inextēsæ in alio: nam eædem materiæ partes intimius respiciunt partes entitatiuas substantiales formæ materialis, quia cum hac faciūt vnum per se; quàm partes quantitatis, cum qua faciunt vnum per accidens; & tamen æque connaturalitèr, & absque violētia sunt tam sub forma substantiali habente partes entitatiuas proprias; quàm sub forma ijs carente, nempè anima rationali; ergo potiori ratione sic etiam erunt sub partibus quantitatis, & sub inextensione, seù earū priuatione in diuersis. Demum eadem materia sublunaris in igne e.g. est priuata forma, & dispositionibus aquæ, & tamen absque violentia, quia ea priuatio non est cū debito habendi illas, aùt cum exigentia, sed solùm cum aptitudine, seù capacitate; ergo sic etiam eadē materia sub forma spirituali puta Angelica, potest esse priuata forma corporea, & quantitate per similē priuationem absque vlla violentia; licet sub alia forma possit esse capax quantitatis. & ita communitèr censetur sensisse Auicembron de materia, ex qua putauit Angelos esse compositos, siuè talem materiam posuerit vnigeneam cum materia sublunari, siuè diuersæ rationis, de quo aliàs.

Dicendum tamen, non posse dari substantiam completam constantem ex dicta materia carente quantitate, cuius sit capax, sed non exigitiua. & loquor de quantitate indefinite, & vage, non autem de-

Ee ter-

terminata, aut sub certa figura, ac termino.

Prima ratio sit, quia talis substãtia ob vnũ caput esset absolutè immaterialis, seù incorporea, ac spiritualis; ob aliud verò esset absolutè materialis, seù corporea; ergo includeret contradictoria; atque adeò dari non potest. Consequentia est clara. Antecedens quoad primam partẽ probatur, tũ quia ea substãtia iã supponitur immaterialis, ac spiritualis: Tum quia omnis substantia, quam implicat esse vnquam intrinsece actu quantam, seù quantitate extensam, necessariò est absolutè immaterialis, & incorporea; cum incorporeum per hoc distinguatur à corporeo, quòd corporeum ex suo conceptu, & communi cóceptione non possit præscindere ab extendibilitate per quantitatem secus verò incorporeum: sed illam substantiam implicat esse vnquam dicto modo quantam, vt conceditur; ergo necessariò est absolutè immaterialis, &c. Quoad secũdam verò partem probatur idem antecedens, quia huiusmodi substantia includeret constitutiue in sua essentia vnam partem essentialem sui verè corpoream, nempè illam materiam, quæ, etsi actu foret inextensa, & sub illa forma diceretur incapax quantitatis, tamen re vera secundum se, & absolutè esset pars substantialis capax quantitatis, & habens in se actu, vel potentia partes entitatiuas substantiales integrantes quantificabiles; ergo foret corporea corporeitate substãtiali spectante reductiue ad genus substantiæ corporeæ; & omninò contradiuisa à parte essentiali spirituali, seù immateriali, quæ secundum omnes est omninò incapax quantitatis, & à se excludens omnes partes entitatiuas quantificabiles; ergo demum substantia completa constans ex hac materia, quãuis possit dici aliquo modo, & secundum quid immaterialis, seù spiritualis, in quantum in se est inextendibilis, seù inquãtificabilis; simpliciter tamen, & absolutè est corporea, & materialis: quia ad hoc vt aliqua substantia sit talis non est necesse eam esse secundum omnem sui partem, seù totalitèr materialem, sed sufficit si intra suam essentiam constitutiue includat vnã partem materialem, seù de se quãtificabilem, etiam si altera pars sit simplicitèr spiritualis; vt constat tum de homine, tum etiam in simili de composito accidentali, ad quod sufficit si vna eius pars sit accidens, & alia sit substantia. & ratio est quia substantiam aliquam esse non spiritualem, seù immaterialem, sed materialem, & corpoream, est aliquid imperfectum, & quasi malum naturale per recessũ, & elongationem à substantia spirituali, quæ vtique secundum gradũ suum perfectior est: ad esse autem imperfectum, & malum sufficiunt singuli defectus. sic etiam, vt aliquod compositum sit non substantiale, sed accidentale per recessum à substantiali, est quasi malum naturale, ad quod proinde satis est

si

si vna eius pars sit accidens: ècontra verò aliquam substantiam esse spiritualem, & immaterialem est magna perfectio, & magnum bonum, & ex consequenti debet esse ex integra causa, & omnibus eius partibus spiritualibus, si est res cõposita: sic etiam aliquam rem esse compositum substantiale est quoddam bonum, & perfectum, atque adeò si res est composita, esse debet ex integra causa, seù ex singulis eius partibus substantialibus, substantia enim non potest cõstare ex non substantia.

Secunda ratio principalis est cõtinens implicantiam materiæ, quæ sit pure capax quantitatis, & non exigitiua, seù quæ sit de se indifferens ad quantitatem sub forma materiali, & inextensionem, seù carentiam quantitatis sub forma spirituali. Quia substantia, quæ est capax alicuius accidẽtis permanẽtis tãquã subiectũ, & radix eius, implicat quòd non sit etiã exigitiua illius sed sit indifferens ad ipsum, & ad carentiam, seù negationem ipsius: sed materia est substantia capax huius accidentis permanentis, scilicet quantitatis, vt conceditur, & est capax eius tanquam subiectum, & radix illius; ergo implicat quòd non sit exigitiua eius, sed indifferens, &c. Maior videtur certa, quia hoc ipsò talis substantia se habet ad tale accidens tanquam ad suam proprietatem, vt fundamentum, & principium ex quo illa fluit, ac proinde est illi debita, ac connaturalis, & ex consequenti repugnat, quòd non sit ab ipso exigita; nihil enim potest esse magis exigitum ab aliqua essentia, quam id quod est illi debitum, ac connaturale per modum proprietatis ex ipsius principijs necessariò fluentis, vt constat ex omnibus rerum proprietatibus, ac passionibus. Minor verò quoad rationem subiecti etiam patet, quia materia si est capax quantitatis, necessariò est subiectum eius saltèm partiale, cum præcipua ratio materiæ sit esse subiectum, nec possit intelligi, vt capax quantitatis, nisi subiectiue, non autem informatiue, aùt concomitanter solùm, & commensuratiue ad aliud subiectum quantitate informatum. Quoad rationem radicis, ac fundamenti quantitatis probatur tum primo, quia quantitas est accidens valdè proportionatũ materiæ capaci eius, est enim inepta ad agendum, sicut materia; cum non appareat quid agat quantitas; & est aptissima ad patiendum, ac recipiendum, vel saltèm ad hoc valdè disponens, ob quam rationẽ est multum sensibilis; ergo materia ita est per modum subiecti capax quantitatis, vt sit etiam radix, & fundamentum eius tanquam proprietatis sibi ad suum munus scilicet patiendi, ac recipiendi aptissimæ: Tum secundo, quia sicut se habet qualitas actiua ad formam substantialem actiuam ob proportionem, quæ est inter has duas res in ratione actiui, ita se habet quantitas, quæ vt dixi, est passiua, ad materiam primam, quæ est primum

passiuum, ob proportionem inter ipsas intercedentem in ratione passiui; ergo sicut qualitas illa est proprietas, & sequela formę substantialis,& hęc est radix illius;ita quantitas est proprietas, & sequela materiæ,vt radicis, ac fundamēti: Tum tertio quia radix præcipua quantitatis, seù cùr quantitas sit debita composito connaturalitèr atque adeò ab ipso exigita, non potest esse forma substantialis: quia si hæc forma est talis radix vel hoc habet quia spiritualis in se ipsa est;vel quia est materialis, siuè intrinsece in se ipsa, vt sunt omnes formæ à materia in suo esse pendētes, siuè solùm quoad aliquas suas potentias, & operationes, vt est anima rationalis independens in suo esse à materia, & dependens quoad sensus, & sensationes:si primum; ergo spiritus est prima radix quantitatis, ac materialitatis, quod ex terminis absurdum est; & insuper sequitur in compositis pure materialibus solam materiam esse totam radicem quantitatis. Si secundum, ergo adhùc materia est prima radix quantitatis: Si enim forma substantialis est hæc radix ex eo quia materialis est iam potiori ratione, imò simplicitèr prima,ac fundamentalis radix, & origo quantitatis est materia capax eius,quia ipsa est ipsissima materialitas, & omnis alterius materialitatis radicale principium.

Tertia ratio principalis cōtra eādē materiā. quia talis materia esset secūdū se capax formæ substantialis materialis, & quātitatis, & sub hac forma esset connaturalitèr extensa & quanta, ergo ob hoc foret verè in se corporea:Rursùs esset de se capax formæ substantialis spiritualis, & inextēsionis sub ea; ergo ob hoc esset etiam capax connaturaliter extensionis virtualis eminentis perfectæ, & esset actu inextensa formaliter, sed extensa solùm virtualitèr;& hoc ideò, quia hæc materia necessariò foret per se ipsam sine formali quantitate, atque adeò per virtualem extensionem eminentem correspondens connaturalitèr isti formæ spirituali,& adæquate coexistens, vt virtualitèr extensæ, ita vt vbicumque, & in quocunque spatio esset huiusmodi forma foret etiā ipsa materia:oīs.n.res, q̄ est capax coexistere spatio extēso necessariò est extēsa, virtualiter,vel formaliter:ergo ob hoc caput materia hęc haberet verè,& connaturalitèr perfectionem magnam, quam omnes agnoscunt, vt propriam substantiarum verè spiritualium, & incorporearum,nempè extensionem virtualem eminentem,ac perfectam: vndè etiam necessariò ipsa foret in se verè,& propriè spiritualis. Voco autem hic extensionem virtualem eminentem, & perfectam illā quæ importat vim correspondendi, ac coexistendi extensioni corporeæ per eleuatam æquiualentiam, exigentem in rebus ipsam habentibus independentiam ipsarum in suo intrinseco esse à quantitate, aùt à re quanta. Vndè animæ perfectorum brutorum,si sunt

indi-

indiuisibiles, vt multi volunt, & propter hoc habent virtualem aliquam extensionem necessariam ad coexistendum, & correspondendũ corporibus, quæ informant, ea non est extensio virtualis eminens, sed imperfecta, quia mixta est cum intrinseca dependentia taliũ formarũ in suo esse à materia actu quanta, ergo tandẽ ex his fit, materiam, de qua agimus, esse secundũ se formaliter corpoream, & verè spiritualẽ quod euidenter implicat.

Quarta ratio contra eandem est, quia indifferentia æqualis vnius, & eiusdem rei ad duas rationes contradictoriè oppositas, est contradicens maiori inclinationi, ac proportioni, & accomodationi talis rei ad vnam ex his rationibus potius, quã ad aliam, vt ex terminis ipsis clarũ est: cum hæc maior inclinatio, ac proportio ad vnum importet quãdam determinationem ad ipsum, quam formaliter negat indifferentia: ergo implicat materia, quæ de se sit æqualiter indifferens ad has duas contradictorias rationes, scilicet ad quantitatem, qua ipsa reddatur actu quanta, & ad inextensionem, seù negationem, ac carentiam quantitatis, qua fiat actu inextensa, non quanta; quæque insuper sit ex se intrinsecè habens maiorem inclinationem, proportionẽ, & accommodationem ad vnam ex his rationibus magis quàm ad aliam: sed dicta materia foret huiusmodi; ergo implicat. Minor quoad primam partẽ, scilicet quoad illã indifferẽtiam iam admittitur; quoad aliam verò, scilicet quoad eam maiorem inclinationem, probatur, quia talis materia foret ex se capax quantitatis, vt subiectum eius; ergo ex se etiam haberet totam suam entitatem substantialem, & insuper proprias partes entitatiuas, seù integrantes similiter substantiales, præscindendo nunc ab extraneitate, & intraneitate; quia per se totam seù per totam suam entitatem debet recipere, ac substentare totam quantitatem, & per suas partes substentare partes quantitatis, nec potest per se totã substẽtare singulas partes quantitatis, sed per partes sui, & per correspondentiam partium ad partes, vt constat ex diuisione: alioquin si materia affecta quãtitate esset tota sub tota quãtitate, & tota sub singulis partibus, iam sub quantitate esset spiritualis, aùt indiuisibilis, quod apertè falsum est. sicut etiam est apertè verum per diuisionem substantiæ quantæ non posse produci partes substantiales materiæ, quæ antea non præfuerint, vndè enim tãta vis inest diuisioni, vt possit causare partes substantiales materiæ, quæ sunt ipsamet entitas substantialis illius? ergo insuper talis materia per suas partes substantiales haberet correspondentiam ad partes quantitatis, ac proindè maiorem inclinationem, proportionem, & accomodationem in se haberet ad ipsam quãtitatem ex his partibus constantem quã ad cõtradictorium eius, nempè ad negationem, seù carentiam quantitatis, seù inextensionem.

Nec potest dici, materiam habere ex se partes in potentia tantum, actu verò habere per quantitatem. Nam contra est, tum quia ipsæ partes, quæ dicuntur haberi in potentia, satis sunt ad hoc, vt materia habeat maiorē inclinationem, ac coaptationem ad quantitatem, quæ vtique partes habet, quàm ad negationem quantitatis, seù inextensionem, quæ omnium omninò partium, siuè actualium, siuè potentialium, expers, & incapax est: Tum quia falsum est assumptum: materia enim habet quidem à quātitate partes accidentales quātitatiuas, & etiā impenetrabilitatem, & fortasse etiam extensionem, & extraneitatē siuè in ordine ad se, siuè in ordine ad locum; & quoad hæc potest dici habere partes in potentia: partes tamen substantiales sibi intrinsecas habet ex se ipsa formalitèr, & nullo modo potest habere à quantitate, neq; tāquā à causa efficiēti, neq; vt à causa formali, aùt materiali, vt ex se clarū est; imò neq; tāquā à cōditione: quia entitatē ipsā suā substātialem vtpotè subiectū omninò præsuppositum ad quantitatem, certum est materiam nullo modo posse habere à quātitate, sed habere formaliter à se ipsa; ergo similitèr partes suas substantiales habet à se ipsa, & nullatenùs potest habere à quantitate, seù partibus quantitatis; quia sicut tota materię entitas est subiectum præsuppositū, & ideò incausabile à totā quantitate; sic partes substantiales materię sūt partialia subiecta partium quantitatis, ac proindè præsupposita, & incausabilia ab ijs. quinimo substantialis entitas materiæ non est aliquid diuersum à suis partibus substantialibus, aùt ab ijs præsuppositū; nec eius substātiales partes sunt aliquid differens ab ipsa entitate materiæ, aùt ipsi adueniens, alioquin forent illi accidentales, sed sunt ipsamet materia, seù entitas materię ex suis partibus substātialibus composita; ergo sicut tota materia nullo penitus modo potest habere à quantitate entitatem suā substantialem, quod vtique omnes concedunt, sed eam habet à se ipsa formaliter; sic nullo prorsùs modo partes suas substantiales habere potest à quantitate, sed habet formaliter à se ipsa. Sed de hoc in physicis.

Quinta ratio impugnans eādem materiam. Hæc materia pro formis substantialibus materialibus in diuersis compositis materialibus foret egens dispositione positiua materiali accidētali in se recepta, cōmuni ijs omnibus, scilicet quātitate, & præterea alijs materialibus dispositionibus diuersis pro diuersitate illarum formarum, & cōpositorum; ergo similitèr pro formis substantialibus spiritualibus in compositis spiritualibus foret egens in se aliqua dispositione positiua spirituali accidētali communi omnibus his formis, ac compositis, & insuper alijs dispositionibus varijs pro varietate talium formarum, & compositorum; Tum quia non potest assignari maior ratio

vnius

vnius indigentiæ, quàm alterius; Tum quia alioquin non bene saluari posset æqualis differentia huius materiæ ad huiusmodi formas & ad quantitatem, & carentiam quantitatis sub varijs formis, & compositis: Hæc autem secunda indigentia ex alio capite est repugnans, quia repugnant tales dispositiones spirituales. In primis enim repugnat dispositio illa spiritualis communis ex parte sua, quia repugnat accidens spirituale habens pro suo connaturali, ac proportionato subiecto ens corporeum cum dependentia in suo esse ab illo; ex terminis enim ipsis constat subiectũ accidenti spirituali proportionatum, ac connaturale esse debere similiter spirituale, aùt saltem hæc spiritualitas esi illi magis connaturalis: illa autem dispositio spiritualis communis foret accidens spirituale habens pro suo connaturali, ac proportionato subiecto materiam, non spiritualem, sed corpoream, seù capacem quantitatis; hãc enim disponeret, & non aliam: vnde etiam hæc ipsa materia corporea haberet pro connaturali dispositione, atque adeò sibi proportionata tale accidens spirituale, quod potius deberet illi esse innaturale, & extraneum. Deinde hoc accidens spirituale commune vtique remote ac mediate disponeret, & accomodaret ad omnes formas spirituales materiam disponendam proxime per alias particulares dispositiones: Aùt ergo tale accidens disponeret spiritualizãdo materiam seù reddendo eam spiritualem, & hoc aperte implicat: aùt communicando illi connaturaliter tanquam quantitas aliqua virtualis extensionem virtualem correspondentem extensionibus virtualibus illarum formarum, & hoc etiam supra dictum est implicare: aùt reddendo talem materiam aptam ad recipiẽdum immediate, vel mediate alias dispositiones spirituales particulares determinantes illam ad determinatas formas: & hoc etiam repugnat, tum quia iuxta dicta hæ etiam dispositiones spiritales accidentales deberent posse modo cõnaturali recipi, ac substentari in eadem materia corporea: Tum quia nec possent ipsam disponere spiritalizando, aùt reddendo eam virtualiter extensam, nec apparet possibilis, aùt assignabilis alius modus disponendi: Tum quia non potest intelligi, aùt explicari, quæ sint hæ dispositiones spirituales: non enim possunt esse potentiæ operatiuæ talium formarum spiritualium substantialium, nempe intellectiuæ, aùt volitiuę, aùt loco motiuæ, quæ profecto non possunt habere pro subiecto connaturali substentante materiam corpoream sed ipsasmet formas spirituales, vt ex se constat: nec rursùs possunt tales dispositiones ob eãdem rationẽ esse habitus, aut species intentionales, aut operationes; & ex consequenti censendę sunt fictitię. Quod si quis dicat, eam materiam actu inextensam nullis egere dispositionibus circa formas spirituales, quia

his

his eſt ſe ipſa proportionata per inextenſionem, ſeù carentiā quantitatis, ſecus verò eſſe circa formas materiales; hoc ſupra impugnatum eſt, & adhùc impugnatur, quia talis materia, etiam actu inextenſa, eſt re vera corporea ſecundum ſe, vtpotè capax quantitatis; ergo ex ſe eſt magis proportionata formis materialib. & corporeis, circa quas tamen eget diſpoſitionib. quā formis ſpiritualibus; per actualem verò inextenſionem non redditur his proportionata, quia hæc inextenſio materiæ eſt illi accidentalis, cum ſit ab illa ſeparabilis, & eſt per puram negationem quantitatis cum capacitate eiuſdem: illę verò formę ſpirituales ſunt inextenſæ intrinſecè per incapacitatem quantitatis, ac proindè ſunt valdè diſproportionatæ illi materiæ: vndè ipſa proptèr hoc caput eſt illis diſpoſitionibus ſpiritualibus indigens, licet propter aliud non poſſit eſſe indigens. Atque ex hac materiæ corporeitate ſumi poteſt

Sexta ratio. quia hæc materia in quocunque compoſito ſit, & ſub quacumque forma, neceſſariò eſt ibi, vt materia corporea, tum quia non poteſt ibi eſſe niſi ſecundum ſuam naturam, quæ eſt eſſe materiam corporam; Tum quia non eſt ibi tanquam materia in communi, vt conſtat: aliàs non cauſaret compoſitum ſpeciale: neque tanquàm materia vere ſpiritualis, cum non ſit talis: ergo tanquam materia vere corporea; ergo tanquā capax quantitatis, & nuſquā poteſt eſſe tanquam incapax.

Vltima ratio à priori indicata ſupra cùr ipſa ſit nō ſolū capax, ſed etiam ex ſe exigitiua quantitatis: Omnis res, quæ in ſua ratione intrinſeca abſolutè eſt complebilis per aliquod complemētum, ac ſpecificatiuum extrinſecum, non ſolū eſt capax eius, ſed etiam exigitiua iuxta naturam ſuam; ſed hæc res, nempè hæc materia eſt in ſua intrinſeca ratione, ſcilicet corporeitate ſubſtantiali, complebilis per hoc complementum, ac ſpecificatiuum exrinſecum, ſcilicet per quātitatem; ergo, &c. Maior eſt clara, quia omnes res in ſua ratione intrinſeca, ſeù eſſentiali complebilis dicto modo neceſſariò, & abſque dubio habet intrinſecum ordinem, & eſſentialem ad ſuum completiuum, ac ſpecificatiuum extrinſecum, cum ſine hoc non poſſit intelligi, & ſit in ſe intrinſece incōpleta, ac defectuoſa, vt conſtat in relationibus reſpectu terminorum, actionibus reſpectu obiectorum, & eſſentijs reſpectu ſuarum proprietatum, & alijs rebus: ergo neceſſariò etiam omnis res ſic complebilis, eſt non ſolùm capax, ſed etiam iuxta ſuam naturam exigitiua talis complementi, ac ſpecificatiui, quia nullius entis poſſunt res eſſe magis non modo capaces, ſed etiam exigitiuæ, quàm proprij cōplementi, ac ſpecificatiui ad quod habent ordinem, ac reſpectum eſſentialem, tum quia hic ipſe ordo non eſt niſi ipſamet exigentia, ac indigentia: Tum quia pa-

pura capacitas siue exigentia est tantum respectu alicuius non necessarij, vt res sit simpliciter completa in sua ratione, & connaturali statu, siuè illud sit perfectiuum rei, siuè non, siuè sit conueniens, siuè disconueniens: sic superficies est mere capax colorum, saltem determinate sumptorum, & eorum priuationis, quia sine his est simpliciter completa in ratione, & statu connaturali superficiei: sic proportionaliter se habet aer secũdũ se respectu luminis, & tenebrarum; sic materia ipsa prima est purè capax huius, aut illius formę determinatæ, & etiam respectu motus sursum, aut deorsum, & aliorum motuum, quia sine his in particulari sumptis habet suum debitum complementum: sic etiam ob proportionalem rationem intellectus noster est pure capax respectu actualium intellectionum in particulari, imò etiam respectu actuum erroris, & voluntas respectu volitionum, non solùm bonarum, sed etiam malarum: siuè hæc pura capacitas, & aptitudo sit semper, aut aliquando per modum inclinationis, an solum per potentiam neutram, sine inclinatione, an per quandam non repugnantiam, nunc nihil refert; est tamen cum indifferentia ad vtrumque oppositorum, siuè positiuum, siuè negatiuum, ergo quando aliquod perfectiuum est necessarium, aut conueniens rei ad hoc vt res sit simpliciter completa in sua ratione, imò etiam in statu suo connaturali, siuè in essendo, siuè in operando, ita vt sine eo res censeatur incompleta, & defectuosa, & in statu innaturali; iam respectu talis perfectiui, ac cõpletiui inest rei non solùm capacitas, sed etiam exigentia, & indigentia: sic omnes essentiæ sunt exigitiuæ suarum proprietatum, siuè spectarũ in communi, & vagè, siuè determinate, & in particulari iuxta varias rerum conditiones: quia sine proprietatibus essentiæ sunt in sua ratione omninò incompletæ, & in statu prorsùs innaturali. Sic materia sublunaris exigit formam indeterminate; determinatã verò poscit materia Cœlestis ob Cœli incorruptibilitatem. sic quãtitas exigit sibi figuram vagè, & agens corporeum, vt agat, poscit quantitatẽ, & propinquitatem ad passum, & sic de alijs. Minor verò principalis scilicet dictam materiam esse in sua intrinseca ratione, scilicet corporeitate substantiali, complebilẽ illo modo per quantitatem, probatur, quia materia, de qua agitur, est substantia corporea, cum ponatur esse quantificabilis; quantitas verò est complementum, & quasi specificatiuum extrinsecum substantiæ corporeæ, quà corporea est: corporeitas enim de genere substantiæ est differentia substantialis constitutiua, & determinatiua substantię corporeæ, vt contradiuisæ à spirituali; & hoc habere non potest, nisi per habitudinẽ determinatam ad corporeitatem dimensiuam de genere quantitatis, quæ est ipsa quantitas, quia non potest excogitari

 alud

aliud, vt clare patet in omnibus alijs rebus corporeis, qualia sunt multa accidentia, vt frigus, calor, albedo, nigredo, & innumera alia, quæ non nisi per habitudinem ad quantitatem, cui sunt coextensibilia, aut à qua in suo esse pendent, rationem corporeitatis in proprijs prędicamẽtis habere possunt, præcisa enim hac habitudine, statim incidunt in spiritualitatem, & immaterialitatem; ergo re vera materia illa est in sua intrinseca ratione, scilicet corporeitate absolute complebilis per hoc complementum, ac specificatiuum extrinsecum, scilicet per quantitatem. quo fit, vt quantitas sit illi proportionata, & connaturaliter debita, inextensio verò sit illi violenta, & repugnans: & voco hìc complementum extrinsecum non prout opponitur intrinseco, seù vnito, ac coniuncto, sed prout opponitur intrinseco idest essentiali, seu cõstitutiuo.

Explicatur, & roboratur magis allata ratio. quia omnes formæ, siue substantiales, siue accidẽtales, quantitati coextẽdibiles, & cõmẽsurabiles, & res ex ijs cõpositæ, sũt nõ modo capaces, sed etiam exigitiuæ quãtitatis, vt sibi debitæ, ac cõnaturaliter inseparabilis proptèr, quod forma e.g. ignis, forma aquæ, frigus calor, ignis ipse, & aqua ipsa frigidum, & calidum, vtique miraculosè, & violenter existerent in solo puncto, sine quantitate: & hoc nisi quia sunt res intrinsecè, & secundum se corporeæ corporeitate radicali de prædicamento sibi proportionato; alia enim ratio assignari non potest; ergo vniuersaliter idẽ ex natiua, & propria corporeitate conuenit vnicuique rei, atque adeò etiam materiæ coextẽdibili, ac commẽsurabili quantitati. quod etiam suadetur ex eo, quia quantitas ipsa non solùm est capax, sed etiam exigitiua extensionis localis actualis, saltem alicuius, vt naturaliter sibi debitę necessariò, & inseparabiliter; & hoc ideò, quia habet ex se partes proprias quantitatiuas, aùt entitatiuas radicalitèr locabiles, & cõmẽsurabiles partib. loci, & localis extẽsionis; ergo sic etiã, quia illa materia corporea habet ex se partes proprias entitatiuas, integrãtes substantiales, radicalitèr corporeas, & coextẽdibiles quantitati, vel saltẽ habet substãtialẽ corporeitatẽ quantificabilem, quicquid ea sit, erit exigitiua quantitatis, &c. sicut enim illa locabilitas radicalis esset incompleta simpliciter, & imperfecta in sua ratione sine extensione locali formali, & actuali, & ideò habetur illa exigentia, & indigentia; ita quia corporeitas radicalis substantialis esset simpliciter incompleta in sua ratione sine quantitate, quæ est formalis corporeitas quãtitatiua, seù dimensiua, habetur exigentia, & necessitas quantitatis, saltèm vagè sumptæ. Atque hæc ratio, & aliæ præcedentes probant intentum, siuè materia, de qua est controuersia, ponatur eiusdem rationis, & etiã eiusdem perfectionis indiuidualis cum materia sublunari, siuè diuersæ rationis, aùt indiui-

dua-

dualis perfectionis.

CAPVT II.

Soluuntur rationes contrariæ.

AD primum negatur antecedēs. & ad primum mediū probationis dato antecedenti, nego consequentiam; est enim dispar ratio de cōditionibus illis, ac dispositionibus contrarijs, & de alijs oppositis priuatiuè, seù contradictoriè, vt sunt quantitas, & inextensio, seù quantitatis negatio. nam priores pugnant quidem inter se, vtpotè proprietates contrariarum formarum; materiæ tamen sunt omnes proportionatæ, sicut & earū formæ cum nihil afferant ipsi repugnans: & ideò benè potest materia vnius speciei esse in diuersis compositis capax earum. At non sic se habent omnes aliæ conditiones. nam ex iā probatis quantitas est materiæ corporeæ proportionata, & debita cōnaturaliter; ex consequenti verò inextēsio opposita, est illi repugnās, & violenta. & ideò non potest hæc materia esse, etiam in diuersis compositis, æque capax quantitatis, & inextensionis oppositæ.

Ad secūdum medium dico duplices esse materiæ dispositiones. quædam primario, & per se sunt dispositiones, quia ex se sunt proprietates, & bona formæ, & ideò materiæ seruiunt, quia formæ debentur, non verò materiæ immediatè, vndè & sunt dispositiones proximè, & particulares, ad determinatas scilicet formas: & sic sunt calor, & siccitas ignis, frigus. & humiditas aquæ, & similes: aliæ non sunt per se, & primario solùm dispositiones ad formam, sed sunt proprietates, & complementa materiæ, saltèm inadæquate, quā corporea substantialiter est: deinde verò eam disponunt consequenter remote, & vniuersaliter: & tales sūt dimensiones quantitatiuæ, seù quātitas ipsa. Concedo igitur maiorem de dispositionibus primi generis: harum enim capacitas, & varietas tota mensuratur ex formis materiæ proportionatis, quæ vtique illas peculiari modo exigunt: nego verò maiorem de dispositionibus secundi generis; quia materia corporea ob rationes allatas vnius tantum ex ijs est capax, nimirum quantitatis, non autem alterius oppositæ, videlicet inextensionis, sicut vnius tantum formæ, non verò ambarum. Deinde nego minorem, & ratio cùr materiæ repugnet capacitas formę spiritualis exigentis in ea inextensionem, & absentiam quantitatis, est inter alias hæc, quia talis inextensio, & absentia excludit à materia intrinsecam proprietatem, & complementum eius in ratione corporei, & vniuersalem dispositionem necessariam ad omnes formas in ea receptibiles, quæ est ipsamet quantitas.

Ad tertium medium concedo antecedens, sed nego consequentiam.

tiam.& ratio disparitatis est, quia forma substantialis materialis, & forma positiue spiritualis, quæ est anima rationalis, nil ponunt, aùt poscunt in materia, quod illi, aùt eius proprietati, & perfectioni sit innaturale, aùt repugnans, imò vtraque est ei proportionata, sicut actus potentię, & in ea exigit quicquid illi est debitum:& ideò potest eadem materia esse vtriusque formæ susceptiua in alio, & alio composito: Inextensio autem est innaturalis, & repugnans materiæ corporeæ, vt dictum est. Nec minus, sed magis distat materia à spiritualitate priuatiue, & æquiuocè dicta quàm à positiua anima;quia cum hac conuenit in ratione entis, vtraque enim est positiuum ens, & substantia,& insuper in ratione potentiæ,& actus;ab illa verò in vtraque differt,vt clarum est.

Ad quartum medium concesso similiter antecedenti nego consequentiam. est enim dispar ratio de anima rationali respectu materiæ quantæ, & de alia illa forma spirituali respectu materiæ non quantę nec extensæ actu, sed extendibilis sub alia forma materiali. nam anima rationalis exigendo materiam actu quantam, nihil exigit indebitum, innaturale, aùt repugnãs materiæ corporeæ,sed aliquid illi maximè cognuum, debitum, & connaturale: at verò illa alia forma spiritualis exigendo materiam inextensam,& non quantam actu,sed secundum se capacem quantitatis, iam exigeret in tali materia de se corporeâ aliquid illi indebitum, & innaturale,imò omninò repugnans nempè inextensionem, quia faceret illam, aùt supponeret connaturaliter capacem extensionis virtualis eminentis, quæ propria est rerum spiritualium,vt iã probatum est. Vnde falsum est, talem materiam inextensam actu, sed capacẽ quantitatis, esse magis proportionatam in ratione potentiæ,& actus illi formæ ipsam exigenti; iam enim re vera huiusmodi materia propter cõnaturalem capacitatem extensionis virtualis non esset amplius illa eadem, quæ ex se erat capax quantitatis, sed foret transmutata essentialiter in aliam simpliciter incapacem quantitatis, ac proinde vere spiritualem: materia autem actu quanta, & organizata, bene foret proportionata in ratione potentiæ receptiuæ animæ rationali tanquam actui formali de se virtualiter extenso, & simul includenti essentialiter, aùt identice gradum animæ vegetatiuę, & gradum sensitiuæ, qui vtique habẽt intrinsecum ordinem, & exigentiam ad operationes pendentes à materia quanta, & organizata.

Ad maiorem quinti medij dico iam fuse explicata esse impedimenta capacitatis in vna, & eadem materia respectu quantitatis, & inextensionis diuisim sub diuersis formis, inter quæ vnum impedimentũ est talis materiæ substantialis, & radicalis corporeitas ex se addicta quantitati vt suo complemento, & specificatiuo in ratione corporei: quæ

quæ proinde corpereitas in omni ſubſtantia commenſuratiue coextendibili quantitati, eſt entitas neceſſariò habens ex ſe partes ſubſtantiales connaturaliter illi correſpondentes, ac coextenſas, ac proinde non niſi innaturaliter, & violenter exiſtentes ſub oppoſita inextenſione, ſeù carentia quantitatis. Deinde nego minorem, ad cuius primam probationem nego aſſumptum: quamuis enim materia habeat à quantitate partes extenſionis accidentalis impenetrabilis, ſuas tamen ſubſtantiales partes integrantes, quia ſunt ipſamet materiæ ſubſtantia, non poteſt ab vllo accidente accipere, ſed habet formaliter ex ſe, vt late iam oſtenſum eſt. Ad aliam probationem nego has partes æque connaturalitèr eſſe quantis in vno compoſito, & inextenſas in alio, iam enim conclusum eſt, eſſe quantis ad vbique connaturaliter addictas. & ad vlteriorem probationem concedo, partes illas materiæ reſpicere intimius ideſt vnitius in ordine ad conſtituendum perfectius per ſe vnum partes ſubſtantiales formæ materialis, quàm quãtitatis; non tamẽ reſpicere eas intimius ideſt arctius, & inſeparabilius: quia materia in ordine ad formas ſubſtantiales, ſaltẽ aliquas, eſt in potentia contradictionis cum eas diuiſim poſſit recipere. nec materia, vt potentia eſt, ſumit ſpeciem à formis in particulari, ſed à forma ſubſtantiali in communi. Nec ly intimius ſumptum primo modo trahit neceſſariò intimius ſecundo modo ſumptum: nam anima rationalis, vt ſic intimius in ordine ad vnum per ſe reſpicit materiam, quã ſuas proprietates, intellectum, voluntatem, & memoriam, quas tamen reſpicit intimius ideſt ſtrictius, & indiuiſibilius, ſeù inſeparabilius, etiam ſi accidentia ab ea diſtincta ponantur, quia ſunt complementa, & connotata ſpecificatiua ſubſtantialis intellectiuitatis, & appetitiuitatis. Ad vltimam replicam do diſparitatem. nam forma aquæ, & aliæ formæ, earumque propriæ diſpoſitiones non tenẽt ſe ex parte materiæ ſublunaris, vt proprietas, aùt aliquid per ſe primo eam complens, & ſpecificans ſub aliqua ratione illi eſſentiali, ſed ſolùm eam perficiunt tanquam compartes contradiſtinctæ, aùt diſpoſitiones compartium in ordine ad totum: & ideò benè poteſt talis materia abſque exigentia, & debito habere ad eã diuiſim, & in particulari ſumptas aptitudinem tantum, & per conſequẽs eſſe naturaliter in potentia contradictionis, & indifferentia ad illas ſingillatim, & ad earũ priuationes ſine vlla innaturalitate, aùt violentia, quia nunquam, aùt in vllo compoſito materia reperiretur ſine aliqua forma, & aliquibus diſpoſitionibus: at quantitas, & eſt proprietas materiæ corporeæ, ſaltèm inadęquate, quia eſt etiam tum compoſiti, tũ ſępè formæ; & eſt primum cõplementum eandem materiam ſpecificans in ratione ſubſtantiæ corporeæ, ſicut forma ſubſtantialis in com-

communi in ratione potentiæ, seù primi subiecti:& ideò talis materia est ijs ita de se addicta, vt ad eas nō solùm habeat aptitudinem, sed etiā connaturalem earum exigentiam, nec vllo modo possit ijs sine violētia priuari, sicut re vera priuaretur si in aliquo composito esset sine omni quantitate, aùt esset in rerum natura sine omni forma. Imò si in aliquo composito esset carens omni quantitate quia sic exigeret etiā connaturaliter eius forma substantialis spiritualis, iam etiam esset cōnaturale tali materiæ corporeæ transformari in spiritualem proptèr extensionem virtualem eminētem illi connaturaliter conuenientem, quod iam dictum est repugnare.

Ad id, quod dicitur in probatione secundæ consequentiæ rationis principalis, scilicet substantiam cōpositam ex illa materia inextensa, & forma spirituali, esse verè immaterialem eo, quod substantia immaterialis habeat latitudinem, & vna possit esse minus perfecta quàm alia, dicò ex hoc capite nil probare; licet enim detur illa latitudo; intra eam tamen non potest contineri vlla substantia includens in se materiam corpoream, qualis foret substantia illa composita:& cum subditur, huiusmodi substantiam fore immmaterialem ex eo, quia ratio immaterialitatis integre saluatur in hoc, quod substantia cōposita ratione sui, & ratione suæ formæ sit omninò exclusiua quantitatis in omnibus suis partibus, & materia sit incapax quantitatis in ipsa, iam dictum est eam substantiam ob hoc caput fore immaterialem: ob aliud verò caput fore absolutè materialem, quia constitutiue includeret in se materiam verè corpoream, & habentem partes substantiales integrantes verè secundum se quantificabiles, & ideò eā substantiam includere contradictoria. Nec verum est, illam corporeitatem stare ibi per accidēs, & materialitèr: stat enim per se, & formaliter, quia est ipsamet entitas talis materiæ ex his partibus integrantibus constans; vnde est de intrinseca ratione eius. & esto staret per accidens, adhùc tamen ob hoc caput substantia illa non foret immaterialis, seù spiritualis, quia spiritualitas excludit omnem corporeitatem, atque adeò, tàm per se, quàm per accidens se habentem, semper enim violat perfectionem spiritus.

CAPVT III.

Soluuntur aliæ obiectiones.

Obijc. primo in opinione probabili Cęlum est corpus simplex absque materia prima, & tamen est extensum, ac quantum; ergo hæc materia non potest esse radix quantitatis, vt proprietatis.

Respondeo stante illa opinione, ma-

materiam non dici radicem quantitatis, vt proprietatis strictè sumptæ, & vbique cum ea conuertibilis, & illi soli conuenientis, sed vt proprietatis inconuertibilis cum ipsa, quia scilicet quantitas conuenit omni composito corporeo ratione materiæ, licet non soli composito, aùt soli materiæ conueniat; & hoc nobis sufficit. Adde quòd secundum aliquos quantitas Cœli est diuersæ rationis ab alia quantitate; & sic materia benè potest esse radix huius quantitatis, vt veræ proprietatis strictè sumptæ, licet non omnis quantitatis.

Obijc. Secundo per hoc, quod materia corporea informetur forma spirituali, non potest ipsa in se reddi spiritualis, aùt extensa virtuali extensione eminenti propria rerū spiritualium; ergo falso supra dictū est, materiam illam, prout stantem sine quantitate sub forma spirituali, fore capacem connaturaliter extensionis virtualis, quia fieret extēsa virtualitèr per correspondentiā ad illam formam. Consequentia patet; quia ea materia per carentiā quantitatis sub illa forma non est vnde possit adeò crescere in perfectione, vt transeat ad participandam eo modo proprietatem rerum spiritualium. Antecedens verò probatur tum primo quia materia sublunaris, etiam prout informata anima rationali, seù intellectiua, non redditur in se spiritualis, aùt virtuali extensione extensa, vt clarum est: Tum secundo, quia etiam si hęc materia informaretur eadem anima sine quantitate, adhùc non redderetur in se spiritualis, nec foret extensa virtualitèr simul cum anima, quia vtraque foret in puncto: Tum tertio, quia ad hoc, vt materia sit spiritualis, aùt extensa virtualiter necesse est, eam ex sua perfectione esse incapacem quantitatis, & ab ea independētem, nec sufficit, eā informari forma spirituali, & extēsa virtualiter, alioquin sic posset materia esse, ac dici intellectiua, aùt rationalis ex eo quia informatur forma intellectiua, aùt rationali, quod falsum est.

Respondeo concedo antecedēs, si velit, materiam ex sola illa informatione præcisè non reddi spiritualem, aùt virtualiter extensam, nec hoc est contra nos: si verò velit materiam illam ex illa informatione, vt sibi connaturali, & carentia quantitatis similitèr connaturali, per naturalem scilicet capacitatem tali materiæ conuenientem non reddi in se immediate, & directè spiritualem, sic etiam concedo; nego verò si velit non reddi in se immediatè extensam extensione virtuali, & mediatè, ac indirectè spiritualem ob vnū caput; re .n. vera huiusmodi materia hoc ipso, quod ex se est æque indifferens ad quantitatē sub forma materiali, & ad inextensionem, seù carentiam quantitatis sub forma spirituali excedente in perfectione animam rationalem, & ex natura sua est æque capax vtriusque formæ, ac status in diuersis compositis, iam sicut est illi connaturale informari forma materiali

li cum quantitate, ita est connaturale informari sine quantitate forma illa spirituali:& ex consequenti sicut est illi connaturale sub forma naturali propter vnum caput esse formaliter quantam,seù realiter extensam per extraneitatem partium, vt possit sic esse coexistens, ac correspondens se tota toti huic formę, & per partes sui partibus eius,quādo forma materialis habet partes; ita est illi cōnaturale propter aliud caput sub forma illa spirituali excludente à materia quantitatem, & exigente in ipsa inextensionem, esse in se ipsa extensam virtualiter,vt possit esse se tota vbique, non autem per partes correspondens, ac coexistēs tali formę,quę ob suā perfectionem necessariò est extēsa virtualitèr;neq; n. est extēsa,aùt indiuisibilis per defectū,& imperfectionē sicut est pūctū, sed per excessū, eminētiā,vndè necessariò esse debet cōnaturalitèr potēs correspondere, ac coexistere alicui spatio diuisibili tota toti, & tota singulis eius partibus, & per consequens extensa virtualiter,vt patet in Angelo. Vndè etiā consequenter fit,vt huiusmodi materia corporea sit ex se apta reddi vere, & intrinsece spiritualis, cū ex se sit cōnaturalitèr apta reddi intrinsece extensa virtualitèr iuxta extensionem virtualem illius formæ spiritualis;ac proinde sit ex natura sua apta in se habere perfectionem propriam rerum spiritualium, quicquid sit hæc perfectio, siuè sit modus aliquis, siuè connotatio; hoc enim nihil nunc refert;

Ad primam probationem antecedentis est dispar ratio:nam materia sublunaris est actu quanta, etiam sub forma, seù anima spirituali rationali, ipsamque vt actu quantam exigit hæc anima,siuè quia est forma includens formaliter, aùt identice gradum sensitiuum,& vegetatiuum,qui sine materia quanta, & & organizata exerceri non possunt siuè ob aliam rationem: & ideò hæc materia nullatenus potest, aùt debet reddi in se spiritualis ex informatione huius formæ spiritualis, neque ob vllum prorsùs caput esse potest illi connaturalis, aùt debita extensio virtualis,cum hæc ipsa forma poscat in tali materia formalem quantitatem, seù extensionem,& per hanc possit eadem materia correspondere,ac coexistere extensioni virtuali eiusdem formæ. Ad secundam probationem dico si hæc materia,non quanta,sed inextensa, vniretur animæ rationali, & foret in puncto, vtique materiā hanc nec reddi in se spiritualem, nec ob vllum caput virtualiter extensam etiam supernaturalitèr, quia non deberet posse coexistere, aùt correspondere extensioni virtuali talis animę, quę profectò hāc in puncto non exerceret: quod si anima poneretur coexistens alicui spatio extenso, & materia esset vnita illi, & correspondens adęquatè, iā ipsa etiā materia esset extēsa virtualiter: hoc tamē nō foret cōnaturale tali materiæ,nec animę,sed innaturale,& miraculosum: & propterea hinc non sequitur,virtualem

extensionem propriam rerum spiritualium esse cõnaturalem huiusmodi materiæ. Ad tertiam probationem verum est absolutè loquendo, necessariam, & directam rationem, cùm materia aliqua sit tantum, & ex omni capite spiritualis, aùt extensa virtualiter, esse intrinsecam perfectionem eius exclusiuã quantitatis, & independentiam ab ea, nec sufficere solam informationem formæ spiritualis: tamen facta suppositione, quod connaturale sit materiæ informari absque quãtitate forma spirituali de se virtualiter extensa, necessariò hinc sequitur ob hoc caput, connaturaliter conuenire tali materiæ extensionem virtualem propriam, & cõnaturalem rerum spiritualium, quia sine hac extensione esset hæc materia omninò impotens huiusmodi formæ connaturaliter coexistere, ac correspondere; & consequenter eadem materia foret intrinsecè in se spiritualis; licet ob aliud caput ratione suæ substantialis, ac radicàlis corporeitatis foret verè materialis, ac corporea. Nec propterea hinc fit, materiam posse dici intellectiuam, aùt rationalem ex eo, quia informatur anima intellectiua; quia hæc anima ex vi informationis non tribuit materiæ, seù corpori omnem suum effectum formalem, sed tantum eum, cuius illa est capax, vel absolutè, & secũdum se, vel ex aliqua suppositione materia autem hominis neque absolutè, aùt secundum se, neque ex vlla suppositione, nulla enim suppositio fingi, aùt assignari potest, est capax huius effectus, nempè, quod ipsa sit intellectiua, sicut neque quod sit homo; imò hæc prædicata sunt illi omnimodè repugnantia: at in casu nostro, licet materia illa inextensa, sed intrinsecè radicàlitèr corporea, absolutè non sit capax extensionis virtualis ipsi connaturalis; tamen ex suppositione, quod sit illi connaturale informari forma illa spirituali exigente in ipsa absentiã quantitatis; necessariò ob hoc caput est capax etiam connaturaliter, extensionis virtualis, vt possit esse connaturaliter corresfpõdens tali formæ virtualiter de se extensæ modo explicato. Vniuersaliter autem, quę prędicata possint ex connaturali informatione communicari ab anima rationali ipsi materię, seù corpori hominis, hinc sciri potest; quòd quando prædicata stãt solùm denominatiuè, seù consistunt in denominatione, qua corpus denominari potest tale, vel tale, hæc verè possunt communicari, vt esse animatum, esse humanum, & si qua alia sunt similia: quando verò prædicata formaliter important aliquid esse essentialiter, aùt constitutiue in se ipso intrinsecè tale, vel tale, hæc non possunt communicari ut sũt esse intellectiuum, esse rationale, esse hominem, aùt aliquid simile hęc non possunt corpori communicari: clarum est enim corpus hominis prout dicit partem essentialem eius scilicet subiectiuam organizatam, nec posse esse essentialiter intellectiuum, aùt rationale,

nec esse hominẽ; quia esse essentialiter intellectiuum importat esse principium intellectionum elicitiuum, & receptiuum in creatis, & hoc principium est anima ipsa rationalis, & homo per animam; & proportionalitèr se habet esse rationale: esse verò hominem importat esse ipsum constitutum ex corpore, & anima intellectiua, seù rationali, &c. Neque ex eo, quòd oculus etiam si sit pars animalis, potest dici visiuus, sequitur corpus, quod est pars hominis, posse dici intellectiuum, est enim dispar ratio. nam oculus nõ est pars essentialis, sed integralis: nec est merè pars, sed est aliquo modo totum constitutũ ex organo, & anima, ac potentia sensitiua recepta in illo, saltèm quoad sensationes, & ideò potest dici visiuus, non quidem principalitèr, & vt quod, sic enim dicitur visiuum animal; sed minus principalitèr, & vt quo; hoc enim modo potest esse principium elicitiuum, & receptiuum visionis; at corpus est mera pars essentialis hominis, & infima, ac subiectiua, nec proinde potest esse principium intellectionũ, nec subiectum receptiuum potentiæ intellectiuæ, aût intellectionum, & idcircò non potest dici intellectiuum. Quòd si vocetur esse intellectiuum esse informatum à substantia intellectiua, seù rationali: sic benè conceditur corpus esse intellectiuum, vt notat Bassolus in 2. d. 17. q. 2. ad 2. secundæ positionis, & sic de similibus.

Obijc. tertio potest aliqua res absque exigentia esse pure capax alicuius complementi, & specificatiui extrinseci in aliqua ratione; ergo sic potest se habere etiam materia respectu quantitatis, saltèm actualis, esto respectu quãtitatis possibilis sit exigitiua. Antecedẽs probatur, quia essentia realis possibilis est pure capax existentię, quę est eius specificatiuũ, ac cõplemẽtum, non verò exigitiua; alioquin in statu possibilitatis esset in continua violentia. similitèr aer in ratione illuminabilis habet pro complemẽto, ac specificatiuo lumen, cuius tamen est merè capax, sicut & tenebrarum. Imò quantitas ipsa, vt colorabilis, completur, ac specificatur à colore, cuius tamen non est exigitiua, sed tantum susceptiua. Nec dicas, aerem in ratione illuminabilis reduplicatiue, & præcisè, & sic etiam quantitatem in ratione colorabilis, exigere illa complemẽta, non verò specificatiue, & secundum se; nam sic dicet alius, materiã primam, vt corpoream reduplicatiue, exigere quantitatem, non verò specificatiue, & absolutè, sub qua ratione dicit solùm potentiam receptiuam substantialem.

Respondeo complemẽtum specificatiuum extrinsecum variè sumi posse. nam sumi potest, vel secũdum suam essentiam, seù vt possibile, secundum quem statum est verè, & propriè specificatiuum, uel secundum existentiam, seù vt actuale: & est adhùc duplex vnum, quod specificat rem in aliqua eius ratione secundum se sumptam in sen-

sensu diuiso ab ipso, quo pacto terminus dicitur specificatiuum relationis, & obiectum potentiæ secundum proprias vtriusque rationes: alterum, quod specificat rem secundum aliquam eius rationem, non secundum se absolutè spectatam, sed in sensu composito cum ipso, seù secundum denominationē sumptam ab illo, tanquam à forma denominante, quo pacto visio dicitur esse specificatiuum rei in ratione visibilis, & cognitio in ratione cognoscibilis: re tamen vera hoc specificatiuum, licet sit extrinsecū nec cōstitutiuū rei in se; tamē rei sūptę sub illa ratione includente ipsum est omninò intrinsecum cōstitutiue. Rursùs specificatiuum extrinsecum potest esse modo substantiale, modo accidentale: modo emanans à principijs intrinsecis naturæ rerum, modo adueniens ab extrinseco: & potest vnum accidēs esse specificatiuum extrinsecum substantiæ, & tamen ipsum pro suo specificatiuo extrinseco aliud accidens habere. vocamus autem hic specificatiuum extrinsecum id, quod per se primo complet, & denominat rē in aliqua ratione terminando primam eius habitudinem vel ordinem, vel connotationem, aùt connexionem. Ratio autem conueniens rei, vel est illi essentialis constituens eam, & cōtradistinguens ab opposita, sicut sunt differentiæ superiores, intermediæ, & inferiores subordinatæ in prædicamento substantiæ: vel est accidentalis, consequens rem iam substantialiter constitutam: & vtraque ratio spectari potest, aùt vt possibilis, aùt ut actualis, & sic etiā potest spectari res ipsa. In forma igitur nego antecedens si res siuè possibilis, siuè actualis, comparetur ad complementum specificatiuum, vt possibile, sub qua ratione est verè specificatiuum: cum enim hoc sit simpliciter necessarium vt res sit in sua specie non potest res non habere exigentiam eius: exigentia enim maximè est respectu necessariorū: & sic essentia realis possibilis est exigitiua sui specificatiui, quod est exigentia possibilis, seù signata, nō verò actualis, & exercita, licet essentia, ut actualis, seù existens, non modo exigat, sed constitutiue includat ipsam existentiam: & aer vt illuminabilis, exigit lumen possibile, vt suum specificatiuum; & quantitas, vt colorabilis, exigit colorem possibilem: & sic etiam, substantia corporea, vt sic, exigit quātitatem, vt possibilem: probationes verò antecedentis non procedunt de re comparata ad complementū specificatiuum possibile, sed solùm actuale, de quo mox. Concedo verò antecedens, non solùm de aliqua, sed de omni re, vt possibili, cōparata ad suum specificatiuum actuale; omnis enim res possibilis, vt sic, est quidē capax sui extrinseci cōplemēti, ac specificatiui extrinseci actualis, nō tamē est exigitiua eius, vt actualis; quia cùm nulla res possibilis, vt sic sit exigitiua suæ actualis existentiæ, vtique nulla res possibilis, vt sic exigitiua esse

potest vllius ex alijs complementis ac specificatiuis actualibus, quæ sine dubio præsupponunt existentiã & actualitatem rei: Concedo etiã antecedens de aliqua re existenti, & actuali comparata ad suum complementum, ac specificatiuum actuale: verè enim sunt aliquæ res actuales, quæ sunt solùm capaces sed non exigitiuæ actualis complementi, ac specificatiui saltèm semper, vt sunt aliquæ potentiæ respectu suorum actuum; possunt enim sæpè saltèm ad tempus existere sine vllo actu etiam connaturalitèr, & absque violentia. Sed tamen hinc nego consequentiam, quod scilicet ita etiam se habere possit materia corporea actualis respectu quantitatis actualis, quia non omnes res sunt eiusdem naturæ, & conditionis, sed diuersarum; Vndè licet potentia diuisiua existens e.g. sit solùm capax, & non exigitiua sui completiui, seù specificatiui extrinseci scilicet diuisionis actualis: & sic etiam se habeant potentia motiua existens respectu motus actualis, & potentia visiua existens respectu actualis visionis, & sic de reliquis similibus, quæ quia consistunt in actu primo, seù in posse aliquid, habent pro sufficienti specificatiuo extrinseco aliquod possibile fieri, actuale verò non exigũt; tamen multæ aliæ res actuales, seù existentes, non solùm sunt capaces, sed etiam exigitiuæ essentialiter, vel connaturalitèr suorum complementorum, seù specificatiuorum actualium: sic se habent res consistẽtes in actuali exercitio, vt relationes prædicamentales respectu terminorum formalium: sensationes externæ respectu obiectorum, actiones respectu effectuum: sic etiam se habent essentiæ respectu suarum proprietatum, siuè hæ sint solùm complementa, siuè etiam specificatiua extrinseca: & sic etiã se habent multæ aliæ res iuxta suas naturas, vt quãtitas respectu figuræ vage sũptæ, corpus respectu huius, vel illius vbi, ac loci, & sic de alijs. & inter has res est materia corporea, & quæuis alia res corporea actualis, vt calor, frigus, colores, & aliæ plures cuiusuis prædicamenti respectu quãtitatis actualis: hæ enim res omnes, cum existũt non solùm sunt capaces, sed etiam exigitiuę quantitatis etiam actualis hæc enim est complementum, & specificatiuum extrinsecum illarũ in ratione corporei ijs essentiali, vt dictum est, & se habet per modum proprietatis, aùt quasi proprietatis saltèm comparatiue ad illam materiam, vndè si essentia materiæ existit, ipsa etiam quantitas debet in ea existere actu: & insuper tales res corporeæ existentes omninò incomplete, & etiam innaturaliter ac violenter existerent, si non forẽt actu quantę, seù quantitati actu coextensæ, vt ex se patet, quia forẽt prorsùs ineptę ad exercẽda munera ad q̃ sũt à natura destinatę: materia.n. esset inepta pati ab agentib. naturalibus corporeis: & hęc agentia, siuè principalia, siuè instrumentalia actu existentia, essent prorsùs im-

impotentia, & inhabilia ad agendum vllo modo, si forent actu non quanta, & inextensa: & ex consequenti quantitas actualis est his rebus corporeis existentibus connaturalitèr necessaria tanquam complementum omninò requisitum, vt ipsę sint actu dispositę, & aptę ad sua munera connaturali modo exercenda, ac proinde non solùm capaces eius, sed etiam exigitiuę: & in speciali eam exigit materia corporea, vt corporea, quæ corporeitas est ratio ipsi essentialis, ac specifica; cum de eius essentia sit non solùm esse potentiam receptiuam, sed talem, quę scilicet sua natura capax est quantitatis.

Obijc. quarto non minus est cõnaturale illi materię posse subijci agenti increato, vt ab eo sine quantitate recipiat formam spiritualem quàm posse subijci agenti creato cum quantitate, vt ab eo recipiat formam materialem: ergo re vera talis materia est secundum se indifferens, vt sub quantitate recipiat vnam formam, & sine quantitate aliam; ergo est tantum capax vtriusque, neutrius verò exigitiua. Antecedens probatur, quia non minus est connaturale Deo posse creare in materia non quanta formam spiritualem, quàm sit connaturale agenti creato posse educere de potentia materię quantę formã materialem; ergo sic vice versa, &c.

Respondeo nego antecedens: materię enim capaci quantitatis non potest esse connaturale subijci sine quantitate vlli agenti etiam increato in ordine ad recipiendam formam substantialem; sed illi est innaturale, & violentum subijci inextensam, seù non quantam, vt satis patet ex dictis. Ad antecedens verò concedo, non esse minus connaturale Deo quod ibi dicitur, si spectetur secundum se, seù ex parte sua; nego verò si Deus spectetur, prout est operatiuus formę substantialis in materia corporea, seù capaci quantitatis iuxta connaturalitatem eius; sic enim connaturale est illi accommodare se naturæ talis materię, & formæ: & hinc nego consequentiã, quod scilicet hęc non sit exigitiua quantitatis, &c. Porrò exigentia videtur includere tria, primo inclinationem ad id, quod exigitur, vt ad sibi debitũ, secũdo indigentiam eiusdem, tertio inchoationẽ quandam, seù quasi radicem eius, cum determinatione, & quasi addictione ad ipsũ, propter quã res exigẽs est inchoatiue, & radicaliter determinatè in sua intrinseca ratione suum perfectiuum, seù completiuũ. Hæc autem patent ex eo, quia id, quod non solùm est capax alicuius, sed etiam ipsum sibi exigit vtique ideò exigit, quia respicit illud, vt bonum sibi debitum; indifferentia enim, aùt mala, aùt nobis indebita non exigimus; ergo exigẽtia est cum inclinatione, inclinatio enim maximè est ad bonum debitum. Item exigentia est respectu necessarij, vel simpliciter, vel secũdum quid, ideò enim aliquid non

sol-

solùm admittitur, sed etiam exigitur, quia necessarium aliquo modo est: ergo exigentia est cum indigentia, quia indigentia est circa necessaria. Demum quod est cum indigentia alterius, & cum inclinatione ad ipsum, vt ad suum completiuum, iam est ex se determinatum ad illud, & in radice, & quasi in spe ipsum possidet, & in spe, & radicaliter est ipsum, ergo, &c.

CAPVT IV.

Corollaria ex præcedentibus.

COlligitur ex dictis 1. errasse eos, qui, vt refert Albert. 1. p. sum. de quatuor coæquis q. 2. a. 5. concesserunt, [omnium esse materiam vnam, & spiritualium, & corporalium substantiarum] id enim impugnant non solùm rationes supra allatæ, sed etiam hæc specialis, quia si omnium materia est vna vnius scilicet rationis, & æqualis indiuiduationis; ergo talis materia prout est sub vna forma substantiali est non solùm carens, sed etiam, verè priuata alia forma substantiali, & in potentia contradictionis, ac proindè quantum est de se, est potens transire de vna forma materiali ad aliam, etiam spiritualem, quæ dicitur excludere quantitatē à materia sibi vnibili, & sic etiāvice versa est potens transire de vna forma spirituali in formam aliam spiritualem, vel etiam materialem: vnde substantiæ, quæ dicuntur cōstare ex hac materia non actu quāta, sed inextensa, & ex forma spirituali perfectiori, quàm sit anima rationalis, erunt ex parte sua ab intrinseco generabiles, & corruptibiles, quicquid sit de extrinseco; ergo implicat eas esse substantias completas immateriales; hę enim necessariò esse debent ab intrinseco ingenerabiles, & incorruptibiles; & ex consequenti implicat, harum materiam esse eiusdem omninò rationis cum materia sublunari, &c. Nec iuuat dicere huiusmodi materiam non perfici totam ab aliquibus formis, & sic relinqui priuatā, & in potentia contradictionis; ab alijs verò formis nempè Cœlestibus, & etiam à spiritualibus perfici totam, & ideò, vt sic, non remanere verè priuatam formis, quas non habet, nec in potentia contradictionis ad eas, id enim mox reijcietur; vndè errarunt illi etiam explicantes diuersitatem huius materiæ quoad aliqua ipsi conuenientia sic enim dicunt: [quod in quibusdam est cum quantitate, & in quibusdam cum contrarietate, & in quibusdam cum forma substantiali, & accidentibus spiritualibus, vt sunt scientia, & illuminatio, & huiusmodi, hoc accidit ei ex perfectione sui à forma: quandoque enim perficitur ita, quod determinatur tota potentia materiæ ex creatione, & sic nullo modo post perfectionem erit in potentia ad aliud, vndè oportet quod tunc sit

sine

sine quantitate, quia omne quantū est in potentia ad motum; quandoque autem ita perficitur, quod remanet in potentia ad vbi, & non ad formam: & tunc est cum quantitate sine contrarietate, vt est in superioribus corporibus: quandoque autem remanet in potentia ad vbi, & ad formam, & tunc est cum quantitate, & contrarietate, & tunc dicunt, quod secundum, quod perfectio eius descendit à prima causa, ita determinatur potentia eius plus, vel minus, quia tali materiæ esset æque connaturalis vna forma ac est alia, etiam spiritualis; non enim esset connaturaliter sub vna forma, & supernaturaliter, ac miraculose sub alia; nulla enim composita ex tali materia forent miraculosa, aut supernaturalia, sed omnia na uralis ordinis, vt contradistincta à supernaturali, vt ex se certum videtur; ergo hæc eadem materia, vtpotè corporea, quia capax quantitatis à nulla forma posset sic tota perfici, ac determinari in sua potentia, vt maneret sine quantitate. quia ob vnum caput foret hoc illi connaturale, vtpotè proueniens à forma sibi connaturalitèr vnibili, ob aliud verò foret illi innaturale, ac violentum; vnde etiam simpliciter repugnans, quia esset illi innaturale spoliari, ac priuari sua proprietate, & complemēto in ratione corporei, quod ex terminis repugnat. secundo quod illi addebant totam scilicet potentiam materiæ sic determinatam ad formam spiritualem cum accidentibus spiritualibus, nullo modo post perfectionem esse in potentia ad aliud, & proptèr hoc debere esse sine quantitate, quia omne quantū est in potentia ad motum, reijciendum est, tum quia videtur supponere, substantias constantes ex illa materia, & forma spirituali, esse immobiles localiter; siquidem debent per ipsos esse non quantæ, ne sint in potentia ad motum, quod absque dubio est omninò falsum si voluerunt excludere ab Angelis potētiam ad localem motum simpliciter; secus verò si, vt credo, ad solùm motum localem propriè, ac strictè physicum, ac proindè subiectiue diuisibilem; Tum quia etiam si formæ spirituales sint perfectiores materialibus, non propterea ex hoc habent posse ita perficere totam potentiam illius materiæ, vt perficiant illam totaliter, & adæquatè ablata potentia ad alias formas, si materia sub omnibus formis est eiusdem rationis: certum est .n. animam rationalē, quæ formis omnib. materialibus est perfectior perficere dicto modo totam potētiam: Tum quia alioquin quò vna forma, etiam materialis, esset specifice perfectior, eo magis perficeret materiā coarctādo eius potentiam ad pauciores formas substantiales successiue habendas, quod etiam constat esse falsum. atque hinc etiam fit, vt licet materia conueniens ijs substantijs spiritualibus ponatur perfectior secundum rationem indiuidualem materia sublunari, non propterea poterit tota

eius

eius potentia perfici adæquatè ab ijs formis: quia sicut maior perfectio vnius formæ, siuè specifica, siuè indiuidualis supra aliam, non facit, vt vna possit magis perficere materiam coarctando magis eius potentiam, quàm alia, vt constat in his inferioribus, & specialiter in animabus rationalibus, etiam si vna ex his ponatur perfectior indiuidualitèr, quàm alia, vt multi tenent, ita neque maior perfectio indiuidualis inter materias poterit causare varietatem illam in perfectibilitate. Diuersitas ergo illa indiuidualis inter materias potest cõferre tantum ad maiorem perfectionem vnius compositi sub aliqua ratione supra aliud.

Colligitur secundo vnitatem, seù identitatem eiusdem rationis materię in spiritualibus, & corporalibus efficaciter sic reijci à S. Thoma 1. p. q. 50. a. 2. [Nõ est possibile, quod forma spiritualis, & corporalis recipiatur in vna parte materiæ quia vna, & eadem res numero esset corporalis, & spiritualis. Vndè relinquitur, quod alia pars materię sit, quæ recipit formam corporalẽ, & alia, quæ recipit formam spiritualem. Materiam autem diuidi in partes non conuenit, nisi secundum quòd intelligitur sub quantitate, qua remota remanet substantia indiuisibilis in 1. Physic. sic igitur relinquitur, quod materia spiritualium sit substantia subiecta quantitati, quod est impossibile. Impossibile est ergo quod vna sit materia corporalium, & spiritualium] Nec refert, quod materia de potentia absoluta sit diuisibilis sine quantitate, transeat enim hoc de diuisibilitate remota, & innaturali: certè dicta ratio vrget de proxima, & connaturali: & formatur sic. composita corporalia, & composita spiritualia ex illa materia, essent secundum suam substantiã naturalia, seù ordinis naturalis, non autem supernaturalia, seù ordinis supernaturalis, vt supra dixi: ergo illorum materia esset sub eorum formis actu, & proximè diuisa modo omninò connaturali, ac debito, tàm ipsi materiæ, quàm ijs formis: ergo necessariò esset vtrobique actu quanta, seù sub quantitate; ergo etiam sic esset in ipsis rebus spiritualibus, quod omninò repugnat.

Colligitur tertio, nec posse in rebus spiritualibus, & corporalibus poni eandem specie materiã secundum essentiam, differentem verò secundum esse, quomodo, scilicet Bonauent. in 2. d. 3. a. 2. q. 2. conciliat dicentes materiam in vtrisque esse eandem, cum dicentibus esse diuersam: nam materia secũdum essentiam vtique est materia spectata secundum se absque omni forma, & accidente, & absque omni esse ab ijs acceptibili: sed materia sic spectata non potest esse eadem specie in omnibus ijs, ergo, &c. Maior est clara. Minor probatur, quia materia conueniens rebus corporalibus; necessariò est in se ipsa corporea corporeitate substantiali; oportet enim eam esse

in

in se ipsa, & sua natura capacem, imò etiam exigitiuam quantitatis subiectiuæ, seù per modum subiecti quantificabilis, ac per modum radicis ipsius quantitatis, tanquam proprietatis, & complementi, ut supra probatum est; ergo implicat huiusmodi materia dicto modo secundum se spectata, hoc est secundum essentiam unius, & eiusdem speciei, conuenire etiam rebus incorporeis, & pure spiritualibus. Nec iuuat dicere, materiam secundum essentiam esse puram potentiam, ac proinde secundum se, nec esse spiritualem, nec corpoream; Nam contra est, tum primo quia hinc tantum habetur, quod materia secundum se sit solùm potentia receptiua, seù subiectiua in ordine ad actum formalem, aùt ad summum, etiam ad actum entitatiuũ habẽdũ à formali; cũ quo patet benè stare posse, ꝙ huiusmodi materia secundũ suã esẽtiã sit adhùc corporea: Tũ secundo quia tũc materia prima, ut sic secũdũ essentiam spectata, foret in se nec corporea, nec spiritualis, sed præcisiue se habens, quando esset genere tãtum eadem communis materiæ corporeæ rerum corporearum, & alteri materiæ spirituali rerum spiritualium: per intellectum enim abstrahi posset ab ambabus una genere materia, quę neutram secũdum se essentialiter includeret, ut contingit in omnibus rationibus genericis; ergo cum in casu nostro non sit ita, & nusquam ponatur materia prima spiritualis, sed una, & eadem specie materia in omnibus, & hæc necessariò in rebus corporeis debeat esse in sua substantia, atque adeò essentia corporea; iam necessariò etiã erit vbique secundum suam essentiam intrinsecè talis, quia vbique debet essentiam suam essentialiter inuariatam retinere; ac proindè nullo modo potest materia prima secundũ essentiam ita esse præcisa, vt nec corporea sit, nec spiritualis; sicut, nec potest fingi ita variabilis in sua essentia, vt vi formæ corporeæ fiat in se corporea, & vi formæ spiritualis fiat etiam ipsa secundum essentiam spiritualis. Tum tertio, quia vel materia spectata secundum essentiam est capax quantitatis, saltẽ remote, vel est incapax, vel neutra, seù præcisiue se habens: si primũ, ergo est re vera corporea corporeitate substãtiali: si secũdũ, ergo est verè immaterialis, seù spiritualis, sicut omnes aliæ res spirituales sunt tales, vel explicãtur vt tales per incapacitatem quantitatis, seù omnimodam repugnantiam ad ipsam. Si tertium, contra est, quia in rebus corporalib. materia prima est actu quanta, & coextensa quantitati, ergo est capax eius per modum potentiæ obiectiuæ, seù per modum primi, ac fundamẽtalis subiecti saltèm partialis, cum tota ratio materiæ consistat in esse subiectiuo; ergo ibi materia est capax quantitatis per propriam, ac specialem capacitatem conuenientem ei secundum essentiam suam; non enim potest esse illius capax eadem

prorsùs capacitate, qua in se capax est eiusdem quantitatis forma rei corporalis: nam & id esse falsum constat in materia hominis cuius forma est spiritualis, & quantitatis in se incapax: & insuper capacitas quantitatis reperta in formis substantialibus rerum corporalium, aùt non est capacitas subiectiua, sed solùm per quandam coextendibilitatem, ac commensurabilitatem ad materiam quantitate affectam; aùt certè non est capacitas per modum primi, ac fundamentalis subiecti quantitatis qualis re vera est capacitas materiæ primæ: Neque item reddi potest materia capax quantitatis capacitate causata, aùt exigita in ipsa à formis rerũ corporalium, tanquam causanda à primo agente, aùt ab alio: nam nec tales formæ sunt ex se aptæ causare formaliter in suo subiecto, seù materia capacitatem, quam ipsæ in se non habent, nec possunt eã exigere, vt actiue causandam in materia prima ab agente; nam hæc quantitatis capacitas sine dubio foret potentia accidẽtalis distincta realiter ab ipsa essentia materiæ, ipsique impressa; ergo necessariò præsupponeret in dicta essentia aliam capacitatem, seù potentiam, seù non repugnantiam, per quam materia secundum essentiam foret receptiua per modum subiecti alterius capacitatis accidentalis superadditæ ordinatæ ad recipiendã quantitatem, ergo necessariò ipsa materia in sua essentia foret verè corporea substantialitèr, vtpotè secundum se capax saltèm remotè, & fundamentalitèr alterius capacitatis, quę foret accidens physicum, ac naturale illi superadditum ad recipiendam quantitatem, cuius fundamentalis capacitatis sunt omninò expertes, & exclusiuæ res spirituales: ob quam etiam rationem non potest dici, capacitatem proximam quantitatis conferri posse materiæ à formis ipsis substantialibus. E conuersò autem si materia prima secundum se est neutra; ergo, vt vnita formis spiritualibus, deberet ipsa reddi in sua essentia incapax quantitatis: repugnat enim materiam in rebus spiritualibus reddi quantam, aùt extensam; ergo etiam necessariò fieret, nõ solùm in se ipsa informata intrinsece à formis spiritualibus, hoc enim modo materia, etiam quanta, & extensa, informatur à formis, seù animabus spiritualibus, vt patet in hominibus; sed etiam verè redderetur in se ipsa spiritualis, sicut in se ipsa maneret incapax, seù exclusiua quantitatis, siuè hoc fieret per eandem indiuisibilem spiritualitatem talium formarum, siuè per diuersã ab his communicatam, aùt exigitã. Hoc autem est clare implicans, variaretur enim essentialitèr ipsa materiæ essentia.

Dices primo Anima in communi secũdum essentiam, nec est corporalis, alioquin omnes animæ essent corporales; nec est spiritualis, alioquin omnes forent spirituales, sed est pręcisiuè se habens, & tamẽ anima, vt inclusa in animabus corpo-

peralibus, est corporalis, in animabus verò spiritualibus est spiritualis: absque eo quod varietur essentialitèr eius essentia: & similitèr substantia prædicamentalis in cōmuni spectata secūdum essentiam præscindit à corporali, & spirituali; & tamen, prout reperta in substantijs corporalibus, est corporalis, & in spiritualib. est spiritualis inuariata essentialiter; vndè etiam sic potest materia prima secundum essentiam, nec esse corporalis, nec spiritualis, & tamen in substantijs corporalibus esse corporalis, & in spiritualibus spiritualis absque variatione essentiæ eius.

Sed contra primo si valet illa paritas; ergo sicut essentia animæ præcisiuè se habens, verè in animabus corporalibus est identicè corporalis, quia realitèr identificata differentijs constitutiuis earum, quæ vtique corporales sunt: & in animabus spiritualibus est identicè spiritualis, quia identificata differentijs spiritualibus earum; præcisio verò illa esset tantùm per rationem, aùt per formalitatem: & proportionalitèr accidit in essentia substantiæ respectu substantiarum inferiorum; ita prorsùs materiæ primæ essentia in rebus quidem compositis corporalibus foret idēticè corporalis, & identificata formis corporalibus illarum; & in rebus compositis spiritualibus foret identicè spiritualis, & identificata realitèr formis spiritualibus illarū præcisio verò illa essentię animæ foret solum per intellectū, aùt per formalitatem: Hoc autem est euidentèr falsum. Contra secundo, quia ideò anima in communi, & substātia illa in cōmuni secūdū essentiā non sunt formalitèr spirituales, nec corporales, sed quid præscindens; inclusæ autem in animab. aùt substantijs spiritualibus sunt spirituales, & in corporalibus corporales, quia illæ sunt rationes genericè superiores, metaphysicè cōtrahibiles per differentias spirituales ad substantias spirituales, & per differentias corporeas ad corporales, tanquam ad species inferiores ijs subordinatas: omnis autē ratio superior generica, aùt specifica metaphysicè contrahibilis ad sua inferiora per contractiuas, ac diuisiuas differentias spectata secundum se non est quidem formalitèr in suo conceptu includens sua inferiora, aùt eorum constitutiuas differentias, sed ad hæc omnia præcisiuè se habet; vt contracta tamen ad ipsa, & in ipsis inclusa, ac diuisa per dictas differentias, est identicè, ac realiter talis, vel talis, quales sunt species sub illa contentæ, licet in singulis realiter diuisa ab alijs, vt clarum est in omnibus rationibus superioribus genericis, aùt specificis comparatis ad sua inferiora. In casu autem nostro materia prima secundum essentiam spectata, non est ratio generica, aùt specifica superior metaphysicè contrahibilis ad substantias compositas corporales, aùt spirituales tanquam ad species inferiores per differentias, non enim

tales substantiæ sunt contentę sub materia veluti species sub genere, aut indiuidua sub specie, vt ex ipsis terminis notum est; sed se habet ad ipsas tanquam ad composita physica constantia ex ipsa materia tanquam ex potentia substantiali, seù parte subiectiua physica, & ex formis corporalibus, & formis spiritualibus, veluti ex actibus substantialibus physicis realitèr ab entitate materię distinctis, & cum ea vnum per se physicum constituentibus; ergo non potest materia prima secundum essentiam, nec esse corporalis, nec spiritualis, sed præscindens; nec potest esse in corporalibus corporalis, & in spiritualibus spiritualis, sicut anima, & substantia in communi. & explicatur hoc magis, quia tunc verè esset bona paritas, & verè materia in communi esset hoc modo præscindens, si compararetur ad varias materias inferiores alias corporales, alias spirituales, tanquam species inferiores sub illa tanquam sub genere contentas contrahibili per differentias corporales, & differentias spirituales; ergo cum non ita comparetur, non potest esse secundum se præscindens, &c. Contra tertio quia materia secundũ essentiã est substantia verè contenta in prædicamento, seù sub prædicamento, seù sub genere summo substantiæ saltèm reductiuè, & indirectè, vt clarum est, ergo secundum essentiam spectata necessariò est corporea, vel spiritualis essentialitèr, ac formalitèr, saltèm implicitè, quia summum genus substantiæ immediatè, & adæquatè diuiditur in corpoream, & in spiritualem, ac proindè omnis substantia inferior qualiscunque contenta sub illo, seù participans illud immediatè, vel mediatè necessariò debet esse corporalis, vel spiritualis in sua essentia, & formalitèr: omnia enim inferiora continent formalitèr in sua essentia prædicata superiora explicitè, vel implicitè iuxta varias rerũ naturas, vt videre est in omnibus; ergo verè materia secundũ essentiã non potest esse præscindens ab ijs rationib. ergo est alterutra ex his, non spiritualis secundũ omnes; ergo corporea. Nec refert, quod materia prima, vt sic non dicat explicite rationem substantię atque adeò, nec corporeitatem, aùt spiritualitatem, vnde sub hoc sensu posset dici aliquo modo pręscindens: id enim non sufficit ad præcisionem absolute dictã; homo enim e.g. animal rationale, non dicit explicite rationem substantiæ, aùt rationem corporis, imò nec rationem entis, & tamen sine dubio non est absolute præscindens à ratione substantiæ, corporis, & entis, sed est non solùm identice, & realiter; sed etiam formaliter, implicite tamen, & inconfuso substãtia, corpus, ens; vniuersaliter enim omnia inferiora includũt suos gradus superiores intrinsece, & formaliter siue explicite, siue saltem implicite: superiora verò vniuoca præscindunt à rationibus inferioribus ipsa contra-

trahētibus, nec includūt has rationes formaliter, ne implicite quidē, sed tātum identice, & realiter iuxta sententiam communiter receptam.

Dices secundo sufficere, si materia prima sit diuersa secundum esse, seù secundum modum essendi in diuersis substantijs corporalibus, & spiritualibus, in quantum in aliquibus est transmutabilis, & alterabilis ad aliam formam substantialem, vt in rebus corruptibilibus; in alijs est mutabilis mutatione physica locali tantùm, & ad vbi, vt in Cœlis; in alijs verò est ad accidentia tantùm spiritualia, vt in alijs; & insuper in aliquibus est corporalis solùm secundum esse acceptum à formis corporeis; in alijs verò est spiritualis secundum esse acceptū à formis spiritualibus; etsi materia ipsa secundum essentiam non sit diuersa, sed eadem specie, nec sit corporea, nec spiritualis. Neque verò corporeum, vel incorporeum necessariò conuenit omni substantiæ, secundum essentiam, sed satis est, si conueniat secundum essentiam, aùt saltèm secundum esse. substantia enim potest secundum essentiam abstrahere à corporeo, & incorporeo.

Sed hæc non obstant. nam esto in omnibus rebus corporalibus possit esse eadem specie materia secundum essentiam, diuersa solū secundum illud esse, imò etiam secundum esse existentiæ saltèm completum, per quod complete intelligatur existere communicatum ei à forma; in rebus tamē spiritualibus id repugnat: tum quia, materia, quę secundum essentiam est in rebus corporalibus, necessariò est quantificabilis, seù capax quantitatis per modum subiecti, ac proinde secundum essentiam, saltē vt principale, ac fundamentale subiectum, hoc enim non potest esse existentia præcisa materiæ, vt ex se patet, vtpotè præsupponens essentiam; ergo materia ipsa secundum essentiam est corporea corporeitate substantiali, vt fusè supra; ergo hæc eadem specie materia secundum essentiam est omninò repugnans rebus spiritualibus, seù immaterialibus: tum quia materia rerum corporalium est sine dubio substantia contenta sub genere generalissimo substantiæ, vt dixi, ergo vel est corporea, vel incorporea; non secundum, vt clarum est; ergo primum; ergo est implicans in substantijs spiritualibus. Atque hinc fit, vt materia nullo modo possit dici in corporalibus corporalis secundum esse tantum, & in spiritualibus spiritualis; non autem secundum essentiam, & hanc nec esse corpoream, nec incorpoream: si enim est sermo de essentia intrāsitiuè, implicantia clara est in adiecto, quia iam eadem essentia materię foret corporalis, & spiritualis, & simul non foret eadem: si verò de esse essentiæ transitiuè, quod vtique est esse existentiæ, aùt aliud esse accidentarium, aùt aliqua alia denominatio sumpta à formis; iam etiam ex dictis constat, nullatenus pos-

posse hoc multiplex Esse stare in omnibus ijs rebus cum identitate materiæ secundum essentiam, hæc enim cum ex iam probatis sit in se corporea, nec potest eadem inesse substantijs spiritualibus, nec in ijs habere vllum esse spirituale, quippè excludens ab ea omnem extensionem, quæ tamen est illi connaturalis. Vnde etiam falsum est, materiam secundum essentiam, nec esse corpoream, nec incorpoream. Corporeum autem, vel incorporeum non conuenire omni substantiæ secundum essentiam intelligi potest, vel de substantijs cõtentis sub summo genere substantiæ, & sic falsum est iuxta prædicta, ac proindè etiam de materia: vel de ipsomet summo genere, & distinguo; nam si est sensus, quod hoc genus non sit essentialiter, seù formaliter in sua essentia corporeum vel incorporeum, nec sit in sua essentia aptũ natũ idẽtificari, seù esse idẽ realiter, cũ alterutro ex his, imò cũ vtroque, diuisũ tamẽ per differẽtias diuisiuas, & sic etiã falsũ est, vt constat in omnibus superiorib. gradibus respectu inferiorum; si verò sensus sit, quod tale genus formaliter quidem neutrum ex his sit, identicè tamen, & realiter sit corporeum, vel incorporeum; sic verum est; sed ex probatis non potest applicari ad materiam comparatiuè ad substantias corporales, & spirituales. Similiter abstractio secundũ essentiã à corporeo, & incorporeo potest excogitari duplex; vna metaphysica, quę est per rationem, aùt formalitatem imbibentem tamen idẽtificabilitatem cum ijs: altera physica, quæ est per distinctionem realem essentiæ ab ijs tanquam à formis, aùt entitatibus ab ea realiter distinctis, quę sint natæ illam reddere, aùt denominare corpoream, vel incorpoream. Prima, vt dixi, conuenit tantum substantiæ summo generi: secunda nulli prorsùs rei conuenire potest; omnis enim res, aùt est substantia in communi, aùt accidens in communi, aùt est substantia particularis, seù specialis, aùt est accidẽs speciale: substãtia in cõmuni diuiditur per se in substãtiam corporeã, & incorporeã per differentias, aùt quasi differentias contractiuas inferiores, vnde saltèm identicè, & realiter est corporea, vel incorporea; & proportionaliter accidens se habet ad inferiora accidentia: substantiæ autem particulares necessariò includunt, non tantum identicè, & realiter rationem substantiæ, sed etiã formaliter, saltèm implicitè, & in confuso, & sic accidentia inferiora imbibunt rationem communem accidentis. Quare apertè implicat materiam primam secundum essẽtiã abstrahere metaphysicè à corporeo, & incorporeo, quia est contenta sub summo genere substantiæ, vt substantia particularis capax quantitatis: & multò magis implicat abstrahere physicè, quia alioquin, nec in essentia sua esset corporea formaliter, imò nec identificabiliter, quia omninò repugnat eam identificari cum formis corpo-

po-

-oreis, aùt incorporeis. quare remanens in se semper formaliter, & & realiter neutra, idest nec corporea, nec incorporea, deberet reddi, aùt denominari quasi extrinsecè corporea à formis corporeis sibi vnitis, & incorporea ab incorporeis; quod omninò falsum est, tum quia alioquin pari ratione posset materia reddi, & dici intellectiua, & volitiua à formis intellectiuis, & volitiuis, imò etiam materia in homine esset corporea, quia subiectans quantitatem, & simul incorporea, seù spiritualis, quia informata anima spirituali: quæ apertè repugnant. vndè nullo modo potest dici corporeum, & incorporeũ, esse effectus formales collatos ab ijs formis ipsi materiæ, de se omninò præscindenti ab ijs: Tum quia corporeum, & incorporeum sunt contradictoria, saltem virtualiter, sicut etiam diuisibile, & indiuisibile, ergo alterutrũ ex his necessariò conuenit omni rei, vel essentialiter, vel realiter. & hoc dupliciter primo identicè entitatiuè, seù substantialiter; secundo realiter, idest à parte rei, seù in quantum res existit actu in rerum natura, & potest hoc dici conuenire accidentaliter: aliquo enim ex his modis vniuersaliter alterutrum ex contradictorijs necessariò inest omnibus rebus: essentialiter quidem quando contradictoria sunt per se immediatè diuisiua alicuius prædicati, seù gradus superioris, includendo ipsum in illa tanquam in inferiori; quo pacto esse per se, vel esse in alio, seù non per se, conuenit essentialiter saltèm implicite, cuicunque rei; quia per se, & in alio sunt differentiæ immediatè diuisiuæ entis includendo ipsum in omni re: & hoc etiam pacto quia corporeum, & incorporeum diuidunt, ac contrahunt, ac intimant substantiam ad speciales substantias inferiores, hinc fit, vt quælibet ex his necessariò sit essentialiter, & intimè corporea, vel incorporea. Realiter autem identicè, seù entitatiuè alterutrum ex cõtradictorijs conuenit rei, quãdo ipsa est ratio superior vniuocè contrahibilis ad sua inferiora per differentias inferiores contradictorias: vnde animal v. g. quod est immediatè per se contrahibile ad hominem, & ad bruta per rationale, & irrationale, necessariò conuenit esse rationale, vel irrationale, non quidem essentialiter, sed identicè, & realiter, & sic etiam substantia prædicamentalis necessariò est corporea, vel incorporea, &c. Realiter demum, seù à parte rei, seù accidentaliter alterutrum ex contradictorijs conuenit rei, quando se habet, vt proueniens à forma extrinseca, quamuis vnita, & dante effectũ formalem: vt esse album, aùt non album non conuenit homini essentialiter, nec realiter identice, seù per identitatem realem albedinis, aùt negationis eius cũ illo, sed tãtũ realiter, seù prout existit à parte rei, & accidẽtaliter extrinsecè, & vnitiuè. ergo quia materia prima est substãtia specialis cõtenta sub substantia, in communi, inclusa formaliter in ipsa

ipsa, & diuisa per corpoream, & incorpoream, necessariò erit essentialiter, seù secundum essentiam alterutra ex his; & quia constat nō esse incorpoream, vtique erit corporea secundum essentiam. quo etiam fit, vt nō possit esse corporea realiter identice, seù entitatiue tantum respectu substantiæ communis, cum ipsam includat etiam formaliter, & multò minus respectu formarum corporearū, quia his repugnat eam identificari, sicut etiam cum formis spiritualibus: nec rursus possit esse corporea accidentaliter, & extrinsece, sicut nec spiritualis, quia hæc sunt prædicata intrinseca, & essentialia substantiarum sub genere substantiæ contentarum.

Colligitur vltimò, omninò etiā repugnare, quod materia prima in quibuscunque est, sit secundum essentiam numero vna, vt tenent aliqui apud S. Bonauent. in 2. d. 3. q. 3. quam opinionem Canonicus 1. physic. q. 9. dicit [non esse veram, & esse inopinabillem, vt videtur] Ratio est, quia implicat essentiam creatam, vnam, & eandem numero connaturali modo, & absque replicatione, & miraculo, vt sine dubio accideret tali materiæ, esse in pluribus suppositis non solùm inter se realiter distinctis, sed etiam realiter diuisis, ac longè dissitis, etiam in infinitum secundum totas, & integras ipsorum entitates, propterea enim omnes dicunt, soli diuinæ essentiæ esse proprium, esse eandem numero in pluribus suppositis distinctis quidem inter se realiter, nō tamen diuisis. Nec dicat, diuinam essentiam esse vnam numero in pluribus tāquam perfectissimum, & purissimum actum, materiam verò esse vnam in omnibus ex eo quia per suam essentiam non potest esse distincta, cum ex se sit pura potentia, & omnis distinctio fit ab actu. Nam contra est, nam vel materia est in omnibus vna numero positiuè, vel tantùm negatiuè: si primum; ergo ex se ipsa, & ratione sui est simpliciter in multis, diuisibilis in plures numero materias, siuè per se, siuè per aliud; ergo si vt hoc modo immultiplicabilis numero, est vna, & eadem secundum essentiam in pluribus rebus, seù suppositis, iam est sicut essentia diuina, & ex consequenti hæc materia est pura potentia, quia ita supponitur, & simul est perfectissimus actus, quia est sicut diuina essentia: & ex vno capite habet materia aliquid amplius, in quantum scilicet ex se ipsa vna numero est communicabilis realiter pluribus non solùm distinctis, sed etiā realiter diuisis; cum tamen Dei essentia tribus tantum suppositis distinctis, sed indiuisis, eadē numero communicetur: ex alio verò capite res illæ, quibus materia est communis, esse debent indiuisæ quia identificatæ in tali materia. si dicatur secundum, quod materia sit vna numero saltèm negatiuè, quia scilicet non ex se ipsa, vtpotè potentia ad actus formales, seù formas, distingui possit. id reijcitur

tur Tū quia materia est pura potentia ad actus formales, aùt certè etiam quo ad actum entitatiuum, & existentialem; ergo hinc non tollitur, quominus possint esse plures numero materiæ se ipsis distinctæ, distinctione numerica incompleta, & imperfecta, tanquam potentia, & potentia: per actus autem est non omnis distinctio, sed tantum perfecta, completa, & specifica: & possunt distingui insuper tales potentiæ per ordinem ad diuersos actus, sicut multi tenent in his inferiorib. & in Cęlis esse plures materias specie distinctas per ordinē ad diuersos actus separabiles, & inseparabiles Tū quia ex supra probatis materia prima secūdū se ipsam est habens entitatem substantialiter corpoream per partes corporeas substantiales, ergo per diuersas, ac differentes huiusmodi partes potest esse intrinsecè multiplex numero materia sub diuersis formis, quibus supponitur posse informari. Tum quia aùt materia per plures formas fit intrinsecè in se ipsa plures numero, verè plurificata, ac diuisa numero essentia vel non: si non; ergo si vna numero est inmultiplicabilis intrinsecè, & in se, & ad summum erit plurificata numero extrinsecè iuxta pluralitatem formarum, & compositorum; quo pacto dicunt aliqui per diuersas hęcceitates multiplicari solùm extrinsecè, & denominatiuè numero in pluribus indiuiduis naturam specificam, remanētem in se intrinsecè omninò indiuisam. si sic; ergo necessariò talis materia supponitur in se ipsa secūdum essentiam multiplicabilis numero, ac diuisibilis, saltèm remotè in plures numero materias; per ipsas verò formas diuidi proximè, & actu non tanquam per rationes diuisiuas, sed tanquam per diuersas compartes, proptèr quas est instituta ipsa materia, & sine quibus non est connaturalitèr debita diuisio ipsi materiæ; ergo tandem supponitur, quòd materia prima secundum essentiam sit verè corporea corporeitate substātiali; & ex cōsequēti implicat vnam, & eandē materiam secundum essentiam esse in substantijs spiritualibus, atque adeò in omnibus, in quibus ea ponitur. Quod inde etiam patet, quia si materia rerum spiritualium, & omnium rerum corporearum, est eadem numero secundum essentiam, ergo necessariò habet eādē numero potentialitatē ergo sicut potētialitas materię rerū harū inferiorū est ad formas rerū generabiliū, & corruptibilium, sic etiā potentialitas materiæ Cœli, & materiæ rerum spiritualium est etiam ad formas rerū generabiliū, & corruptibilium; & consequenter Cœli, & Angeli sunt ab intrinseco generabiles, & corruptibiles Nec S. Bonau. loc. cit. videtur tenere materiam in omnibus in quibus est esse vnam necessariò absolute: dicit enim expressè eam non esse vnam actuali simplicitate, vt Angelus, nec continuitate, vt mons, vel auri frustum, sed solùm ho-

homogeneitate] & paulo inferius [Non est, ait, vnitas actualis, cuiusmodi est vnitas Corisci in foro, & theatro, & cuiusmodi est vnitas Dei, sed illa vnitas magis est possibilitatis, & potest dici homogeneitatis.] & in fine [materia, inquit, est una in omnibus, & hoc quia per suam essentiam, non potest esse distincta] sēsit ergo materiam secundum essentiam nudè spectatam esse vnam per homogeneitatem, & negatiuè: non ergo vult eā secundum essentiam esse in omnibus vnam numero absolutè, & simpliciter, sed solùm homogeneè; quę vnitas vtique sonat eam esse eiusdem, aùt pro proportionalis rationis multiplicatam numero actu incompletè; non ex vi essentiæ precisè, sed ex vnione ad diuersas formas; nunquam enim materia esset actu, seù de facto plures numero, nisi ratione pluriū formarum, proptèr has enim ipsa est.

DISPVTATIO IV.

De substantia immateriali, seù spirituali comparata ad materiam primam spiritualem.

EX hac resolutione dependet decisio, an substātia spiritualis completa, aùt etiam incompleta, quę sit forma, seù actus, excludant à se, vt sui partem, aùt comparem talem materiam, nec n... Potest autem excogitari oriri repugnantiam ex varijs capitib. primo ex capite spiritualitatis, seù spiritualis entitatis precisè. Secundo ex capitè formæ spiritualis informatiuæ huius materiæ. Tertio ex capite totius substantiæ completę, qua immaterialis est. Quarto qua est intellectualis.

CAPVT I.

An spiritualis materia repugnet ob caput spiritualitatis.

PArs negans probari potest primo quia spiritualitas, seù esse spiritualem consistit in ratione positiua exclusiua tantum materiæ corporeæ, & quantitatis dimensiuæ, & dependentiæ ab his; per hanc enim exclusionem sufficienter condistinguitur, & opponitur spiritualitas ad corporeitatē, seù ad esse corporeum; ergo spiritua-

tualitas ex suo conceptu non est exclusiua materiæ primæ, vt sic præcisè spectatę, hæc enim nil ponit, nisi rationem puræ potentiæ substantialis, quæ ex se omninò præscindit ab omni vmbra corporeitatis. nec vllo modo puritatē spiritualitatis violat, aût imminuit ergo materia prima spiritualis nō repugnat ex capite spiritualitatis.

Secundo si repugnat ex hoc capite; vtique hoc oritur ex imperfectione materiæ primæ, & ex perfectione spiritualitatis, sed hoc est falsum; ergo, &c. Mi. probatur, quia accidens spirituale non repugnat ob spiritualitatem, & tamen accidens est entis ens, & à substentante dependens, est imperfectius, quàm materia prima, quæ est substantia, & ab omni subiecto independens, ergo. Nec refert, quod accidens sit actus, materia autem prima sit pura potentia; nam in primis accidens nō est actus, nec ens simplicitèr, sed solùm secundū quid, & alteriùs, & additamenti; materia autē est ens, & substantia simplicitèr, licet incompleta, quia essentialiter inclusa in ente simpliciter, ac per se subsistente: deinde verò spiritualitas ex suo conceptu, ac ratione non magis dicit actum, quam potentiam, solùm enim importat rationem positiuam per se exclusiuam corporeitatis substantialis, & accidētalis; ergo sicut ex parte spiritualitatis nō repugnat accidens spirituale, quia est actus; ita nec ob eādē repugnat materia spiritualis, quia est potentia, neque est magis incompossibilis cum spiritualitate quàm ille.

Tertiò, vel materia spiritualis repugnat ratione spiritualitatis vt sic, & hoc ex modo probatis falsū est: vel ratione spiritualitatis substantialis, seù substantiæ spiritualis, quæ quia in perfectione excedit omnes res corporeas etiā actus substantiales; necessariò est in se actus valdè perfectus, ac proinde repugnans puræ potentiæ: & hoc neque vrget, tum quia non est inconueniens; in ordine superiori, qualis est ordo rerum spiritualium, contineri aliquam substantiam spiritualem, quæ etiam si sit pura potentia, tamen sit adhùc simplicitèr perfectior omnibus substantijs contentis in ordine inferiori scilicet corporeo, etiam si sint actus: quia illa potentialitas, vt eleuata ad ordinem spiritualem, potest non solùm compensari per talem spiritualitatem, sed etiam per eādem eminere cum excessu supra omnes illos actus immersos in ordine inferiori. Tum quia non est necesse substantiam spiritualem, vt sic, atque adeò omnem substantiam spiritualem esse simpliciter perfectiorem omni substātia corporea, Nam in primis dari fortasse potest vt multi volunt, substantia spiritualis non cognitiua, quam nemo dicet esse perfectiorem, sed minus perfectam substantijs corporeis cognoscitiuis; ergo, &c. Deindè verò non omnis substan-

tia spiritualis est completa, & totalis, sed aliqua est incompleta, & pars, ergo hæc incompleta, vt sic non potest perfectior esse substãtijs corporeis completis, quæ sunt tota, atque adeò perfecta: & spiritualitas, quæ his deest, bene compensatur per completionem, & totalitatem, qua substantia spiritualis incompleta caret. & demũ arguit Arriaga disp. 2. de anima sect. 2. carentia partium, quæ inest rebus spiritualibus, non est conceptus ex se ita perfectus, vt non possit excedi, nec æquari à re habente partes, quæ est res corporea; nam anima equi, etiam si materialis sit, est perfectior, quàm vbicatio spiritualis animæ; ergo sicut forma equi ob alias rationes adæquat, imò excedit accidens spirituale, ita poterit aliqua substantia materialis, quæ & virtute cognoscendi, & loco se mouendi, & quia sit essentialiter completa, vel ex alijs diuersis capitibus, adæquet, imò & excedat animam rationalem.

Quarto idem probatur. forma substantialis spiritualis non repugnat ratione spiritualitatis, seù spiritualitas non repugnat formæ substantiali; ergo nec materiæ primæ, ac proinde non implicat ratione spiritualitatis materia spiritualis Antecedẽs patet in anima rationali cõsequẽtia probatur, tũ quia maiorẽ proportionẽ in ratione actus, & potentiæ habẽt inter se forma spiritualis, & materia spiritualis, quã forma spiritualis, & materia corporea; ergo si spiritualitas non repugnat formæ substantiali, nec repugnabit materiæ primæ: Tum quia partes essentiales totius dicũtur communiter esse in potentia ad totum, seù respectu totius, ergo etiam forma substantialis spiritualis est in potentia ad totum, ac proinde tali potentiæ formæ non repugnat spiritualitas; ergo nec spiritualitas repugnat potentiæ materiæ primæ, quia vtrobique potentia est substantialis; ac proinde materia prima spiritualis non implicat ratione spiritualitatis.

Quinto ad idem. Si qua est ratio à priori huius rei hæc est, quia ordo substantiæ incorporeæ, seù spiritualis, est actualior quàm sit omnis substantia corporea, & extensa: & ideò repugnat dari in tali ordine entitatem substantialem per modum puræ potentiæ indigentis forma substantiali, ac realiter distincta, vt esse possit. Sed hæc ratio neque vrget. Tum quia is ordo sufficientèr est actualior per solos actus, seù formas substãtiales actualiores, ac etiam secundum tota completa in ipso contẽta; vndè non necessariò inde excluditur substantia partialis adhuc spiritualis, quæ sit pura potentia. Tum quia ex ea maiori actualitate sequitur tantum, omnem substantiam ad illum spectantem, esse omni substantia corporea, & extensa, aùt actualiorem in se ipsa, aùt inclusam in entitate spirituali actualiori, etiam si secundum se ipsam sit pura potentia: Tum quia

ordo actualior saluatur per hoc, quod omnis substantia in eo contenta sit actualior, vel in se formaliter, vel saltèm connotatiuè, ac terminatiue per commensurationem scilicet ad actum substantialem actualiorem omnibus substātijs pure materialibus. Tum quia sicut secundum multos aliquæ formæ substantiales imperfectæ, quæ sunt actus sunt adhùc potentiæ receptiuæ aliarum formarum substantialium perfectiorum; ita etiam si materia spiritualis substātialis ponatur receptiua formę spiritualis, atque adeò respectu huius sit pura potentia; adhùc poterit esse actus, & ratione spiritualitatis actualior omni forma, & substantia per se materiali: Tum demùm quia aliqui ponunt in materia prima etiam corporea peculiarem actualitatem. Vnde vt refert Riccardus in 2. distinct. 10. q. 3. actualitatē distinguunt in actualitatem, quæ est forma, & in actualitatem, quæ non est forma; quia illam actualitatem, quæ forma non est dicunt infimum actualitatis gradum, & indeterminatum, qui omnem actualitatem generabilem, & corruptibilem natus est in se recipere, & per eam diuersimode terminari, & illam infimam actualitatem vocant materiam: & ibidem q. 4. ad 2. [materia, inquit, de se importat aliquam actualitatem determinatam determinatione incompletissima: tamen per comparationem ad formam importat modo duplici indeterminatam: quia per formam est determinabilis determinatione completa: & etiam quia determinari potest nō tantum per vnam formam determinatam, sed per quamlibet, quā recipere potest] ergo hinc fit, in ordine illo spirituali, etiam si sit actualior ordine pure corporeo, posse adhùc contineri entitatem spiritualem substantialem, quæ respectu alterius entitatis actualioris, ac perfectioris scilicet formæ spiritualis, cuius est receptiua, sit pura potentia; in se ipsa tamen sit actualis actualitate sibi propria, ac proportionata. Imò idem Riccardus in 2. distinct. 1. q. 2. de primo principali tenet Angeli essentiam, quæ est in ordine spirituali esse compositam ex materia, & forma, & q. 1. de secundo principali putat hanc materiam non esse vnigeneam cùm materia corporalium, & deinde q. 2. de eodem quærit vtrum, Angeli materia sit actualior, quàm cuiuscunque corporis forma, & concludens [Posset, inquit, probaliter dici, quod materia Angeli est actualior, quam forma corporalis cuiuscumque corporis: quia passio intellectualis nobilior est, quàm quæcunque actio purè corporalis; ergo nobilius est principium passiuum substantiæ intellectualis, quàm principiū actiuū cuiuscumq; substantiæ corporalis purè: sed principiū passiuū substātię intellectualis est illud, quod in ipsa dicitur materia; principiū actiuū substantiæ corporalis est eius corporalis forma; ergo nobilior est Angeli materia, quàm forma cuiuscunque substantiæ pure corporalis] & circa finem subdit [materia-

ria ipsius Angeli non importat vltimam actualitatem ipsius speciei in qua est per reductionem. Non est autem inconueniens, quod aliquid citra vltimam actualitatem nobilissimæ speciei sit actualius actualitate speciei pure corporalis.] & deniq; dici posset ordinem rerum spiritualium non esse vniuersaliter actualiorem toto ordine rerum purè corporeatum. nam non omnia accidentia spiritualia sunt actualiora omnibus formis corporeis, nempè anima leonis, anima equi, & similibus, quæ sunt actus substantiales viuentes. Et insuper debet explicari, in quo sensu ordo spiritualis sit actualior ordine corporali, & cùr debeat ipsũ excedere in perfectione actualitatis potius, quàm in alia, puta in esse per se, in esse completo &c.

Sexto ad idem. Accidens spirituale non est actualius accidente corporeo per hoc quod accidens vt sic determinetur ad spirituale per actualitatem, seù per rationem peculiarem, quæ sit adhùc actualitas, cum non possit determinari per potentialitatem; nam etiam accidens, vt sic, prout contrahitur ad accidens corporeum, non potest determinari, nisi per aliam actualitatem, licet corpoream; ergo nec substantia spiritualis erit necessariò actualior substãtia corporea, per hoc quod illa sit simplex; corporea verò sit cõposita, vel componens, quia benè potest vtraque esse composita, vel componẽs modo sibi proportionato, nempè substantia spiritualis compositione spirituali, substantia verò corporea compositione similiter corporea.

Septimo ad idem. In ordine rerum materialium, etiam si hæ sint potentialiores, quam res spirituales, reperitur actus substantialis; ergo èconttra in ordine rerũ immaterialium, etiam si hæ sint actualiores rebus materialibus, datur, aùt dari potest potentia substantialis, quæ est materia, seù pura potentia spiritualis: non enim est cùr reb. materialibus nõ repugnet actualitas substantialis; rebus vero immaterialibus repugnet potentialitas substantialis, cum hæc ita se habeat ad has, sicut illa ad illas.

Dicendum tamen materiam spiritualem repugnare ex capite substantiæ spiritualis, quia scilicet repugnat substantiam spiritualem vt sic esse puram potentiam substantialem, qualis deberet esse huiusmodi materia.

Prima ratio sit. omnes substantiæ spirituales ratione suæ spiritualitatis sunt per se ipsas actualiores omnibus substantijs materialibus etiam ijs, quæ sunt actus actualitate formali, hoc est sunt actus substantiales simpliciter inactuabiles, seù insubijcibiles substantialiter, ac proinde repugnantiam habentes ad esse puram potentiam; ergo etiam omnibus substantijs spiritualibus inest repugnantia, vt sint pura potentia; ergo demum pura potentia, seu materia

ria

ria prima spiritualis repugnat ex capite substantiæ spiritualis. Prima consequentia patet. Tum, quia si actus substantiales materiales ratione illius suæ actualitatis minoris seu minus perfectę habent, vt ijs repugnet esse puram potentiam in suo ordine, scilicet materiali: sic etiam ratione suæ actualitatis maioris, ac perfectioris omnes substãtiæ spirituales habent, vt ijs repugnet esse puram potentiam in suo ordine, scilicet spirituali: Tum quia si minor actualitas facit, vt actibus materialibus repugnet esse puram potentiam materialem, necessariò maior actualitas faciet aliquid plus, nempe vt omnibus substantijs spiritualibus repugnet esse puram potentiam, non solùm materialem, hoc enim conuenit etiam actibus materialibus, sed etiam spiritualem. Vndè excessus hic est in ratione actualitatis oppositæ potẽtialitati nõ tantum materiali, sed potentialitati simpliciter, atque adeò etiam potentialitati, quę fingatur spiritualis. Secunda etiam consequentia clara est. quia si substantijs spiritualibus, non tãtum aliquibus, sed omnibus, repugnat esse puram potentiam, seu materiam primam spiritualem, iam hoc habent ex ratione omnibus communi, quæ non potest esse, nisi communis omnium actualitas spiritualis orta ex ipsa ratione substantiæ spiritualis, ac proinde materia prima spiritualis in substantijs illis repugnat ex capitè substantiæ spiritualis tanquã ex radice. Antecedens ergo probatur. Quia omnes substantiæ intellectiuæ, vt sic, sunt per se ipsas longè actualiores omnibus substantijs, ac rebus materialibus, ac non intellectiuis: intellectiuum enim, vt sic, est operatiuum longè perfectius ob modum operandi excellentiorem scilicet intelligibilem, qui & conuenit primæ intelligentiæ, scilicet Deo ad intra, & sub simplicitate vnit in se eminenti modo omnes perfectiones, ac vires intentionaliter operandi in inferioribus dispersas, ac multiplicatas, vt ex se patet; & ex consequenti intellectiuum, vt sic, est longè actualius omnibus illis rebus; cum vnum quodque in tantũ agat, seu operetur in quantum est actu; imò etiam secundum Arist. 9. met. tex. 20. vt refert Herue. tract. de vnit. form. q. vnumquodque in tantum est intelligens, in quantum est actu, ergo omnes etiam substantiæ spirituales, vt sic secundum rationem immaterialitatis sunt longè actualiores per se ipsas omnibus substantijs materialibus prædictis; quia spiritualitas, seu immaterialitas substantialis, vt sic, vel est radix intellectualitatis, vel certè est ratio ad ipsam proximè exigita, ipsique valdè propinquior, & intimior, quàm quæcunque aliæ rationes, aut conditiones, ac dispositiones in quibusdam substantijs, ac rebus materialibus repertę, & magis explicitè est opposita mate-

ma-

rialitati, vt de se etiam clarum videtur. Item, quod ex his sequitur, intellectiuum, vt sic est omnia in esse intelligibili, seù intentionali proptèr quod dixit Aristoteles 3. de anima tex. 18. [intellectum possibilem esse quo est omnia fieri] & Alésis 9. metaph. tex. 4. [Anima, inquit, est quasi omnia esse in conceptu] quod sanè non habēt omnia materialia; ergo necessariò omnes substantię intellectiuæ, tū qua intellectiuę, tū qua immateriales, ob maiorē propinquitatē accessū, & intimitatē ad gradū intellectiuū, habēt per se ipsas multò plus de ente, atque adeo de actualitate quā omnes substantiæ materiales quantumuis actuales, &c. Insuper probatur idē antecedēs, omnes substantiæ immateriales, seù spirituales nòn autem, res vllę materiales habent hanc virtutem, vt quælibet ex his vna, & eadem indiuisibilis possit connaturaliter esse tota in toto aliquo loco, aùt extremo seù termino, & tota in qualibet parte eius: res vero materiales solùm addendo partem supra partē diuisibiliter; ergo necessariò substantiæ spirituales habent hanc perfectionem ex maiori plenitudine actuali, & maiori abundantia propriæ entitatis, & maiori recessu à potentialitate partis ad partem, & consequenter ab eminētia in actualitate supra omnes res corporeas, ac materiales. Hæc autem perfectio conuenit omnibus substātijs spiritualibus, qua precisè spirituales sunt ob gradum immaterialitatis explicitè oppositum materialitati, vnde etiam si aliquę substantiæ esse possent spirituales, & non intellectiuæ, adhùc hanc perfectionem haberent. quæ etiam communicatur omnibus accidentibus spiritualibus.

Præterea ex S. Thom. q. de spirit. creatur a. 1. substantiæ spirituales maxime accedunt ad perfectionem primi actus, cum comparentur ad inferiores creaturas sicut perfectum ad imperfectum, & sicut actus ad potentiam, & inde est, quod illæ sub simplicitate, & indiuisibilitate posśūt actuare res materiales, vt anima humana corpus sub ratione formæ, & motoris, & per corpus potest illas mouere, & applicare, & forte etiam per se ipsam separata à corpore: Angeli autem actuāt sub ratione motoris; & appplicatoris è contra verò nulla res materialis potest actuare, aùt subijcere sibi res spirituales. Vndè Alensis in sum. part. 2. q. 43. membr. 2. sic ait [simplicitèr loquendo plus dicitur posse Angelus, quàm natura quia in plura potest: & etiam in dispositione materiæ respectu formæ inducendę plus potest, quàm natura posset quantum ad duo: potest enim accelerare materiam ex collectione seminum, & congregatione ex diuersis locis, quod nō posset natura: potest etiam accelerare dispositiones illas, vt citius producatur forma vltima, quàm produceretur, si relinqueretur sibi ipsi in operādo, & sic fuit in dracon.

tionibus magorum; ergo necessariò omnes substantiæ spirituales intellectiuæ sunt actualiores omnibus substantijs materialibus; imò ijsdem sunt actualiores omnes substantiæ spirituales, seù immateriales, vt sic; etiam si aliquæ harum forent non intellectiuæ, quia ex dictis spiritualitas, seù immaterialitas, vt sic ex suo conceptu est perfectio, seù ratio præexigita, & præsupposita ad totam illam vim actuatiuam substantiarum intellectualium, ob quam sunt actualiores substantijs materialibus. Insuper ad idem, & sequitur ex dictis. esse actiuum nititur, & mensuratur actualitate sicut esse passiuum potentialitate; ergo omnes substantiæ, quæ sunt actiuiores sunt etiam actualiores: sed omnes substantiæ spirituales intellectiuæ sunt actiuiores, quàm omnes materiales, ergo sunt etiam actualiores. Minor inde constat, quia dictę substantiæ sunt actiuiores, tum intensiuè, quia operatiuæ perfectissimè, scilicet intelligibiliter; tum entitatiuè per plures modos agendi nimirum intentionaliter, seù intelligibiliter, & realiter; & adhùc circa plura per singulos hos modos. nam intentionaliter possūt attingere totam latitudinem entis, & vniuersalitatem omnium intelligibilium, quæ infinita sunt, concurrendo actiuè, saltèm partialiter per potentiam, siuè naturalem, siuè obedientialem, ad horum intellectiones: realiter verò, seù per productionem realem, vt condistinctam ab intentionali, quamuis naturaliter non possint formaliter per se ipsas, & immediatè attingere formas substantiales, aūt alias formas reales, quas causare possūt substantię materiales, possunt tamen per se causare motum localē, & per hunc subijcere sibi illas, & applicare, accelerare, ac disponere ad tales substantias causandas. ac rursùs licet substantiæ materiales possint quoad aliquid, seù secundū quid dici actiuiores, & actualiores, ac perfectiores, nempè quoad vim causandi realiter per se formas illas; tamen hæ substantiæ sunt in hoc ipso subijcibiles substantijs spiritualibus, & applicabiles ab ijs per intellectum, voluntatem, & vim motiuam: esse autem causatiuum, seù actiuum realiter quando est cum subijcibilitate, & subordinatione ad vim actiuam intentionaliter aliorum agentium, non est simpliciter actiuitas, nec actualitas, nec perfectio maior: imò substantiæ spirituales proptèr hanc vim subordinandi, ac subijciendi per motum localem sibi, suæque virtuti operatiuæ intentionaliter substantias materiales circa ipsarum actiones reales, dici possunt virtualiter, & æquiualenter mediate, actiuiores realiter, quam illæ, & quàm tota ipsarum collectio, & proptèr hoc S. Thom. de potentia q. 6. a. 3. ad 2. dixit [formæ rerum naturalium in mente Angelica existentes, sunt magis actuales, quam formæ, quæ sunt in materia: & proptèr hoc sunt im-

immediatum principium perfectioris operationis, quæ est intelligere: operationis verò, quæ est actio materiam transmutans, non sunt immediatum principium, sed mediante voluntate, & voluntas mediante virtute, & virtus immediate mouet motum localem, quo mediante est causa aliorum motuum, & est causa inductionis formę in materia]

Præterea ad idem. omnes substantiæ habentes per se ipsas oppositionem ad materiam, seu purā potentiam corpoream absque dubio eam habent ratione suæ formalis actualitatis, cum nihil aliud possit esse magis directè oppositū potentialitati, quàm actualitas. ergo quo maior est hæc oppositio, eo maior est hæc actualitas; ergo quia omnes substantiæ spirituales habent per se ipsas oppositionē ad materiam corpoream, & hæc oppositio est maior, quàm sit oppositio quorūcunque actuum corporeorum ad eandem, vt clarè patet; iam omnes substantiæ spirituales habent per se ipsas maiorem actualitatem formalem, &c.

Item magis distat quæuis substantia spiritualis ratione suæ spiritualitatis per se ipsam ab omnibus actibus substantialibus corporeis, quicunque sint; quàm vnus actus substantialis corporeus differt ab alio similiter corporeo, per hoc quod ille sit actualior: ergo necessariò quæuis substātia spiritualis ratione suę spiritualitatis est per se ipsam actualior omnib. prorsùs actib. substantialib. corporeis, quia illa maior distātia, qua omnes excedit, non potest intelligi esse, nisi per maiorem actualitatem, &c. Nec possunt substantię spirituales excedere in actualitate actus corporeos substantiales, nisi per perfectionem, quæ sit similiter actus, ac contenta intra latitudinem actus.

Denique à priori, omnes substātię spirituales, per propriam cuiusque spiritualitatem excludunt à se materiam primam corpoream, cuiuscunque sit rationis, & omnes partes integrātes quātitatis, & corporeitatis, ac cuiusuis entitatis quātitati coextēdibiles, & omnē dependētiā in esse suo ab his reb. vt patet ex communi conceptu, & cōsensu omnium, qui per hanc exclusionē explicant naturam spiritualitatis, & propter eandem dicuntur substantię spirituales esse in altiori, & eleuatiori ordine, quia re vera per ipsam sunt propinquiores ordini altissimo quantum ad immaterialitatem actus purissimi, & eleuatissimi. ergo hanc exclusionem, & remotionem habet spiritualitas illarum substantiarum non ex defectu, sed ex excessu, & eminentia supra illas omnes res corporeas saltèm quoad talem ordinem altiorem, & actui purissimo propinquiorem, ac similiorem; ergo hanc exclusionem habent omnes substantię spirituales ex eo quia ratione proprię spiritualitatis sunt longe actualiores, res verò omnes corporeę sunt potentialiores. patet hęc consequentia, tum quia maior

ior illa similitudo, & propinquitas ad summam immaterialitatem, & puritatem actus puri, seù primę actualitatis, vt sic, nempè diuinæ non potest haberi directè nisi per maiorem, & similiorem actualitatem, sicut potentialitas illa habetur per recessum ab eadem: Tum quia non potest assignari alia ratio per quàm possint res illas directius excludere à se. siquidem illas debent excludere proptèr potissimum defectum illarum, qui sine dubio est potentialitas, cum non possit assignari maior; ergo necessariò excludunt per excessũ actualitatis maioris supra omnes illos etiam substantiales actus, atque adeò omnes substantiæ spirituales ratione suæ spiritualitatis sunt per se ipsas actualiores omnibus substantijs materialibus, &c. Atque hinc sumitur.

Secunda ratio principalis. Quia ordo substantiarum ex eminentia suæ spiritualitatis excludit à se omnem substantiam pure corpoream, seù materialem, ita vt intra ipsum nulla prorsùs ex his substãtijs contineri possit; ergò maximè excludit à se id, quod est prædicatum infimum substantiale in ijs. aùt in aliqua earum imbibitum, aùt inclusum; magis enim eminet supra hoc huiusmodi spiritualitas, quàm supra omne aliud, quod excludit; ergo maximè excludit à se prædicatum puræ potentiæ substantialis, vt sic; hoc enim est prędicatum infimius omni alio prędicato substantiali ijs conuenienti, non enim potest assignari prædicamentum substantiale ignobilius aùt vilius; ergo in hoc ordine repugnat pura potentia, seù materia prima, vt sic, atque adeò etiam spiritualis ex capite dictæ spiritualitatis. Nec dicas talem ordinem excludere à se puram potentiam, seù materiam, vt contractam ad corporeitatem substãtialem, seù ratione huius corporeitatis adiunctæ; Nam contra est, quia corporeitas substantialis adiuncta saltèm spectata explicitè est conceptus nobilior, quàm conceptus puræ potentiæ, & infimius est esse puram potẽtiam vt sic, saltèm explicitè, quàm esse corporeũ corporeitate substantiali; quia esse puram potentiã non potest cõuenire nisi substantiæ omnium imperfectissimæ; esse verò dicto modo corporeum conuenit etiam innumeris formis, seù actibus substantialibus; ergo non potest ille ordo spiritualis excludere puram potentiam ratione huiusmodi corporeitatis, imò si explicitè excludit hanc corporeitatem, vtique hoc est proptèr huius imperfectionẽ, ac vilitatem; ergo multò magis debet à se excludere id, quod ex suo conceptu est imperfectius, & vilius, quale, vt dictum est, est pura potentia, vt sic. Nec dicas rationem puræ potentiæ, & corporeitatem, esse duas rationes inadæquatas in ordine ad illam exclusionem; nam si id intelligatur de exclusione solius materiæ, seù puræ potentię, iam ratio puræ po-

tentiæ est partialiter concurrens ad talem exclusionem tanquam ratio ignobilior, ac proinde ex suo conceptu magis exclusibilis ab ordine spirituali, si verò intelligatur de exclusione in vniuersali; iā hinc sequitur, formas, seù actus substantiales corporeos, quia non sunt pura potentia, non excludi ab eo ordine, neque etiam excludi Cœlum, si est corpus simplex, vt multi volunt, quæ profectò falsa sunt. Nec iuuat dicere, excludi inde actus substantiales corporeos ob dependentiam, quam habent ad puram potentiam corpoream; nam in primis hoc effugium non habet locum in Cœlo, si est corpus simplex immune à pura potētia: & tamen certius est, Cœlum excludi ab ordine spirituali ob sui corporeitatem, quàm quod sit cōstans ex materia, seù pura potentia hoc enim est dubium. Deinde corporeitas, vt sic, tàm substantialis, quā accidentalis, quæ est quantitas, vt nunc suppono, abstrahendo ab omni dependentiā ad potētiā corporeā, est se ipsa sufficiēs ad excludendum res corporeas ab ordine rerum spiritualium: repugnat enim intelligere rem aliquā esse corpoream, & simul esse spiritualem. Nec demum dicas, corporeitatem substantialem puræ potentiæ esse diuersæ rationis à corporeitate actuum substantialiū corporeorum, cum hęc sit per modum formæ dependentis in suo esse à subiecto quanto, illa verò sit per modum subiecti quantitatis in composito, & ideò non necessariò corporeitatem, vt sic esse nobiliorem, quàm puram potentiam, ex eo quia corporeitas conueniat etiam actibus substantialibus. Nā contra est primo quia tam pura potentia corporea, vt corporea, quàm actus substantiales corporei, & quàm etiam Cœlum, spectata substantialiter, excluduntur ab ordine spiritualium, ergo necessariò excluduntur ob aliquod omnibus commune, ergo ob corporeitatem substantialem, vt sic, quæ omnibus communis: neque sanè apparet alia ratio à priori ad hanc exclusionem; ergo prædicatum corporeitatis substantialis, vt sic, cum possit reperiri in actibus substantialibus corporeis, & Cęlo, etiam si ponatur corpus simplex, est nobilius prædicato puræ potentiæ, vt sic præcisè, quod soli materiæ primæ inesse potest: esse autem corporeum per modum formę, vel per modum subiecti quantitatis in composito, vel in corpore simplici, spectat ad modū habendi corporeitatem substantialem; non ad ipsam, vt sic dicam, substantiam corporeitatis, hęc enim consistit in habere entitatem substantialem coextendibilem, ac commensurabilem quantitati, siuè formaliter, vt eam habent materia prima, Cœlum, & innumeri actus substantiales materiales; siuè per quandam equiualentiam mistam dependentię à quantitate, aùt re quanta, qua ratione animæ perfectorum brutorum

rum à multis ponuntur indiuisibiles, & tamẽ adhuc corporeę, & materiales. Secundo contra est, quia in ipsa pura potentia corporea sunt duo cõceptus alter purę potẽtiæ, qui explicitè, & in actu signato non dicit corporeitatem: alter corporeitatis substantialis, & hic habet similitudinem, affinitatem, conuenientiam cum corporeitate substantialium, & Cœli, qualem saltèm explicitè non habet pura potentia, vt de se constat: ergo ob hanc conuenientiam cum nobilioribus conceptus corporeitatis est nobilior; cõceptus autem purę potentię est ignobilior, imò infimus; ergo si ex eminentia excluditur ab ordine spiritualium substantiarum corporeitas, potiori ratione debet excludi pura potentia, vt sic: ac proinde etiam pura potentia spiritualis, quoties enim ex eminentia rerum alicuius ordinis supra alias res excluditur aliqua res minus ignobilis, seù minus imperfecta inter has; multò magis debet excludi illa, quę est ignobilior, ac minus perfecta, quando subest proportionalis, aùt maior ratio exclusionis, quod videtur notum ex terminis, & sanè sic est in casu nostro. Nam ideò ab illo ordine excluduntur substantię corporeę, quia habent multum de potentialitate proptèr compositionẽ entitatiuam, seù intrinsecam ex partibus extendibilibus integrãtibus, aùt de dependentia à subiecto quanto: & similitèr proptèr compositionem in accidentibus, quę semper composita sunt intrinsecè, & ex parte subiecti, ex partibus integrãtibus coextẽdibilibus quãtitati, & sępè etiam extrinsecè ex parte obiecti, seù termini, vt e. g. sunt motus locales corporei, vbicationes corporeæ, & alia similia; cum tamen omnes substantię ordinis spiritualis sint actualiores, & simpliciores, tàm in se, quàm in spiritualib. accidẽtib. vt cõstare potest ex dictis: materia autẽ, seù pura potentia, vt sic, ex suo conceptu est longè potentialior, est enim non solùm potentialis, sed pura potentia, ac primum potentiale per essentiam, ac mensura omnis potentialitatis, ad cuius nimirum similitudinem, proportionem, ac quasi participationem aliæ res dicuntur potentiales, ergo, &c. Atque ex his infertur, materiã primam, seù purã potentiam, vt sic, licèt explicitè, nec dicat corporeitatem, nec spiritualitatem, intrinsecè tamen, & implicitè esse necessariò substantiã corpoream, quia cum sit omninò exclusa ab ordine substantiarum spiritualium, iam non potest non includi in numero, ac ordine substãtiarum corporearũ, repugnat n. dari in rerũ natura entitatẽ aliquã quę in se ipsa non sit spiritualis, aut corporea, vt fusè supra: imò inter substantias corporeas est de necessitate corporea corporeitate substantiali omnium infima, vtpotè pura potentialitas. Atque hinc sumi potest.

Tertia ratio principalis. Pro qua prius duas distinguo poten-

tialitates. Vna est ad extra, seù ad extrinsecum, & est transitiua, quia directè, & immediatè est ad actū formalem, qui materiæ est extrinsecus. Altera est ad intra, seù ad intrinseca, seù potius inter intrinseca ipsius materiæ, vel materierum, & est intransitiua, quia est directè, & immediatè non ad actum formalem extrinsecum, sed ad aliqua ijs materijs intrinseca, quales sunt partes substantiales entitatiuæ integrantes, & constituentes intrinsecè entitatem physicam earundē; quæ sanè partes sunt puræ potentiæ partiales vnā integram, seù totalem puram potentiam componentes, & ideò vna pars est in potentia ad aliam, non accidentali, sed substantiali, cū sint ad inuicem substantialiter, & integraliter vnibiles. Et vtraque ex dictis potentialitatibus est adhùc duplex, primaria, seù indeterminate, scilicet, & secundaria, seù determinate. Primaria potentialitas ad extra dicitur, quæ est ad actum formalem in communi sumptum; & indeterminate; secūdaria verò ad extra dicitur, quæ est ad actū formalem in particulari, ac determinate, siuè sit vnus tantum, vt accidit in materijs singulorum Cœlorum, siuè sint plures, vt in materijs sublunaribus. Similiter potentialitas ad intra primaria, & indeterminate dici potest, quæ est inter prædictas intrinsecas partes materię, vel materierū entitatiuas integrantes vnam purā potentiam sub extensione indeterminata, abstrahente scilicet à tanta, vel tanta: secundaria verò, ac determinate ad intra dicitur, quæ est inter easdem partes entitatiuas, quarum vna est in potentia ad aliam, in ordine ad constituendam puram potentiam sub extensione determinata tanta, nimirum, vel tanta. Nec mirum, quod potentialitates respicientes aliquid in communi, & indeterminate, dicātur primariæ; quæ verò respiciunt aliquid in particulari, ac determinate, dicantur secundariæ quia hęc vtpotè contentæ sub illis, sunt secundum rationem posteriores, illæ verò priores, vt accidit inter omnia prædicata inferiora, & superiora. Noto etiam, de essentia materiæ primæ secundum se, & in communi sine dubio esse potentialitatem primariam ad extra, seù ad actum formalem substātialem sumptum in communi, vt omnes concedunt; non esse verò de eius essentia potentialitatem secundariam ad extra, seù ad actus formales sūptos in particulari, hæc enim est specifica differentia materiarum particularium contractiua illius primariæ: & ob eandem rationem, nec esse de essentia materiæ primæ in communi potentiam secundariam ad intra, quare solùm est difficultas de potentia primaria ad intra.

Arguo igitur sic. De essentia materiæ primæ in communi est etiam potentialitas primaria ad intra; ergo materia prima in communi est intrinsece constans ex pluribus partibus substantialibus in-

integrantibus sub extensione, seù extendibilitate sumpta indeterminate, & in communi; ergo rursùs materia prima in communi est intrinsecè corporea saltèm implicite: suppono enim hic ex infra probãdis, omnem entitatem constantem ex pluribus partibus integrãtibus extensis, aut extendibilibus, esse corpoream ex communi sentẽtia; ergo tandem materiæ primæ in communi omninò repugnat esse substantiam spiritualem, & substãtiæ spirituali, vt sic, repugnat ob suam spiritualitatem esse materiã primam. omnes consequentiæ patent.

Antecedens probatur primo quia potentialitas primaria ad extra, & potentialitas primaria ad intra sũt ambę primę potentialitates propterea enim dicũtur primariæ; & insuper neutra ex his continetur sub altera tanquam species sub genere, aût contrahens sub contrahibili, aût inferior sub superiori; si quidem sunt rationes disparatæ ad disparatos terminos, extrinsecum scilicet, & intrinsecũ; ergo ambæ sunt potentialitates æque primæ, & ex æquo vniuersales præuenientes omnes alias inferiores potentialitates materijs particularitatibus cõueniẽtes; ergo ambæ conueniunt materiæ primæ in vniuersali sumptæ; ergo conueniũt, ei essentialiter, cum eius essentia sit esse puram potentiam, & per consequens de essentia dictæ materiæ est etiam potentialitas ad intra.

Secũdo explico hoc magis quia potentialitas primaria ad intra, quatenus ad intra reduplicatiue, est nouum genus potentialitatis non contentum sub genere potentialitatis primariæ ad extra, quatenus ad extra; si quidem omne genus potentialitatis contentum sub potentialitate ad extra necessariò est etiam potentialitas similiter ad extra, minus tamẽ late patẽs, quia hęc est illi subordinata, ac proportionata, sicut omnis potentialitas secundaria ad intra est necessariò contenta tanquam inferior sub potentialitate primaria similiter ad intra, & vniuersaliter omne inferius, siuè sit genus siuè species, est contentum sub suo superiori sibi proportionato in eadẽ linea prædicamẽtali, vt omne speciale sensibile sub sensibili, seù animali in cõmuni, & omnis species coloris, e.g. albedo, sub colore in communi, & sic de alijs; ergo potentialitas primaria ad intra, quatenus ad intra est æqualis ambitus, ac potentialitas primaria ad extra; ergo sicut hæc non potest conuenire per se alicui materiæ particulari contentæ sub materia sumpta in communi, sed necessariò conuenit ipsimet materiæ communi, & est de essentia eius; ita nec potentialitas ipsa primaria ad intra, potest conuenire per se vlli materiæ particulari, sed soli materię communi, & ex consequenti est de ipsius essentia sicut illa.

Tertio probatur idem antecedens; quia materia prima in commu-

muni sumpta, & secundum se est quasi prima radix, & origo omniũ potentialitatum inferiorum conuenientium materijs inferioribus; nulla enim ex his est, quę non deriuetur à prima potentialitate, omnibus superiore; ergo sicut ex eo quia ipsa est prima radix omnium potentialitatum inferiorum, quę sunt ad extra, ideò primaria potentialitas ad extra est de eius essentia ita pariter quia eadem materia adhùc in communi est prima radix omnium potentialitatum inferiorum, quę sunt ad intra, ideò primaria potentialitas, quę dicitur ad intra, est etiam de eius essentia.

Dices materiam primã in cōmuni esse quidem primam radicem omnium potentialitatum inferiorum, sed diuersimodè: n. m potentialitatum inferiorum, quę sunt ad extra, est radix positiue, & formaliter, quia potentialitas pr. materia ad extra, per quàm est radix illarum, est primum, & indubitatum prędicatum conueniens ipsi materię prim. in communi accept., & est originans vniuersaliter potentialitates secundarias ad extra, cōuenientes omnibus materijs inferioribu, t. m corporeis, quàm spiritualibus possibilibus, hę enim nō possunt sine petitione principij negari, & propterea dicta primaria potentialitas ad extra est de essentia ipsius materię: at verò respectu potentialitatum inferiorum, quę sunt ad intra non est radix positiue, & formaliter; quia primaria potentialitas ad intra, per quam est radix talium potentialitatum, nec est, nec debet assumi, vt primũ prędicatum indubitate primo cōueniens eidem materię in communi, nec vt originans potentialitates inferiores, quę sunt ad intra, in omnibus omninò materijs inferioribus, alioquin iam sine probatione, & merè gratis supponeretur; omnes prorsùs materias inferiores esse corporeas, & nullam esse spiritualem; solùm ergo materia prima in communi est radix harum potentialitatum pręcisiuè, ac permissiue, seù potentialiter, in quantum scilicet ipsa habet se præcisiuè ab his tãquam inferioribus, & permittit se ad ipsa contrahi, sicut vniuersaliter omne genus ad sua inferiora; ipsa autem primaria potentialitas ad intra est prędicatum primo conueniens positiuè, non ipsi materiæ communissimę, sed alteri materię speciali contentę sub illa, quę nimirum est cōmunis solùm materijs corporeis: sicut etiam spiritualitas non est prędicatum positiuè, & primo, & formaliter conueniens eidem materię communissimę, sed alteri materię inferiori minùs communi, nempè ad solas materias spirituales; materiæ verò cōmunissime cōuenit solũ pręcisiuè, & permissiuè.

Sed contra arguo, quia etiam primaria potentialitas ad intra, est ratio positiua, & est lōgè magis proportionata ipsi materię in communi acceptę, quę vtique prima potentia est, quàm sit exclusio eius, aut pręcisio ab ipsa, vt

vt ex se patet; ergo bene potest hæc etiam potentialitas esse prædicatum primum, licèt inadæquatum, æquè primo conueniens eidem materię, ac proindè esse radix non tantum pręcisiuè, & permissiuè, sed etiam positiuè, & formaliter omnium potentialitatum inferiorum, quę sunt ad intra: Tum quia si potentialitas primaria ad intra contineretur solùm pręcisiuè, & permissiue in materia prima in communi sumpta, deberet esse differentia specifica contractiua potentialitatis essentialis ipsi materię, nempè potentialitatis primarię ad extra: Hoc autem ex iam probatis est falsum. ergo, &c.

Quarta ratio principalis. Materia prima in cõmuni est essẽtialiter prima, ac pura potentia, seù potentialitas, seù est primum, ac purum potentiale; estque prior natura, aùt ratione, quàm omnes materię primę particulares, puta Cælorum elementorum, mistorum; ergo etiã secundum se debet essentialiter continere, non quidem omnes potentialitates dispersas in inferioribus materijs, sed omne genus, omnem modum, ac gradum primæ potentialitatis, saltem abstractè, & indeterminate: seù debet essentialiter continere, & adunare in se ipsa de primitate puritate, ac potentialitate quantum plus potest excogitari in illo priori sub indeterminatione: seù debet continere tantam primitatem, ac tantam potentialitatem, tantamque huius puritatem, qua non possit intelligi maior pro illo signo, ac statu; ac proinde summam ea summitate, quæ in eum statum cadere potest; ergo debet continere essentialiter non tantum illum gradum potentialitatis primariæ, quæ est ad extra, sed etiam illius, quæ est ad intra, & constans ex partibus integrantibus, & cõsequenter materia prima in communi est essentialiter corporea, ac proinde repugnat in substantia spirituali ratione suę spiritualitatis.

Quinta ratio. illa potentialitas pura est de essentia materiæ primę in communi sumptæ, quæ potest esse ad actum formalem substantialem sumptum pariter in communi, quia hic actus est specificatiuum eius: sed pura potentialitas constans ex pluribus puris potentialitatib. particularib. seù ex pluribus partibus substantialibus integrantibus, indeterminate tamen, potest esse ad huiusmodi actum formalem; ergo ipsa est de essentia dictæ materiæ, & ex consequenti hæc est essentialiter corporea, atque adeò repugnat materia spiritualis, &c. Minor probatur, quia pura potentialitas essentialis materiæ primæ in communi potens esse ad prædictum actum in communi, non potest esse simplex, & indiuisibilis, seù spiritualis, alioquin omnes purę potentialitates materiarum inferiorum essent simplices, & spirituales, quod est euidẽter falsũ: nec potest esse composita ex potentialitate simplici, & simul ex potentialitate constante

ex partibus integrantibus, hoc enim est apertè repugnans, & insuper infert omnes potentialitates inferiores esse simul simplices, & cōpositas: Nec potest esse indifferēs ad vnā potentialitatē simplicē, & ad aliā cōpositā ex ijs par tibus: quia hæc indifferentia esset quædam præcisio à vera potētialitate, & ab actualitate, quàm conuenire rebus simplicibus ostendam infra; vnde remouēdo compositionem, tollit, aut minuit veram materiæ potentialitatem, & violat eius puritatem; ergo tandem necessariò potentialitas essentialis materiæ primæ sumptæ in communi, esset potentialitas constans ex partibus, seù ex plurib. puris potentialitatib. partialibus, quia alia nonsuperest.

Sexta ratio, quia omnis vera materia prima est tota, seù totaliter potētia pura, ac mera excludens à se omnem actualitatem, excepto forte actu entitatiuo, vt omnes tenentur concedere: sed materia prima, quæ fingitur spiritualis in substantia spirituali, propter suam spiritualitatem non est huiusmodi; ergo non est vera materia prima; ergo est repugnans in ea substantia ex capite spiritualitatis. Minor probatur; quia materia prima, quę fingitur spiritualis, est necessariò essentialiter positiuè simplex, vt de se patet; ergo excludit à se necessariò totalitatem, ac puritatem potētialitatis; tum quia ponit, & includit in se intrinsecè actualitatem, per quā res simplex absq; mistione cōpositionis indiuisibiliter existens, non ad modum puncti, quod est formaliter, & virtualiter indiuisibile, sed vniuersaliter indiuisibilis est eminenter per partes sui virtuales æquiualens rei ex partibus integrantibus compositæ: Tū quia materia illa per suam simplicitatem remoueret omninò à se compositionem ex pluribus partibus, seù ex puris potentijs partialibus integrantibus, & consequenter etiam puram, ac sinceram potentialitatem multiplicem, quam necessariò inhibitum, & includunt hæ partes; hæ enim non solùm sūt puræ partiales potētialitates in ordine ad actū formalē, sed etiā sunt ita inter se dispositæ, vt vna sit in pura potentia ad aliam sibi vniendam, non tanquam ad actum, cum nulla sit actus informatiuus alterius, sed tanquam ad aliam, vt sic dicam, compotentiam partialem in ordine ad integrandam vnam totalem; ergo materia prima, quæ fingitur spiritualis non est tota, seù totaliter potentia pura, &c. Atque hæc ratio, & similes vim habent, etiam si materia prima ponatur habens proprium actum entitatiuum, quia hic etiam actus debet esse in se compositus ex partibus suis integrantibus adhuc potentialibus, vt sit propotionatus essentiæ ipsius materię, sicut essentiæ simplices habere debent actū entitatiuum ipsis conformem, nempè simplicem.

Obijcies primo contra aliqua ex supradictis. Actus formalis substantialis in communi sumptus nō in-

includit in essentia positiue,sed solùm permissiue, compositionem ex partibus integrantibus; alioquin si hanc includeret positiue, iam necessariò omnes actus formales illo inferiores, essent sic compositi,quod est falsum, vt patet in anima rationali;ergo proportionaliter dicendum de materia.

Respond. disparitatem esse primo quia non ita se habet ad actũ substantialem in communi sumptum compositio ex partibus, seù ex partialibus actibus formalibus integrantibus, sicut se habet ad materiam primam acceptam in communi compositio ex partibus, seù partialibus puris potentijs integrantibus: nam huiusmodi materia est essentialiter, seù in sua prima,& essẽtiali ratione atq;adeò positiuè potentia, seù potentialitas tota,ac totaliter,& merè pura;non esset autem sic pura, si aut careret compositione ex dictis partialibus puris potentijs, aut esset præscindens ab ea,& à simplicitate, habẽdo se merè indifferenter, & permissiue ad vtramque,vt ex se constat: at verò actus formalis substantialis spectatus in communi, nihil aliud essentialiter, & positiue est, nisi actus substantialis informatiuus materiæ primæ, & habẽs potentiam ad vnionem cum ipsa in ordine ad constituendum totũ compositum, & in hoc conceptu adæquate saluatur tota eius essentia, tanquam sufficientissimo distinctiuo illius ab omnibus alijs rebus, vndè optimè, & integre est talis etiam si intelligatur non includens in se compositionem ex actibus partialibus integrantibus; & ex consequenti benè potest habere se indifferenter,& permissiuè ad talem compositionem, & ad simplicitatem oppositam. Secũdò actus ille in communi est verus actus,habens essentialiter, & positiue suam veram actualitatem, licet non puram, sed mistam cum aliqua potentia sibi propria nempè informatiua,& idcircò compositio ex actibus partialibus potius violat,ac minuit illam actualitatẽ, quia necessariò affert, & includit plures nouas potentias partiales repertas inter ipsos actus partiales, quorum vnus est in potentia ad aliam; & per consequens actus ille potest indifferenter,& permissiue se ad talem compositionem habere. secus est in materia, vt ex dictis patet. Tertiò compositio ex actibus partialibus integrantibus ponit in ipso actu formali, cui est essentialis dependentiam à materia, quia facit illum materialem: hanc autem dependentiam actus formalis in communi,nec explicitè, nec implicitè dicit, sed solùm esse informatiuum materię. Aliter accidit in materia in communi in qua compositio ex partibus ponit aliquid importatũ saltèm implicitè à potentialitate essentiali ipsi materiæ.

Instabis, ergo materia prima vt sic in communi includit essentialiter omnes potentialitates, & compositiones omnium materia-

rum particularium, & non tantum permissiue, siquidem essentialiter est potentia, seù potentialitas totaliter.

Respond. nego consequentiam æquiuocatur enim in ly totaliter non enim stat positiuè cadens supra vniuersam extensiuitatem, amplitudinem, & latitudinem materiæ primæ: sed cadit solùm supra potentialitatem ad extrinsecum actum formalem acceptum in communi, quæ est essentialis materiæ primæ in communi similiter sumptæ, quasi intẽsiuè; & insuper stat negatiue, & exclusiue, denunciando scilicet quòd materia prima in communi ita sit potentia, vt sit potentia merà, nihil includens actualitatis in sua ratione essentiali, sed ab hac omnem actualitatem excludens: cæterum, an materia prima sit cõmunis, & vniuersalis nec ne, hic non disputo solùm hic pono sententiam Capreoli in 2. d. 3. q. 1. a. 3. in responsione ad 1. Scoti contra secundam partem secundæ conclusionis sic enim ait [Materia secundum se considerata, vt præscindit ab omni forma, & habitudine, aùt analogia ad formam, & vt est primum subiectum, nullo modo potest concipi, vt vniuersalis, aùt vt communis, & isto modo indiuiduat. Potest autem considerari secundo, vt habet analogiã, & habitudinem ad formam, vel aliquam formam sub ratione cõmuni, puta corporeitatis, vel huiusmodi: & isto modo potest accipi, vt communis; & sic non indiuiduat, nec est de se hæc. Quarè materia, vt est in acceptione intellectus, communis est; sed vt est primum subiectum; sic est incommunicabilis, & de se hęc] & infra ibidem in responsione ad 3. citatur Albertus super Porphyrium tract. 1. cap. 7. apud quem arguendum habetur sic [Nihil est communicabile multis vnum existens in eis secundum essentiam nisi forma; materia enim non est communicabilis multis, nisi per diuisionem, ita quod non est tota in singulis; vniuersale autem totum est in singulis; igitur vniuersale non est materia, sed forma, &c.] & paulo inferius subdit Capreolus [materia non potest habere rationem vniuersalis propriè dictam] & infra [dicet aliquis sicut hoc nomen homo, est commune pluribus hominibus; ita hoc nomen materia est commune pluribus materijs, & ita videtur esse, homo, & materia. Respondetur, quod communitas nominis hinc inde æqualis est: sed res nominis dispar, & dissimilis; quia materia, vt in se, non est quid aptum natum esse in multis, nec etiam in aliquo eo modo, quo natura communis apta est esse in aliquo: sed quia materiam non intelligimus, nisi ad modum concretorum, & formarum totius; ideò eã similiter nominamus]

Obijcies secundo infima substantia spiritualis, etiam si ponatur pura potentia, benè potest excedere supremum actum substantialẽ;

er-

ergo male id supra negatum est. Antecedens probatur, quia infimum supremi excedit in perfectione supremum infimi.

Respond. nego antecedens. & ad probationem dico, tunc illud axioma esse verum quando illa infimitas, quæ ponitur in illo supremo ordine, non est repugnans alteri prædicato proprio, & conuenienti ipsi; falsum verò, quando est repugnans. & sic est in proposito; quia esse puram potentiam est quid repugnans alteri prædicato conuenienti ordini substantiarum spiritualium; quod est esse maioris actualitatis, quàm quæuis substantia, & forma, seu actus substantialis materialis: & etiam esse exclusiuum corporeitatis etiam implicitę, quę tamen est intrinseca purę potentiæ.

CAPVT II.

Soluuntur argumenta posita cap. 1. pro materia spirituali.

AD primũ distinguo antecedẽs spiritualitas est exclusiua tãtum materiæ corporeæ, idest materiæ, quæ sit explicite, & signatè corporea, & nego antecedens: Materiæ, quæ sit siuè explicite, & signatè, siuè implicitè, & exercite corporea; & concedo antecedens. Deinde nego etiam primam consequentiam, quod scilicet spiritualitas non sit exclusiua materiæ primæ, vt sic præcisè secundum se spectatę, vt supponit simpliciter, aùt absolute, quasi sit solùm exclusiua eius, vt supponit personaliter, nimirum pro materijs explicitè corporeis: verè enim spiritualitas est exclusiua materię primę, tàm præcisè spectatę secundum suam essentiam, vt supponit simpliciter quippè adęquate spectata includit implicitè corporeitatem; quàm sumptæ, vt supponit absolutè pro se ipsa, & etiam personaliter, videlicet particularibus materijs. quod verò additur, materiam nil ponere, nisi rationem purę potentię substantialis, quę ex se omninò præscindit ab omni vmbra corporeitatis, id verum est explicitè; falsum implicitè, vt ex iam probatis habetur: & proptèr hoc materia violat, & tollit spiritualitatem. Porrò quia materia prima, vt sic, in suo primo conceptu, quo nobis obijcitur, solùm dicit, & explicat signate, quod sit primum subiectum, ac pura potentia ad actum substantialem, sic enim eam concipimus omnes, & nihil aliud: ideò dicimus, illam non includere explicite, nec expressè dicere corporeitatem: dicere tamen eam implicitè, & exercite ob plures rationes supra explicatas, quod innotescit per mediatas consequentias. Demum nego etiam secundam consequentiam.

Ad secundum dico primo eã rationem, si quid probaret, probare etiam materiam primam corpoream

imò

immò omnem substantiam corpoream esse posse spiritualē; quia si accidenti,quod est materia corporea, ac substantia imperfectius,non repugnat esse spirituale, multò minus id repugnabit materiæ,& substantiæ corporeæ;quod tamen euidenter falsum est.sic etiam probari posset contra communem sententiam,non repugnare materiam, aùt aliam substantiam creatam supernaturalem, siquidem accidēti,quod his rebus est imperfectius non repugnat esse supernaturale.

Dico secundo repugnantiam, ob quàm repugnat materiam primā esse substantiam spiritualem ex capite spiritualitatis esse duplicem. vna est communissima omnibus omninò rebus corporeis, tàm substantijs, quàm accidentibus, nempè directa, ac immediata oppositio corporeitatis, etiam implicitè siuè substantialis, siuè accidentalis ad spiritualitatem, vt sic, ratione cuius oppositionis omni prorsùs substantię corporeæ, quantumuis perfectæ, & omni prorsùs accidēti corporeo repugnat esse quid spirituale: quod etiam dici potest oriri ex generalissima imperfectione corporeitatis, quæ est magna potentialitas,& ex generalissima perfectione spiritalitatis,saltē spectatæ quoad modū essendi altiorē,q̄ perfectio est maior actualitas.

Altera repugnantia est propria materiæ, orta ex imperfectione eius mista alicui perfectioni, & ex maiori perfectione substantiæ spiritualis. Nam quia materia est substantia, quod vtique perfectionis est;iam repugnat ei,quod sit per se tracta à substantia spirituali tanquam ens aduenienś, & additum illi eamque afficiens, vt iam plenè in suo esse constitutam, vndè implicat materiā hinc trahere,aùt participare spiritualitatem: Rursùs verò, quia eadem materia est pura potentia,quæ in genere substantiæ est infimum prædicatum, & inferius corporeitate,vt probatū est supra;inde est,q̄ excluditur à magna actualitate substātię spiritualis,tanquā omninò inepta ingredi ipsā cōstitutiuè,& hoc modo spiritualizari; nec est imaginabilis alius modus spiritualizandi materiam primam. At verò accidens est quidē imperfectius in genere entis,quàm materia, cum sit ens alterius, & actus secum quid; tamen ex hoc ipso modo essendi, & ex aliqua perfectione actualitatis habet non solùm quod illi non repugnet, sed quod omninò sit debitum, conueniens, & intrinsecum esse per se tractum à substantia finita tanquā ens illi adueniens, eamque in suo esse completam perficiens; sicut etiam ipsi substantiæ, quà limitata est,nullatenus repugnat, sed necessariò debitum, ac conueniens est subesse accidentibus eorumque capacitas est illi essētialis, saltèm vage, & indefinite sumptorum. Quo fit, vt sicut substantiæ corporeę est debitū,ac conueniens aliquod accidens, nempè corporeum; vtpotè illi proportionatum:& ipsimet accidenti corporeo debitū est esse tractum à tali substantia; ita planè substantiæ spiritua-

tuali debitum, ac conueniens est aliquod accidens, nempè spirituale, quia hoc est ipsi proportionatũ; & huic accidenti debitum est esse tractum ab illa substantia. Nec accidens, vt sic, includit etiam implicitè aliquid repugnãs spiritualitati, aùt eius actualitati, nec vice versa spiritualitas aliquid repugnans accidentalitati; nil enim tale apparet, aùt excogitari potest. nam accidens dicit solùm, quod sit entis ens, atque adeò sit aliquis actus substantiæ superueniens, abstrahenti à corporea & incorporea; spiritualitas verò dicit perfectionem, & actualitatem exclusiuam à se corporeitatis explicitæ, & corporeitatis implicitæ, quæ est potentialitas pura. & ex his patet respõsio in forma ad argumentum: ad quod etiam potest responderi sic, nempè negando maiorem, si velit repugnantiam, qua materia spiritualis repugnet ex capite substantiæ spiritualis, oriri ex imperfectione qualicunq; materiæ, & ex perfectione qualicunque spiritualitatis; si verò velit eam oriri ex perfectione materiæ tali, nempè trahente ob corporeitatem, & puram potentialitatem oppositionem ad substantiam spiritualem, & ex perfectione spiritualitatis trahente per se oppositionem ad illas rationes atque adeò exclusiua illarum; sic conceditur maior: sed negatur minor, si intelligatur, quod accidens sit imperfectius materia imperfectione trahente oppositionem, seù mista oppositioni ad spiritualem; licet sit imperfectius entitatiue, quia non est per se subsistens, nec inclusum in per se subsistente; materia autẽ est inclusa essẽtialiter in cõposito substantiali per se subsistente. Deinde negatur consequentia. Potest etiam dici imperfectiorem esse materiã comparatiuè ad spiritualitatem primariam, quæ est spiritualitas substantialis, quàm accidens comparatiue ad spiritualitatem secundariam, seù minus principalem, quæ est spiritualitas accidentalis, seù superadueniens substantiæ spirituali: sicut substantia creata, est imperfectior in comparatione ad supernaturalitatem primariam, nempè substantialem, quàm sit accidens in comparatione ad supernaturalitatẽ secundariam, quæ est accidentalis: & ideò repugnat substantia creata supernaturalis, non verò accidens supernaturale, vt hic suppono. Ad replicam, qua dicitur spiritualitatẽ ex suo conceptu, ac ratione non magis dicere actum, quàm potentiam, transeat antecedens, si intelligatur de actu omninò puro; & de potentia, seù potentialitate transcendentali vagante per omnes creaturas, in quantum dicitur constare ex esse, & essentia, vel alio modo ex actu, & potentia; sed non est ad rem, vt ex se constat: negatur verò antecedens, si intelligatur de actu, vt contraposito potentiæ puræ, aùt potentialitati intercedenti inter partes integrantes aliquam entitatem; hoc enim modo spiritualitas magis di-

cit actum, quàm potentiam, imò absolutè dicit actum excludendo potentiam, & conceditur probatio antecedẽtis, qua dicitur spiritualitatem solùm importare rationem positiuam per se exclusiuam corporeitatis substantialis, & accidentalis, si hoc intelligatur de corporeitate, tàm explicitè, quàm implicitè accepta, non autem, si de explicitè tantum. Deindè negatur consequentia quòd scilicet sicut ex parte spiritualitatis non repugnat accidens spirituale, quia est actus; ita nec ob eandem repugnat materia spiritualis, quia est potentia: nos enim non dicimus, ex parte spiritualitatis non repugnare accidens spirituale, quia est actus præcisè, & absolutè; sed quia accidens vt sic, est actus talis, nempè superueniens substantiæ in se ipsa plenè constitutæ, & nihil prorsùs includit repugnans spiritualitati, & hæc quippè etiam actualitas quædam nihil in se continet contradicens illi: vndè sicut accidens commune vt sic non repugnat contrahi ad accidens corporeum superueniens substantiæ corporeæ, vt ab ipsa tractum connaturaliter, vel obediẽtialiter; ita nec repugnat cõtrahi ad aliud accidẽs superueniens substãtiæ spirituali proportionaliter, & ob hanc rationẽ nõ repugnat accidẽs spirituale ratione spiritualitatis; materia autem spiritualis repugnat, quia est potentia imbibens oppositionem ad spiritualitatem; ac proindè falsum est, quod potẽtia non sit magis incompossibilis cum spiritualitate, quàm actus.

Ad tertium dico materiam spiritualem repugnare tum ratione spiritualitatis, vt sic, vtpotè ex suo conceptu exclusiuæ omnis corporeitatis explicitæ, & implicitæ, inclusæ in materia, vt sic; tum præcipuè ex spiritualitate substantiali; quia materia, vt sic est substantia, vndè si repugnat materiæ, quod sit spiritualis, maximè repugnat, quòd sit spiritualis spiritualitate proportionata substantiæ, quæ proinde substantialis est. & concedo, substantiam spiritualẽ, quia est actus valdè perfectus, excedens in actualitate (quicquid sit de perfectione, in qua nunc non facio vim) omnes res corporeas, etiam actus substantiales, esse repugnantem puræ potentiæ, qualis est materia. & nego hoc in re nostra non vrgere. & ad omnes probationes dico eas re vera non esse contra nos; quia nos non dicimus, vt ipsę supponunt repugnantiam materiæ spiritualis ex capite substantiæ spiritualis oriri ex maiori perfectione simpliciter explicitè cõcepta ipsius supra res corporeas; sed ex maiori actualitate; licet etiam verum sit oriri ex maiori simpliciter perfectione, quia vbi est maior actualitas, ibi est maior perfectio in aliquo sensu, de quo alias agetur: in quantum verò illæ probationes videri possent facere contra nos, inefficaces sunt. Vndè ad primã nego, quod non sit inconueniens, in ordine superiori, qualis est ordo rerum spiritualium, contineri aliquam

quam

quam substantiam spiritualem, quæ etiam si sit pura potentia, tamen sit etiam simpliciter perfectior, idest actualior omnibus substantijs contentis in ordine inferiori, scilicet corporeo, etiam si sint actus, id enim falsum esse liquet ex dictis. & implicat omninò, illã potentialitatem eleuari ad ordinẽ spiritualem, & compensari per spiritualitatem, & eminere cum excessu supra omnes illos actus ordinis inferioris; hoc enim esset destruere essentiam, ac naturam talis potentialitatis, transformando eã in actualitatem, & in contradictoriũ eius, saltẽ virtuale. Ad secundã probationem similiter nego, quod non sit necesse substantiam spiritualem, vt sic, atque adeò omnem substantiam spiritualem, esse simpliciter perfectiorem, idest actualiorem omni substantia corporea; oppositum enim per plures rationes ostensum est supra. Nego etiã substantiam spiritualem non cognitiuam, si dari posset, non fore perfectiorem, idest actualiorem substantijs corporeis cognitiuis; nam ob vnum caput necessariò esset actualior ob rationes allatas, & in specie, quia esset carens compositione ex materia, & forma, saltẽ corporeis, & etiam compositione ex partibus substantialibus integrantibus; quæ compositiones includunt infimas potentialitates; & tamen substantiæ corporeæ cognitiuæ eas intrinsece continent, saltẽ compositionem, & potentialitatem ex partibus integrantibus, vel formaliter, vel æquiualenter æquiualentia mixta dependentia in proprio esse à pura potentia, & à partibus eius integrantibus, cuiusmodi aliqui volunt esse animas perfectorum brutorum ponendo eas formaliter indiuisibiles, sed cũ dicta dependentia. ob aliud verò caput illa substantia spiritualis nõ cognitiua, esse deberet minus actualis, quàm substantię corporeæ cognitiuæ, quæ vtpotè proximè accedentes ad gradum intellectiuum omnibus rebus actualiorem iuxta supradicta magis participare debent de actualitate, quã substantiæ non cognitiuæ: atque hæc fortè est vna ex implicantijs contra substantiam spiritualem non cognitiuã, de qua re alibi. Ad aliud medium pro secunda probatione, concedo antecedens, quod scilicet non omnis substantia spiritualis sit completa, & totalis, sed aliqua est incompleta, & pars essentialis, vt est anima rationalis; sed nego consequentiam, quod scilicet hæc substantia incompleta, vt sic, non posset esse perfectior substantijs corporeis cõpletis, quæ sunt tota, atque adeò perfecta; id enim falsum est tum de actualitate, tum de perfectione simpliciter. Primo, quia alioquin sequitur, terram e. g. vermem, & quãcunque substãtiam vilissimã, quæ est quoddam totum completum, esse actualiorem, & simpliciter perfectiorem, quàm sit anima intellectiua; quod sanè nemo somniabit. Secundo sequitur, accidẽs

esse actualius, & perfectius eadem anima; quia hęc nō est aliquod totum completum, cum sit pars essentialis hominis; accidens verò est ens completum, & totum in suo ordine cum incapacitate, vt sit pars alicuius totius per se subsistē-tis, & capacitate ordinata ad compositum accidentale, seu concretum per accidens; quod benè notat Scotus Theoremate de actione. §. iuxta conclusionem secundā, vbi sic ait [concedi potest, quod accidens est causa efficiens respectu sui effectus, & accidens tantū effectus: quia accidens est per se ens, habens suam entitatem complete, & non est essentialiter aliquid alicuius, non sic de forma substantiali].

Tertio à priori, quia esse totum, seù completum sumi debet, vt cōueniens rebus iuxta earum ordinē, nobilem, scilicet, ac superiorem, vel ignobilem, ac vilem, & inferiorem: quo fit, vt non hoc ipso, quod aliquod sit completum in ordine inferiori statim sit perfectius simpliciter alio incompleto contēto in ordine superiori, sed potest accidere contrarium, quando nihil aliud obstat: ad quod deriuari potest, & aptari, quod communiter ex Dionysio dici solet, quod supremum infimi non attingit infimum supremi. & sic planè est in casu nostro, cum anima intellectiua sit in ordine superiori substantiarum spiritualium; substantiæ verò corporeæ sint in inferiori. & hinc patet, spiritualitatem, quæ his deest, non posse compensari per cōpletionem, ac totalitatē earum: ad summum autem quod est completum, dici potest perfectius secundum quid.

Ad aliam instantiam, quod scilicet carentia partium, quę inest rebus spiritualibus, nō sit conceptus ex se ita perfectus, vt excedi non possit, nec ęquari à re habente partes, quę est res corporea; concedo antecedens, si carentia partium sumatur pro negatione formaliter; sic enim nullius est perfectionis, vnde nec facit ad rem: si verò sumatur fundamentaliter pro ipsa ratione positiua spiritualitatis fundante talem negationem, sic distinguo antecedens, si enim talis spiritualitas, quę inest rebus spiritualibus, sit secundaria, qualis est spiritualitas accidentium, conueniens ipsis ratione subiecti, hoc modo transeat antecedens: & hoc tantum probat exemplum vbicationis spiritualis animę, si tamē hęc vbicatio datur; est .n. ipsa accidens quoddam spirituale: sed negatur consequentia, quia fit transitus à spiritualitate secundaria ad aliam perfectiorem; & longè plus requiritur ad adæquandam, vel excedendam spiritualitatem primariā quàm secundariam: si verò spiritualitas posita in antecedenti, sit primaria, qualis est spiritualitas substantiarum, conueniens ipsis ratione sui; tunc negatur antecedens: sicut etiam negatur, si illa spiritualitas antecedentis sumatur absolutè, & in communi; sic enim

stat

Respondeo dato antecedenti, nego consequentiam; datur enim alia ratio huius maioris, ac minoris distantiæ, quam benè explicat Caietanus 1. part. q. 66. a.2.ad 3. vbi [Nullum, inquit, inconueniens est, vnam puram potentiam magis distare ab actu puro, quàm aliam puram potentiam; non per inclusionem alicuius actualitatis in vna magis, quàm in alia, quia non essent ambæ puræ potentiæ, sed per vnius commensurationem ad perfectiorem actum adæquatũ respectu alterius; ita quòd ex hoc vna pura potentia est altera pura potẽtia minus distãs ab actu; quia est capacitas perfectioris actus] quod intellige de actu perfectiori, non simpliciter, sed secundum quid, nempè quantum ad inseparabilitatem, seù quantum ad vnionem indissolubilem cum illa materia: si autem velis hanc commensurationem, seù alligationem, & capacitatem materiæ vocare actualitatem, in quantum scilicet talis materia est actu capax huius tantum formæ Cœlestis, & ipsi semper actu alligata per vnionem incorruptibilem, quæstio erit de voce; & huiusmodi actualitas erit late sumpta, vtpotè opposita puræ potentialitati extensiuæ, & importans rei incorruptibilitatem, ac perseuerantiam in esse actu in rerum natura, & elongationem à non esse, ac proindè aliquam necessitatem essendi: in quo sensu materia etiam sublunaris, est actualior omnibus formis corruptibilibus, quod aduertit Rubionus in 2. distint. 12. q. 1. concl. 3. §. sed contra, dicens [actum, seù actualitatem sumi multipliciter. Vno modo actus dicitur, vt opponitur producibili, seù creabili. Alio modo, vt opponitur possibili. Tertio modo, vt opponitur successiuo, seù fluxibili: quarto modo vt opponitur parti. Primo modo dicitur ens actu omne productum, seù creatum; & ens in potentia tali actui oppositum, quod est possibile fieri, sed non est factum. Secundo modo dicitur ens actu, quod est necessarium sic, quod non potest non esse: & hoc vel simpliciter, & vniuersaliter, sicut Deus: vel naturaliter, sicut omne ingenerabile, & incorruptibile. Tertio modo dicitur ens actu omne ens permanens simul totum. Quarto modo quolibet totum, habens partes diuersas, quæ dicuntur communiter esse in ipso in potentia; quod & verum est sanè intelligendo] Deindè verò cum dixisset, materiam omnibus istis modis esse ens actu, sic subdit [licet forma substãtialis sit actualior quàm ipsa materia simpliciter, quia est perfectior, ea essentialiter: aliquo tamen modo materia actualior est, quàm forma; est enim incorruptibilis; & ideò magis necessaria, quã forma,] & ob hanc etiam rationẽ S. Thom. de potentia q. 5. a. 8. dixit [corpora inferiora minus habere

de

de actualitate, quàm corpora Cœlestia. Nam in corporibus inferioribus non est tota potentialitas completa per actum, eo quod materia substans vni formæ, remanet in potentia ad aliam formam; quod non est in corporibus Cœlestibus: nam materia Cœlestis corporis non est in potentia ad aliam formam, vndè sua potentialitas tota est terminata per formã, quam habet.

Vrgebis. Ideò materia Cœli est commensurata, & alligata ad vnũ tantum actum formalem indissolubilem, quia in se ipsa est propriè actualior, quàm materia sublunaris, quæ in se ipsa est potentialior; ergo, &c. Probatur antecedens, tũ quia illa cõmensuratio, & alligatio non potest aliunde oriri: Tum quia in sententia ponentium in vno, & eodem composito plures formas substantiales, vt formam corporeitatis, formam elemẽtorũ, formam mixti, animam vegetatiuam, & animam sensitiuam, quarum priores secundum aliquos auctores, sunt potentiæ receptiuæ posteriorum; vtique priores sunt magis potentiales, aliæ verò posteriores sunt minus potentiales, & hoc non nisi quia sunt in se actualiores, vltima verò nõ est potentialis, quia omnibus præcedentibus actualior est, etiam si ipsæ sint illi alligatæ, vel saltèm subordinatę; ergo à pari, &c.

Respondeo nego antecedens & ad primam probationem dico, illam commensurationem, & alligationem oriri ex natura ipsa materię Cœlestis, quæ ex sua specifica ratione propria puræ potentiæ est sic addicta, & alligata. nam materia in communi dicit solùm, quod sit primum purum potentiale, seù primum receptiuum; & irreceptibile, ineptum complere, ac determinare rem in esse suo, ac proinde egens, & expectans compleri, ac determinari per aliud, nempè per formam, seù actum substantialem, vndè materia, vt sic non includit in suo cõceptu, quod sit alligata ad vnum tantum actũ inseparabilem, nec quod sit indifferens ad plures separabiles, sed quoad hoc habet se præcisiuè quò fit, vt sicut materia in communi potest contrahi ad vnam peculiarem materiam, quæ ex sua specifica ratione est potentialis, & indifferens ad plures actus; ita contrahi possit ad aliam materiam, quæ ex sua specifica ratione, & natura, & remanens adhùc pura potentia, sit alligata ad vnum tantum actũ indissolubiliem, ità vt ex se sit saltè radicaliter, & inchoatiue, determinata ad idem compositum, ad quod proximè, & completiue est determinata forma illius. An verò dabilis sit materia alligata duobus actibus, & alia tribus, & sic deinceps, non est huius loci. Ad secundam probationem nego paritatem. Nam in illa sententia formæ illæ substantiales præsuppositæ, ac subordinatæ vni vltimæ nõ sunt, nec ponuntur puræ potentiæ, seù merè receptiuæ, sed sunt veri

actus substantiales, & simul potẽtię substantialiter receptiuæ, & ex natiua imperfectione, & incompletione sunt magis, ac minus potẽtiales; vndè quia verè sunt actus; iam non possunt esse magis, aùt minus potentiales, nisi ex minori, aùt maiori actualitate formali; & inter eas formas, illa, quæ est vltima nullatenus est potentialis, hoc est receptiua substantialiter, quia est actus, seù actualior omnibus alijs: at in casu nostro materia Cœli, & materia sublunaris sunt ambæ puræ potentiæ, ac merè receptiuæ: & ex consequenti neutra ex his potest esse minus potentialis, & altera potentialior, ob aliquam actualitatem propriè dictam, conuenientem priori, & non posteriori, sic enim violaretur, & tolleretur ab ea puritas potentiæ, sed ob dictam alligationem, & commensurationem vnius propriam, & inalligationem, & incommensurationem propriam alterius; non enim potest ad aliud recurri. Atque hæc quę dixi de huiusmodi alligatione, procedunt in sententia dicentium, materiam Cœlestem esse omninò diuersæ rationis à sublunari: nam si sint intrinsecè, & secũdum se eiusdem rationis; iam vtraque est benè indifferens ad plures formas: & Cœli incorruptibilitas saluatur solũ ex defectu causæ secundæ corruptiuæ, & contrarietatis: sicut etiam saluatur si materia Cœlestis sit eiusdem rationis in omnibus Cœlis, & indifferens de se ad omnes formas Cęlestes, quantumuis ponatur diuersę rationis à materia sublunari.

CAPVT III.

An spiritualis materia repugnet ex capite formę spiritualis informatiuæ ipsius.

RAtio dubij pro parte negante est; quia nullæ ex rationibus iam allatis, quę reijciũt materiam spiritualem ex capite spiritualitatis, aliquid concludunt contra formam spiritualem; cum neque forma, vt sic in communi, includat aliquid in se etiam implicite, quod sit repugnans spiritualitati; nec vice versa spiritualitas aliquid in se intrinsece imbibat, quod cum ratione, seù conceptu formę sit incompossibile, alioquin omnis forma spiritualis implicaret; ergo, &c. Pro parte verò affirmante est quia huiusmodi forma spiritualis; nec potest per naturam esse separabilis à tali materia; alioquin substantia spiritualis foret naturaliter corruptibilis; nec ècõtra potest esset inseparabilis; alioquin esset minus perfecta, quàm anima rationalis, quæ per naturam separari potest à materia corporea, & est nata per se sola subsistere; ergo talis forma informatiua materiæ spiritualis omninò repugnat; ac proindè repugnat etiam ra-

ratione ipsius materia spiritualis, hæc enim duo sunt correlatiua.

Dicendum tamen primo, talē formam spiritualem repugnare. Ratio est, quia omnis forma substantialis impotens ex parte sua naturaliter existere sine vnione ad suam materiam quandiù existit necessariò est pendens in suo esse ab ipsa: sed talis forma spiritualis esset hoc modo impotens; ergo necessariò esset pendens in suo esse à sua materia; ergo talis forma omninò repugnat; quia ob hoc caput talis dependentię esset simpliciter minus perfecta, & minus actualis quàm anima intellectiua, quæ in suo esse est prorsùs independens ab omni materia; ob aliud verò caput esset eadem simpliciter perfectior, & actualior, quia foret forma compositi longè perfectioris, nempè immaterialis idest incorporei, seù spiritualis. Maior est clara tum inductione in omnibus formis substantialibus, & etiam accidentalibus, quæ naturaliter, & ex parte sua quandiù existunt non possunt existere sine vnione ad suas materias; hæ enim omnes necessariò sunt ab his dependentes in suo esse, etiam si aliquæ sint per naturam incorruptibiles, vt sunt formæ Cœlorū; ergo sic dicēdum de omni forma impotente, &c. Tum ex eo, quia omnis forma dicto modo impotens, posset sine dubio conseruari à Deo per solùm influxum actiuū saltèm extraordinarium vnitæ suæ materiæ, quæ enim hic fingi potest repugnantia? ergo hæc cōseruatio fieret longè aliter, ac conseruetur anima rationalis vnita suæ materię; huius enim animę conseruatio est ipsi omninò connaturalis, ac debita; illa autem altera esset illi formę innaturalis, indebita, & eius statui violenta, & miraculosa; ergo totum hoc discrimen non esset nisi quia talis anima est in suo esse independens connaturaliter à sua materia sibi vnita; illa verò altera forma est connaturaliter semper à sua materia sibi vnita dependens: Tum quia à priori ideò illa forma est ex parte sua impotens per naturam existere sine vnione ad materiam; quia ex natiua sua imperfectione; & ex insufficientia ad existere in rerum natura per solùm concursum actiuum ordinarium primæ causę, est connaturaliter indigens vnione ad suam materiam, vt substentantem atque adeò est ab ipsa in suo esse dependens; nec potest huiusmodi impotentia ex alia radice oriri, cum nulla talis radix appareat, saltē illi connaturalior, & conformior. Minor verò probatur primo quia si dicta forma spiritualis non foret ex parte sua impotens, sed potens existere naturaliter sine vnione ad suam materiam quandiù existeret, iam substantia spiritualis ex his partibus composita, foret ab intrinseco, & ex parte suæ materiæ, & formæ naturaliter corruptibilis, quod est omninò falsum. Secundo, quia dissolutio vnionis inter hanc formam, & ma-

seriam factibilis à solo Deo; esset sine dubio violenta dicto composito, & omninò miraculosa; ergo etiam esset violenta, & miraculosa respectu ipsius formæ secundum se, & etiam materiæ: ideò enim foret violenta, & miraculosa composito, quia hoc compositum, post quam productum est petit ex se, & sua natura perpetuo existere, ac proindè petit constare ex partibus essentialibus, quæ sint talis naturæ, conditionis, ac connaturalitatis, vt naturaliter, quandiù existunt idest semper, debeant, ac possant esse inuicem vnitæ propter tale compositum, ita vt naturalis indissolubilitas huius vnionis habeatur non solùm ratione perfectionis ipsius compositi, sed etiam sit iuxta exigentiam naturalem harum partium; ergo prædicta forma spiritualis foret ex parte sua impotens naturaliter existere sine vnione ad suam materiam determinatam quandiù existeret, & sic vice versa. secus accidit animæ rationali: hæc enim licet in primo suo instanti, seù in suo fieri petat connaturaliter produci non extra corpus, sed sub vnione ad ipsum; non propterea tamen verè tunc est in suo esse pendens à corpore; cuius clarum signum est, quia non est pro omni tempore impotens existere naturaliter separata à corpore: nec status separationis potest dici esse animæ rationali simpliciter violentus, aùt innaturalis, sed est naturalis, saltē per se secundo, vt hic suppono: nec est miraculosus; quod enim miraculum est, talem animam existere à corpore separatam? & & idcircò Caietanus 1. part. q. 85. a. 7. dixit [animam humanam non causari ex corpore, sed in suo tantum fieri dependere ex corpore, non, vt causa, sed vt occasione] in quantum nimirum corpus organizatum præbet obiectiue, & materialiter primo agenti occasionem, & dispositionem ad talis animæ creationem, & simul ad productionem vnionis eiusdem cum ipso.

Obijcies primo. si exigere vnionem perpetuam ex natura sua cum materia est ratio, aùt signum dependentiæ formæ in suo esse ab eadem; ergo è contrario exigere vnionem non perpetuam, sed temporaneam est ratio, aùt signū independentię formæ in suo esse à materia. Hoc autem est falsum alioquin non solum anima rationalis, sed etiam omnes formæ materiales sublunares essent indepēdentes à materia; quippè quæ sua natura exigunt vnionem dissolubilem à sua materia.

Respondeo primo, si exigentia vnionis perpetuæ, vt sic foret vera, ac prima ratio, seù radix, aùt signum huiusmodi dependentiæ absolutè, & vniuersim, sic verum esset antecedens: nunc autem est falsum: quia vera, ac prima ratio, ac radix, aùt signum talis dependentiæ non est talis exigentia, sed aliquid prius, latius, & communius, nempè intrinseca imperfectio,

ctio, & insufficientia formæ ad existere, quandiù existit in rerum natura, ex solo concursu actiuo ordinario causæ efficientis absque concursu materiæ substantijs illis vnitæ, siuè forma existat perpetuo, siuè ad tempus: quę profectò ratio est communis tum formę exigenti vnionem perpetuam, tũ formis exigentibus vnionem non perpetuam, excepta anima rationali: benè autem exigere vnionem est ratio, aùt signum dependentiæ non absolutè sumptæ, sed talis, nempè dependentiæ, vt perpetuę; licet respectu formæ perpetuo naturaliter vnitæ in casu nostro sit etiam ratio, aùt signum dependẽtiæ absolutè; & vt sic, quia nos non haberemus aliam viam cognoscendi in his formis, quæ finguntur spirituales huiusmodi dependentiam. & hinc Respondetur secundò exigentiam vnionis perpetuæ ex sua natura cum materia esse rationem, seù signum sufficiens quidem dependentiæ formæ in suo esse à materia, non autẽ esse pręcisã, seù adæquatã rationẽ, aùt signũ; datur .n. alia ratio etiam sufficiens, nempè esse formam materialem, seù de potentia materiæ educibilem. Vndè ad ad obiectionem dato antecedenti, nego consequentiam; licet enim plerisque formis exigẽtibus vnionem non perpetuam, sed temporaneam cum materia, desit illa ratio, seu signum dependentiæ à materia, scilicet exigẽtia illa vnionis perpetuæ, datur tamen alia ratio, aùt signum dependendi à materia, nempè esse formas materiales ab ipsa educibiles.

Instabis. Inter formas exigentes vnionem temporaneam cum materia, aliquæ sunt dependentes ab ipsa in suo esse, vt omnes formæ materiales, aliæ verò sunt in suo esse independẽtes, vt animæ rationales; ergo similiter inter formas exigẽtes vnionẽ perpetuã, aliquæ sunt dependẽtes à materia, vt formæ Cœlestes; aliæ verò independentes, vt formæ compositorum spiritualium. Consequentia probatur: quia sicut non omnes formæ exigentes vnionem temporaneam sunt dependentes à materia, sed aliquæ dependentes, quia sunt materiales, & ex nullo capite spirituales, nec vllum præse ferunt spiritualitatis indicium: alię verò nempè animæ rationales sunt spirituales, earũq; spiritualitas aliũdè est nobis nota, ac supposita; ita plane non omnes formæ exigentes vnionem perpetuam, sunt dependentes à materia ijs vnita, sed aliquæ tantum sunt dependentes nempè formæ Cœlorum, quæ sanè sunt materiales, & ex nullo capitè supponi possunt spirituales; aliæ verò nimirum formę compositorum spiritualium, quia aliundè supponũtur esse spirituales, nec est cùr talis spiritualitas iis repugnet erunt omninò à suis materijs in suo esse independentes.

Respondeo concesso antecedenti, nego consequentiam. Ad probationem est discrimen nam

exigentia vnionis perpetuæ cum materia, est clarum signum quod omnes formæ sic exigentes, nunquam possunt, quandiù existunt in rerum natura, existere naturaliter sine materia, sed ad hoc sunt impotentes: & idcircò necessariò omnes sunt ab ipsa in suo esse dependentes; nec potest inter eas dari illa varietas, vt aliquæ sint independentes, alię dependentes. At exigentia vnionis temporaneæ tantum cum materia non est signum quod omnes formæ sic exigentes, nunquam possint, quandiù existũt in rerum natura, existere naturaliter sine materia, sed sint ad hoc impotentes: benè enim fieri, & intelligi potest, quod aliquæ quidem ex his formis, dissoluta vnione cum materia, non possint amplius naturaliter existere in rerum natura ob innatam imperfectionẽ, & insufficientiam earum ad existẽdum ex vi solius concursus ordinarij causæ efficientis, & ideò sint egentes etiam sustentatione causę materialis, ac proindè ab ea dependentes; & tales sunt formæ educibiles ex eius potentia, & minimè subsistẽtes: aliæ verò formæ sint talis naturæ, ac conditionis, vt etiam naturaliter dissoluta earum vnione cum materia, adhùc sint naturaliter aptę existere per se solæ, ex ui solius concursus primi agentis ijs debiti absque materia quia spirituales, ac subsistentes sũt nec de potẽtia materię educibiles, ac proindè ab ea independentes: neque enim de ratione, ac conceptu formæ in communi exigentiæ vnionem cum materia temporaneam, ac dissolubilem, & aliquando dissoluendam, est, vt hac dissoluta per naturam, nunquam possit amplius naturaliter, & sine miraculo existere; sed ad hoc se habet præcisiuè, & indifferenter; sicut etiam ad hoc, quod sit educibilis, aùt ineducibilis ex eius materia; cum eius ratio formalis dicat solùm esse formam informatiuam materiæ ad tempus, & in hoc eius conceptus benè, & integre saluetur, abstrahendo à vi permanendi naturaliter post separationem, aùt non permanendi. Secus est de forma in communi exigẽte vnionem perpetuam cum materia: de cuius ratione formali est, vt nunquam possit esse, seù existere sinè sua materia, nec eius conceptus saluari possit in illa indifferentia, aùt pręcisione.

Obijcies secundò. in forma exigitiua vnionis perpetuæ cum materia non est aliqua vera impotentia existendi sine materia, seù separata naturaliter, ob ipsius formæ imperfectionem, & indigentiam; sed ex plenitudine, & perfectione talis formæ, ac necessitate communicandi semper esse suæ materię suoque composito; ergo ex tali exigentia non benè infertur depẽdentia formæ in suo esse à materia sed potius dependentia materię in suo existere saltèm complete, ab ipsa forma. Antecedens probatur, tum quia forma Cœli, quæ in cõmuni sententia, non est anima, non

ideò

ideò est impotens esse sine vnione ad materiam, & ab ea pendens, quia exigit vnionem perpetuam cum ea, sed quia est materialis, seù materiæ coextendibilis. Tum quia secundum aliquos intelligētia est vera forma informatiua Cœli mobilis, & naturaliter est exigens vnionem perpetuam cum ipso, nec potest esse sine motu eius, seù quin moueat ipsum; & tamen hæc exigentia non est ex vera impotentia talis formę, nec ex eo, quia ipsa indigeat huiusmodi mobili, ac motu ad suū esse, sed ex plenitudine perfectionis eius, & ex necessitate actiuitatis naturalis. Tum quia vniuersaliter omnes causæ efficientes necessariæ positis requisitis, sūt ex se determinatæ ad dandū esse effectibus, & eos exigūt, nec possūt sine illis saltèm in primo causationis instanti existere; & tamen hoc non habent tales causę ex propria impotentia, & indigentia; sed ex efficacia, & perfectione communicandi esse alijs rebus, quæ proinde his causis indigent. & in diuinis essentia est communicabilis tribus personis, & hanc communicationem exigit, nec potest esse sine ipsa, non ex aliqua impotentia, & indigentia, sed ex fœcunditate, & perfectione; ergo, &c. Atque hanc rationem indicat Bassolis in 2. d. 14. §. adducuntur. vbi agens de forma, quàm aliqui ponunt in Angelo cum materia spirituali [Diceretur, inquit, quod non est naturaliter separabilis: hoc enim non est perfectionis in forma; sed magis perfectionis est in ipsa, quod det esse materiæ suæ] & Rubionus in 2. d. 3. q. 1. §. Dico tamē [forma, inquit, Angeli non est ab eius materia separabilis per naturam; nec nata subsistere sine ipsa] & paulo post [ex hoc tamen non sequitur, quod infertur: videlicet quòd anima intellectiua hominis sit perfectior, quàm forma angeli; sed magis contrarium: videlicet quod forma Angeli nobilior sit, quàm ipsa anima. nec enim quia anima hominis est informatiua perfectibilis naturaliter alterabilis alteratione, qua existente ipsa anima habet à corpore separari, arguitur esse perfectior, imò imperfectior, quàm si esset perfectiua, & informatiua alicuius perfectibilis incorruptibilis, & impassibilis per naturam: quo supposito, non posset per naturam à suo perfectibili separari; sed sic ponitur ea forma Angeli; ergo, &c.

Respondeo nego antecedens propter multa. Primo quia in formis vniuersaliter exigentia vnionis cum materia, ita vt non possint naturaliter existere, quandiù sunt in rerum natura, siuè perpetuo siuè ad tempus, sine ipsa materia ijs vnita, est vera impotentia existendi naturaliter absque eadem: quid enim est formas substantiales, quæ sunt sementia, & accidētales, quarum esse est inesse, ex naturali exigentia, atque adeò ex parte sua non posse naturaliter existere sine vnione cum materia

nisi easdem esse ad hanc existentiam impotentes ob natiuam imperfectionem, & insufficientiam, & ideò indigere tali vnione? Secundo quia etiam si substantiales formæ aliquæ habeant exigentiã vnionis perpetuæ cum materia ex perfectione, & necessitate cõmunicandi esse ipsi materię; tamẽ hoc non obstat, quin eandem habeant etiam ex parte sua, & vt ipsæ acquirant suam completam perfectionem, tum quia formę nõ sunt propter materiam, sed materia propter formas, vt omnes dicunt; tum quia tales formę sunt ex se ipsis ineptę existere naturaliter alio modo, quàm vt vnitæ informatiue ipsi materię, ut subiecto, ipsi esse communicent; ac proinde, vt connaturaliter, & sine miraculo existant, sunt vere indigentes vnione cum materia: tum quia alioquin si in formis illis exigentia vnionis perpetuę cum materia non esset cum indigentia eiusdẽ ob intrinsecã imperfectionẽ, & insufficientiã ad existendũ sine eadem, sed ex sola perfectione, & plenitudine ipsarum formarũ ad dandum esse materię, iam hęc esset via tollẽdi de medio ab omnibus formis, etiam corruptibilibus, omnes exigentias, & indigentias vnionum cum materia ortas ex parte ipsarum, & ijs necessarias, & etiam omnes educibilitates illarum de potentia materię; posset enim dici omnes prorsùs formas ex propria perfectione exigere vniones cum materia ad cõmunicandum ipsi esse, & nullas omninò formas educi de potentia eius, sed omnes creari, etiam si omnes producantur vnitæ eidem cum hoc tamen discrimine: quòd aliquę forent exigentes vnionem perpetuam cum illa, vt formę Cęlestes; alię verò temporaneam, ac dissolubilem, & inter has quędam forent talis naturę, ac conditionis, vt ijs non esset debitum existere ac conseruari nisi durante vnione cum materia, & communicatione esse eidem, hac autem cessante, non esset ijs amplius debita existentia, & conseruatio, & ob hoc desinerent esse: alię verò essent perfectioris naturę, vtpotè natę subsistere, quib. proinde foret debitũ existere, ac conseruari, non solũ quandiù sunt vnitæ materię, sed etiam separatę ab eadem, & tales sunt animę rationales. Tertio si exigentia vnionis perpetuę cum materia est ex perfectione, & plenitudine illarum formarum ad communicandum illi esse; non verò ex impotentia ipsarum existendi sine materia; sequitur, animam rationalem, quę vtique ex se perfectior, ac plenior est, quàm formę Cęlorum exigentes vnionẽ perpetuam cum suis materijs, debere connaturaliter multò magis exigere vnionem, non temporaneam cum corpore dissolubili, ac dissoluendo, sed perpetuam cum corpore aliquo indissolubili ad dandum illi esse perpetuum; quod tamen falsum est. Quarto formę substantiali ex natura sua subsi-

sten-

stenti, qualis foret forma conficta in compositis spiritualibus repugnat,quod nunquam, quandiu est in mundo,hoc est perpetuo,sit per vires naturæ nata subsistere per se sola;est enim hoc aperte contra conceptum subsistentiæ:vndè etiā clare repugnat eidem, quod connaturaliter ex se ipsa exigat ex sua perfectione,& plenitudine perpetuam vnionem, & inexistentiam in materia,seù subiecto suo receptiuo ad dandum ipsi esse,ac proinde hæc esset vera impotentia existendi sine tali materia orta ex imperfectione, & insufficientia huiusmodi formæ. & hinc patet

Ad primam probationem antecedentis positi in obiectione;nego quòd forma Cœli ob hanc ipsam exigentiam non sit ex se ipsa impotens existere sine vnione ad materiam; verè enim ex hoc ipso capite hanc habet impotentiam, & non tantum ex materialitate. Imò ex hac ipsa exigentia benè deducitur, talem formam esse materialem; quia nullatenus potest esse ex natura sua exigens dictam vnionem perpetuam, & simul esse spiritualis,ac per se subsistens,& ex consequēti est materialis:quod idem per mediatam consequentiā trahitur etiam ad formam illam spiritualem confictam ab aduersarijs; ea enim re verà ob eandē exigentiam esset materialis, aùt certè esset spiritualis, quia ita supponitur, & tamen esset simul materialis, quia ita conuincitur esse ratione illius connaturalis exigentiæ.

Ad secundam dico, ex hoc etiā ipso sufficienter reijci opinionem illam ponentium intelligentiam, vt veram formam informatiuam materiæ Cœlestis: ob vnum enim caput illa esset forma spiritualis, & subsistēs;ob alterum verò, quia ex sua natura esset connaturaliter exigens vnionem perpetuam cum sua materia,vtpote forma compositi per naturam incorruptibilis,& nunquam esset nata per se sola naturaliter subsistere, iam ob hoc nō esset spiritualis, & subsistens, sed pure materialis. Adde quod ex Capreolo, & Syluest. in 2.d.3. q.1.§. contra tertiam,& quartam nullus Philosophus authenticus dixit intelligentias informare Cœlos, aùt illos esse animatos, nisi æquiuocè.

Ad tertiam est latum discrimē inter causas efficientes necessarias respectu suorum effectuum, & formam fictam in compositis spiritualibus in respectu ad propriam materiam: Tum quia illæ, causæ efficientes nullatenus, etiā in primo causationis instāti,exigūt connaturaliter suos effectus, vt præsuppositos, sed vt merè consequentes ad esse, seù ad entitatem illarum propriam, & intrinsecam, earūq;actum primum, vndè semper,aùt fere semper sunt ex se natę existere naturaliter sine ipsis, nisi fortè hę sint propriæ passiones earūdē:at verò illa forma ponitur ex se connaturaliter exigere vnionē cum propria materia perpetuam, non tanquam cum effectu merè consequenti ad esse, & entitatem

talis formæ, sed potius cum entitate aliquo modo præsupposita ad ipsam, quandoquidem materia dicitur esse fundamentum naturæ, quam forma respicit, vt suũ receptiuum: Tum quia in entitatibus illarum causarum nullas est reperire rationes inuicem repugnantes, cùm nullæ prorsùs tales in ijs appareant; illi autem formæ verè inessent duæ rationes inter se repugnantes; si quidem illa supponitur esse forma substantialis spiritualis, ac subsistens, quæ proindè necessariò debet ex se esse nata naturaliter aliquando per se sola existere exercendo, & explicãdo per naturam munus subsistentiæ, cum non possit intelligi ens naturaliter per se subsistens, cui tamen nunquam conuenire possit, vt per vires naturæ per se solũ existat, sed sit sẽper subiecto alligatum; quod enim nouum, & nũquam auditum, & semper vile, & infimum subsistentiæ genus hoc foret? ob aliud verò caput, quia eadem forma foret connaturaliter exigens vnionem perpetuã cum sua materia, ratione cuius peteret esse ipsi semper alligata, iam proptèr hanc eius exigentiam, & perpetuam alligationem per nullas naturæ vires fieri posset, vt ipsa aliquando etiam per vnum instans, per se sola existeret; vndè necessariò foret per se ipsam, seù ex parte sua omninò impotens ad sic existendum, & non tantum ratione communicandi esse ipsi materiæ; vndè de necessitate esset forma, non spiritualis, sed pure materialis. Id autem, quod additur de essentia diuina, est longè dissimile: hæc enim ex sua infinitate, seù infinita perfectione, ac fęcunditate est communicabilis tribus personis, non quomodocunque, sed per identitatem cum ipsis: neque hanc communicationem, ac personas exigit per identitatem tanquam aliquid ab ipsa aliquo modo, aùt signo præsuppositum; sed potius ipsa essentia habet intelligi, vt aliquo modo secundum rationem præsupposita ad ipsas: & demum ea exigentia nullo modo est repugnans alicui alteri perfectioni in tali essentia inclusæ, imò tali essentiæ, quæ est extra omne genus, omninò repugnat dependere: secus est in prædicta forma spirituali, quæ neque ex aliqua infinitate sua, aùt fæcunditate est communicabilis suæ materiæ, nec per identitatem: neque ad eam præsupponitur, sed illam præsupponit aliquo modo: & insuper exigentia vnionis perpetuæ cum tali materia est repugnans alteri prædicato eiusdem formæ, nempè spiritualitati substantiali, ac subsistentiæ ipsius, vt dictum est. & præterea formæ, vt sic, ex suo genere non repugnat pendere in suo esse à materia.

Obijcies tertio. modi rerũ secũdũ aliquos auctores possũt creari, quia quamuis non possint produci nisi, vt vniti, & affixi suis subiectis, cum hæc vnio, & affixio, seù adhæsio sit ijs essentialis

in

in omnium sententia; tamen produci possunt absque dependentia à subiectis, eorumque causali influxu, cùr enim hoc repugnet? cũ alius sit conceptus vnionis, seù affixionis ad subiectum, alius verò dependentiæ; quæ profectò, prętęr vnionem importat influxum causationis terminatum ad rem, aùt modum vnitum; ergo proportionaliter loquendo, benè potest dari, seù produci aliqua forma substantialis, vt connaturaliter vnita suæ materię semper, seù vt natura sua exigens vnionem perpetuam cum ipsa, non substentatiuam, sed exclusiuam substentationis, dependentiæ, & influxus causalis ab eadem; vnio enim secundum se has rationes non importat, sed solùm simplicẽ nexum vnius rei cum alia.

Respondeo nego antecedens; quæ enim maior dependentia, aùt clarius signum maioris dependẽtiæ à subiectis intelligi potest in entibus natis dependere; cuiusmodi sunt modi rerũ, quàm quod ea dum existunt, sint semper, essẽtialiter ijs vnita, & affixa, ita vt per nullam potentiam, etiam absolutã, possint sine ijsdem, seù sine actuali vnione, & affixione ad eadem existere? Certè si hoc non est euidens signum, nec sufficiens ratio actualis, ac necessariæ dependentiæ, iam nulla naturali via sciri, aùt argui posset formas substantiales materiales; & etiam formas accidentales; & adhùc modos ipsos connaturaliter dependere à suis subiectis; semper enim dici posset, hæc omnia ex se connaturaliter exigere tantum informationem, & actualem vnionem simplicem ad sua subiecta absque vlla vera dependentia ab ijsdem, vtpotè superflua, & ex nullis indicijs collecta; cum hoc discrimine, quod formæ illę, quia sunt verè res, & entitates distinctę realiter à subiectis huiusmodi vnionem exigunt solùm connaturaliter, ita vt per naturam non possint sine ipsis existere, non verò essentialiter; vndè per Dei potentiam possunt existere separatę: modi verò, quia entia imperfectiora sunt quantũ ad modum essendi, nec connaturaliter, nec essentialiter separata à subiectis existere possũt, absq; vlla mistione dependentiæ, aùt influxus in genere causæ materialis. & sanè qui ita diceret, conuinci non posset. Hoc autem est absurdum. Nos enim ex hoc solo vnico capite, & signo colligimus, omnia prędicta connaturaliter dependere substentatiue à suis subiectis, quia videmus, aùt scimus, ea, dum existunt, semper esse vnita suis subiectis, & hanc vnionem ex se exigere, nec per naturæ vires posse separata ab ijs existere. Imò hoc est commune omnibus effectibus cõparatis ad causas; quia enim hi nõ possunt, saltèm in primo suo esse, connaturaliter sine ijs, aut æquiualentibus existere sine aliquali vnione, seu connexione cum ipsis rectè arguimus connaturalem illorum dependentiam ab ijsdem.

Obicies quartò sicut formæ, vt sic in communi sumptæ non repugnat uniri materiæ unione substentatiua, seu cum dependentia, alioquin nullæ formæ possent sic uniri; ita neque repugnat uniri eidem unione simplici absque dependentia; alioquin nec anima rationalis posset sic vniri; ergo neque hoc repugnat formæ unibili unione perpetua; cur enim perpetuitas unionis, & eiusdem simplicitas, ac puritas sunt incompossibiles?

Respondeo cōcedo antecedens de forma, ut sic, vt supponit simpliciter, sic enim neutra ex his unionibus est illi repugnans, nec est non repugnans, sed ipsa habet se præcisiue ad utramque ex his vnionibus: nego uerò de forma, ut supponit absolutè, tam scilicet pro se ipsa, quàm pro formis particularibus sub ea cōtentis; sic enim unio substentatiua aliquando est illi nō repugnans, imò est conueniens, vt accidit in formis de potentia materię educibilibus; aliquando uerò est repugnans, ut accidit in formis ineducibilibus, quę subsistentes sunt. deinde nego consequentiam cum enim forma unibilis materię unione perpetua, non possit per ullas uires naturæ, quandiù existit existere sine ipsa; hinc conuincitur eam non esse subsistentem, nec natam existere per se solam, etiam per momentum, ac proinde esse naturaliter indigentem talis unionis, & à materia in suo esse pendētem, & ex consequenti esse necessariò materialem; & hęc ipsa est ratio, cur perpetuitas unionis, & simplicitas eiusdem in forma sine dependentia sint inter se repugnātes, ut ex dictis habetur.

Instabis perpetuitas rei non est nisi duratio quędam eius, nec auget rem nisi extensiue in durando intra eadem rationem illius, nec transfert eam in aliam rationem, sed perpetuitas unionis est duratio eiusdem; ergo non auget eam, nisi extensiuè intra rationem unionis; ergo eam non trahit ad vnionem substentatiuam, seu ad unionem dependentię annexam.

Confirmatur quia unio animę rationalis ad corpus gloriosū est perpetua, sicut etiam unio ad corpus damnatorum; & tamen neutra est substentatiua, seu cum dependentia animę in suo esse à corpore; ergo, &c.

Respondeo concedo totum. Nos.n. nondicimus, perpetuitatem unionis, quà pręcise perpetuitas est, & ratione sui, augere eandem aliter, quàm duratiuè intra eandē rationem propriam; nec ipsam transferre in aliam extraneam, ac disparatam rationem, aut de simplici unione transmutare in unionem substētatiuam; sed solùm perpetuitatem vnionis connaturalis formæ, quatenus est connaturaliter exigita in vnione ab ipsa forma, vt indigente eadem ad simpliciter existendum modo connaturali, necessariò trahere secum, aut arguere, & connotare dependentiam eiusdem formæ in suo esse à ma-

à materia; & ratione huius connotati talem vnionem esse substentatiuam, non verò præcisè, ac formaliter ratione perpetuitatis, seù perpetuæ durationis: nam etiam quando vnio est temporanea, & naturaliter dissolubilis, modò fundetur in dicta exigentia, & connaturali dependentia formæ ad simpliciter existendum naturaliter, adhùc vnio talis est substentatiua.

Ad confirmationem non est simile, quia illæ vniones ad illa corpora non sunt perpetuæ ab intrinseco, seù ex natura sua, sed ex decreto, & manutenentia Dei: nec quia perpetuæ, sunt connaturales illis formis, aùt ab ipsis exigitæ ex earum intrinseca, & connaturali indigentia ad simpliciter existendum, sed ex supernaturali, aùt præternaturali dispositione, ac prouidentia diuina.

Dico secundo materiam primã spiritualem repugnare etiam ex capite formæ spiritualis informatiuæ eius ex sua natura, quia scilicet repugnat huiusmodi forma, vtpote continens in se contradictoria. sequitur hoc ex dictis: quia materia prima est propter formã informatiuam, & per se primo est tota instituta, & ordinata ad talem formam sibi correspondentem in ordine ad compositum; ergo si talis forma informatiua ex sua ratione repugnat, & implicat, necessariò etiam repugnat, & implicat materia correspondens informabilis ab ipsa.

Ad rationem dubitandi pro parte negante initio positam dico, esto nulla ex rationibus capite secundo allatis reijcientibus materiam spiritualem ex capite spiritualitatis, aliquid concludat contra formam spiritualem; tamen hanc per rationem hoc capite adductam sufficienter improbari. Ratio autem dubij pro parte affirmante, quod scilicet materia spiritualis repugnet etiam ex capite formæ spiritualis informatiuæ ipsius, nõ est cõtra nos, sed pro nobis

Sed instabis ex Rubiono vbi supra: quia [concedi habet necessariò, huiusmodi Angeli formam posse supernaturaliter à sua materia separari, & separatam posse naturaliter, sicut animam hominis sine corpore, subsistere sine ipsa, & hoc est, ex quo arguitur, animam intellectiuam esse sensitiua, & vegetatiua perfectiorem: quia videlicet separata à corpore, potest naturaliter subsistere sine ipso; nõ autem quia potest naturaliter, videlicet actione secundæ causæ suum corpus per ipsam perfectibile, alterantis, vel totaliter corrũpentis, separari ab ipso alterato, vel corrupto: immò perfectior aegueretur, si corpori, vel cuicumque alteri per ipsam perfectibili incorruptibili vniretur] ergo per hoc, quod forma spiritualis, de qua agimus, sit naturaliter inseparabilis à sua materia, non habetur, quod ea sit minus perfecta, quàm anima rationalis, & quòd non sit subsistens, sed potius, quòd sit per-

 se-

fectior. Nec vrget, quod dicunt Salmaticenses de Angelis tract. 7. disput. 1. dub. 3. nimirum [in formis signum indicans, eas per se subsistere, tantum esse, quod naturaliter sint separabiles à materia, non verò quod supernaturaliter possint, aùt sic separatæ opera ri vt patet in forma ignis, quæ si cũ suo calore à materia separaretur supernaturaliter, tunc sic separata posset operari; & tamen non est per se subsistens; nam contra hoc est, tum primo quia aduersarij diceret, quamuis in formis Angelorum desit hoc signum à posteriori indicans illarum subsistentiam; tamen se habere alias rationes ipsã suadentes, ac probantes, & præcipuè quia nulla relucet implicantia in hoc quod aliquæ formę substantiales sint spirituales, & subsistentes; & tamen per naturam inseparabiles, separabiles verò supernaturaliter; & sic cessat exemplum illud de forma ignis, quam aliunde constat non esse spiritualem, atque adeò, nec per se subsistentem, etiam si supernaturaliter separaretur à sua materia: Tum secundo quia ipsi negarent, naturalem separabilitatem tantum esse signum subsistentiæ in formis, sed separabilitatem, vt sic, præscindentem à naturali, & supernaturali, esse verum signum, præsupposita tamen in ijs spiritualitate aliundè nota: Tertio quia cum dicitur, naturalem separabilitatem tãtum esse signum huiusmodi subsistentiæ, vel sumitur talis separabilitas pro pura dissolubilitate, ac corruptibilitate naturali vnionis inter materiam, & formam; & hoc apertè est falsum, siquidem etiam formæ materiales, ac corruptibiles, quæ non sunt per se subsistentes, sunt naturaliter separabiles à materijs per naturalem dissolutionem, ac corruptionem talium vnionum, cum quibus ipsę etiam formę corrumpuntur, vel sumitur pro dissolubilitate, ac corruptibilitate vnionum, ipsis tamen formis in suo esse remanentibus ac perseuerãtibus in rerum natura; & sic aliunde præcognosci, ac præsupponi debet, tales formas esse per se subsistentes, vt clarè patet in animabus rationalibus, quas esse per se subsistentes, per alias rationes etiam naturales nobis innotescit: vndè idem proportionaliter dici poterit de formis spiritualibus compositorum spiritualium. Tum demum quia dici potest, illud signum naturalis separabilitatis esse quidem signũ sufficiens subsistentiæ in formis supposita tamen harum spiritualitate aliunde innotescente; non tamen esse signum adæquatum, ac præcisum; datur enim aliud signũ eiusdem, nempè separabilitas supernaturalis; præsupposita similiter in ijsdem spiritualitate ex alijs capitibus. Quod inde etiam patet quia si vnionis dissolutio inter animam rationalem, & corpus in aliquo casu non fiat modo naturali, sed supernaturali, ac miraculoso, adhuc, quia talis anima aliunde

de supponitur substantia spiritualis, & immortalis, adhùc hoc esset signum subsistentiæ ipsius, vndè si Deus destrueret vnionem inter animam gloriosam, & corpus gloriosum, quod ab ipso solo non nisi miraculose, ac supernaturaliter sine dubio fieri potest, adhùc hæc foret signum subsistentiæ ipsius; non per se sola, sed vt connotans, ac præsupponens in eadem anima spiritualitatem, immortalitatem, ac subsistentiam alia via nobis cognitam.

Ad instantiam igitur aliter respondetur ex dictis nimirum negando formas Angelorum, seù compositorum spiritualium, si solùm supernaturaliter essent separabiles à materijs, & sic actu separarentur, posse sic separatas naturaliter sine ijs subsistere: quia hoc ipso, quod ponuntur inseparabiles naturaliter, & separabiles tantummodò supernaturaliter, iam necessariò sunt connaturaliter exigentes quandiù existunt, vnionem perpetuam cum materijs, eæque semper ab intrinseco indigentes ad simpliciter existendum modò connaturali, ita vt nunquam per vires naturæ fieri posset, vt etiam per vnum instans, sine tali vnione existerent, vnde forent ad hoc ex parte, & natura sua omninò impotentes, & per consequens essent prorsùs in suo esse à materijs connaturaliter semper dependentes, quæ profectò dependentia cum per se subsistentia nullatenus coherere potest, vt probatum est.

CAPVT IV.

An materia spiritualis repugnet ex capite totius substantiæ completę quà immaterialis est.

Agitur hic de substantia immateriali completa quà præcisè immaterialis est, etiam si nullo modo foret operatiua, nec intentionaliter, nec realiter. & quęritur, an in ipsa repugnet materia prima spiritualis, & similiter forma correspondens, ita vt huiusmodi substantia necessariò sit totaliter simplex, an verò possit esse intrinsece ex his partibus composita. In qua re, quicquid sit de implicantia, vel non implicantia substantiæ spiritualis completę simplicis, quæ non sit operatiua.

Dicendum est, implicare huiusmodi completā substantiam compositam ex materia, & forma spiritualibus. Probatur primo ratione vniuersali, siuè talis materia ponatur sub propria existentia, ac subsistentia, siuè solùm sub existentia, & subsistentia formæ, & totius. Nam talis substantia, vtpotè tota, & totaliter spiritualis esset ob hoc caput simpliciter perfectior omni substantia corporea completa etiā viuēte, etiā homine, proptèr actualitatē in essēdo lōgè maiorē, & maiorē, magisque explicitam oppositionem ad corporeitatem, eiusque po-

potentialitatem, & propinquiorē accessum ad supremum gradum intellectiuum, vt supra capite primo probatum est; ergo ob idem caput forma substantialis eiusdē esset simpliciter perfectior omni forma cuiusuis substātię corporeę etiam anima rationali: ob aliud verò caput eadem substantia spiritualis esset simpliciter minus perfecta, quàm substantiæ corporeæ viuentes, & specialiter sine dubio, quàm homines; & ex consequenti eadem forma eiusdem substantiæ spiritualis esset minus perfecta simpliciter, quàm animæ viuentium, & indubitanter quàm eadem anima rationalis, seù intellectiua, ac proindè substantia illa spiritualis includeret contradictoria.

Secundo probatur idem ratione speciali, supponendo materiā, vbicunque sit habere propriam existentiam, & partialem subsistētiam, & similiter formam. Nam in huiusmodi substantia completa spirituali nihil prorsùs esse posset per quod forma eius esset entitas realiter distincta à materia; ergo verè implicat substantia spiritualis ex his partibus spiritualibus composita, cum euidenter implicet materiā, & formā in cōpositis esse indistinctas, ac idētificatas realiter. Antecedens probatur, quia vt hæ entitates sint inter se realiter distinctæ, debet vna ex his scilicet materia, esse à parte rei receptiua, & informabilis; altera verò, nempè forma, esse receptibilis, & informatiua; ergo entitas materiæ necessariò debet esse ex se minus determinata, & minus cōpleta, entitas verò formę determinatior, ac completior, quippè quæ debet tribuere materiæ, & composito esse determinatum, specificum, ac completum; nec potest alia via rationabiliter explicari, in quo consistat ratio receptiui, seù informabilis, & ratio receptibilis seù informatiui; cum certum sit, neutrum ex his posse consistere in ratione extremi vnibilis ad alterum extremum, quæ sanè ratio est communis vtrique, vndè necessariò dici debet positam esse in ratione indeterminatioris, & incompletioris, & in ratione determinatioris, & completioris, nec aliud potest assignari: Sed in illa substantia spirituali completa non posset materia esse entitas minus determinata, minusue completa, nec forma posset esse entitas determinatior, ac completior; ergo in tali substantia nihil prorsùs esse posset, per quod materia eius esset realiter distincta à forma, seù entitas vnius ab entitate alterius. Minor probatur, quia illa entitas, quæ dicitur materia, si esset minus determinata minusue completa, vtique hoc haberet, vel quia ex se foret entitas indifferens ad plures formas pluraque composita, vel quia esset carens propria existentia, ac subsistentia, quæ sunt quædam determinationes, ac completiones substantiæ; nec potest assignari alia ratio minoris determina-

na-

nationis,ac completionis: illa verò entitas, quæ dicitur forma foret determinatior,ac completior, aût quia ex se esset addicta ad vnam tantum entitatem materiæ,vnumque compositum: aût quia foret habens existentiam, ac subsistentiam propriam, & ideò daret esse specificum composito, nec aliud apparet caput huius maioris determinationis, ac completionis: Nullum autem horum dici potest Non primum; quia ambę illæ entitates connaturaliter forent sibi inuicem æqualiter addictæ, & ad vnum idemque compositum æque coarctatæ; & neutra ex his esse posset ex se indifferens ad vniendum se alijs substantijs in alijs compositis; alioquin illa substantia spiritualis, quæ dicebatur composita ex ipsis, foret naturaliter ab intrinseco corruptibilis, quod esse falsum supponimus; vnde etiam neutra ex ijsdem entitatibus esse posset completior quàm altera; quia hæc maior completio non potest intelligi sine maiori determinatione; in tantum enim formæ sunt natæ complere materias in esse ipsarum, & similiter composita, in quantum sunt entitates non ita indifferentes,& indeterminatæ, sicut materiæ; alioquin nô esset maior ratio, cùr aliquæ ex his magis quâ aliæ diceretur côplere alias, & non vice versa. Nec potest dici secundum, aût tertium; quia iam supponimus, vtramque ex ijs entitatibus habere propriâ existentiam, ac subsistentiam partialem.

Dices primo eas entitates distingui inter se realiter per hoc, quia vna daret esse specificum composito, & hæc est forma: secus verò altera, & est materia.

Sed contra. quia in tantum aliqua entitas, quæ est pars compositi potest dare esse specificum ipsi, & esse forma, in quantum est ex se determinatior,ac completior quàm altera pars; specificatio enim non est aliud, quam determinatio, ac completio rei in certa specie.

Dices secundo entitatem formæ posse distigui, quia affert non quidem propriam subsistentiam partialem, sed modum vltimum completiuum subsistentiæ materiæ.

Sed contra. Tum quia iam sumus extra suppositum. Tum quia re vera modus hic, qui dicitur afferri à forma, non potest esse nisi noua subsistentia partialis, quia est nouus terminus, alioquin tota quæstio erit de voce.

Dices tertio posse illa duo distingui; quia materia foret recipiens vnionem, forma verò foret terminans tantum, non autem recipiens.

Sed côtra primo quia iam supponitur, ꝙ êtitas, seù pars recipiês vnionem, sit simpliciter receptiuâ alterius côpartis, seù êtitatis; Hoc autem suppositum, falsum est; quia non potest ipsa intelligi receptiua simpliciter, nisi ex se sit indifferens ad plura, aût sub alia indeterminatione,& incompletione

næ; vt dictum est. Secundo, quod altera pars, seù entitas sit tantum terminus vnionis, non facit, nec arguit eam esse formam: quia cōceptus formæ poscit, vt ipsa sit ex se determinatior, ac completior quam vim, ac rationem non potest illi tribuere ratio sola termini, nisi aliunde habeatur; cùr enim magis id potest quā ratio subiecti, si cœtera sint paria? Tertio repugnat, vnam, & eandem vnionem recipi in vna ex his entitatibus, & non in altera: quia omnis res ex natura sua receptibilis, superaduenieñs per intimam, & immediatam præsentiam suam duabus entitatibus inter se intime penetratis, necessariò recipitur immediate in vtraque non autem in vna sola, nisi hęc sola aliundè supponatur esse simpliciter receptiua, ac determinabilis ob suam indifferentiam incompletionem, & indeterminationem, secus autem altera; & oppositum repugnat, vt ex se clarum videtur. Sed vnio illa est res ex natura sua receptibilis, siquidem dicitur recipi in illa entitate materiæ, & superaduenit, seù superadditur ijs ambabus entitatibus per suam intimam, & immediatam præsentiā, siquidem vtrique est per se ipsam immediate præsens, & intimata, & ab vtraque æqualiter indistans, & neutra est ex his, quæ sola aliūde supponatur esse simpliciter receptiua, seù habens rationem subiecti indifferentis, incompleti, & indeterminati potiùs quàm altera siquidem ex dictis vna ex his nō est indifferentior, seù indeterminatior, ac incompletior, quàm altera; ergo necessariò talis vnio recipitur immediate in ambabus illis entitatibus, nō autem in vna sola, & oppositum repugnat. & hinc etiam fit; vt neutra ex his possit esse, aùt dici materia magis, quàm altera. Nec refert, quod in brutis potentiæ sensitiuæ sint res receptibiles, & superaduenient per intimam, & immediatam præsentiam entitatibus materiæ, & formæ inuicem intime penetratis; & tamen in opinione multorū recipiantur in sola materia; non inquam hoc refert: quia in tali casu aliunde vna sola ex ijs partibus nempè materia supponitur esse simpliciter receptiua, seù esse subiectū, vtpotè ex se indifferēs, indeterminata, & magis incompleta; secus verò altera pars.

Dices quarto posse illa duo distingui, quia materia esset illa entitas, que diuinitus posset recipere successiue plures formas, licet nō naturaliter. altera verò entitas esset forma.

Sed contra. Tum quia sic etiā dicet alius, illam scilicet entitatē, quam tu vocas formam, esse diuinitus vnibilē successiuè pluribus entitatibus præsertim in opinione dicętium, formam non indiuiduari ex habitudine ad materiam signatā; ac proinde ex huiusmodi capacitate, & indifferentia obedientiali non posse haberi, quod vna entitas sit materia, aùt forma magis, quàm altera. Tum quia materia pri-

prima ex natura sua, & prima institutione, seù principaliter est materia connaturaliter, & in ordine ad compositum sibi cõnaturale non autem solùm obedientialitèr, in ordine ad composita sibi præternaturalia: & similiter forma est connaturaliter forma, & in ordine ad composita sibi connaturalia; ergo materia ex natura sua, & prima sui institutione, & principaliter est indifferẽtior, indeterminatior, & incompletior indifferentia, indeterminatione, & incõpletione sibi connaturali, & sub naturali ratione esse debet connaturaliter determinabilis, ac complebilis à forma; forma verò est opposito modo connaturaliter, & principaliter determinatior, & completior, & non tantum obedientialiter, ac proinde sub hac naturali ratione esse debet connaturaliter, seù secundum potentiã naturalem determinatiua, ac cõpletiua ipsius materiæ.

Dices quinto in Cœlo esse verè entitatem materiæ, & entitatẽ formæ, etiam si ambæ sint æquè determinatæ, & addictæ sibi inuicem, & vni, & eidem composito vnde idem dici posset de materia, & forma spiritualibus in composito spirituali.

Sed contra. Tum quia etiam si in Cœlo illa duo sint eo modo determinata, & addicta; tamen adhùc possunt inter se distingui per hoc, quòd vna entitas non est actiua, & hæc est materia prima; altera verò est actiua, & hæc est forma, quæ proindè est determinatiua, ac completiua compositi in ratione principij actiui; secus accidit in casu nostro. Tum quia licet quælibet ex ijs entitatibus, spectata quoad omnes sui partes collectiue sit æque determinata, & addicta illo modo, sicut altera; tamen in toto illo materiali, seù corporeo potest dici vnam ex his esse materiam, quia ex natura sua, & in quodam priori signo, & absolutè antequam intelligatur informata est indifferens secundum partes sumptas distributiue ad varias partes alterius entitatis, quæ est forma, licet supposita iam informatione, iuxta determinationem primæ causæ nulla pars materiæ sit amplius indifferens, aut in potentia ad alias partes formæ, ac per hoc Cœlum est incorruptibile ab intrinseco, quod tamen in re nostra non potest accidere cum simus in substantia purè spirituali. Tum demum quia Cœlũ, aùt aliud corpus completum, quod non foret operatiuum, non posset esse compositum ex materia, & forma, sed foret simplex, si materia, & forma supponantur vbicunque sunt, habere proprias existentias, ac subsistentias partiales; vnde eadem erit ratio in hoc corpore, ac in toto spirituali.

Dices vltimo, in substantia spirituali completa posse materiam, vtpotè vni formæ, ac composito determinatam, & addictam radicaliter, & inchoatiue, distingui à forma, quæ ponatur ex se eidem

determinata, & addicta formaliter.

Sed hoc non soluit. nam quæro quo sensu materia hæc dicatur determinata, & addicta radicaliter huic composito, & formæ. Vel enim dicitur talis, quia ex se est solùm remotè capax huius formæ huius compositi, fit autem proximè, & vltimatè capax per aliquas dispositiones huius compositi, ac formæ proprias; & iam supponitur, talem materiam esse de se indifferentem ad plures formas, sicut est materia sublunaris, quæ per aliquas dispositiones vltimatè determinatur ad certam formam certi compositi: & insuper debet explicari, cuiusmodi sint hæ dispositiones appropriatiuæ talis materiæ ad talem formã: vel dicitur talis, hoc est determinata, & addicta illo modo, quia de se est determinata ad plures formas diuisim, sed non magis ad vnam, quàm ad aliam, aliuduè compositum: & si sic, iam clarè hæc materia est de se indifferens sicut materia corporea, de qua idē dici potest. vel demum hæc materia dicitur determinata radicaliter, & inchoatiuè non verò formaliter, quia de se, & ex suis intrinsecis est ordinata ad vnam tantum formam vnius tantũ compositi, expectans tamen vlterius determinatiuum, ac completiuum, & si sic est; ergo re vera hæc materia est de se, & intrinsece determinata formalissime, & complete: Tum quia materiã esse de se, & intrinsece formalissimè, & complete determinatam tantum ad vnam certam formam vnius certi compositi, saltèm connaturaliter, nil est aliud, quàm esse de se intrinsece exigitiuam, aùt capacē saltèm connaturaliter, huius formæ tantum, & non alterius: Tum quia aliqua materia per illud fit de se, & intrinsece, non tantum radicaliter, & inchoatiue, sed formalissime, & complete determinata, & addicta ad vnam tantùm formam, vnumque compositum, per quod intrinsece fit primo opposita indifferentiæ intrinsecæ ad plures formas, pluraque composita, & restringitur ad vnum tantum; determinatio formalis enim, & indifferentia formalis per se primo opponuntur: sed materia, de qua agimus, per hanc intrinsecam exigentiam, aùt capacitatem fit primo opposita indifferentiæ ad plures formas, pluraque composita, & restringitur ad vnum tantum, ergo, &c. Tum quia propriè tunc materia potest dici radicaliter, & inchoatiuè determinata ad aliquam formam, & non formaliter, quando materia, quæ de se intrinsece est indifferens, iã virtute agentis est sub aliqua dispositione imperfecta ordinata ad talem formã, quæ dispositio potest adhùc crescere, & intēsiue, ac vltimate perfici, & in hoc sensu verè dici potest talis materia expectare vlterius determinatiuum, ac cōpletiuum dispositiuum accidentale; non enim potest hoc intelli-

gi

gi de substantiali, cum certum sit, materiam non posse intrinsece substantialiter crescere, seù augeri, & per hoc augumentum vltimate determinari, aùt compleri ad certam formam certumque compositũ; ergo totum hoc non potest conuenire materiæ spirituali, quæ de se, & intrinsece ponitur determinata, & addicta vni tantum, formæ vnius compositi, non autem indifferens ad plures formas. Atque ex his infertur materiam spiritualem repugnare etiam ex capite totius substantiæ completæ, quà præcisè immaterialis est, etiam si nullo modo foret operatiua, siuè realiter, siuè intentionaliter.

CAPVT V.

An materia spiritualis repugnet in substantia immateriali, seù spirituali completa, quà intellectiua est, seù ex capite intellectualitatis.

Pars negatiua suaderi potest varijs medijs, quorum Primum est. si repugnat, ideò hoc est, quia materia spiritualis est per modum puræ potentiæ principium indiuiduationis substantię spiritualis, sicut materia corporea substantiæ corporeæ; vndè sicut hæc materia limitat substantiam materialem cognitiuam ad posse cognoscere solùm singularia materialia; ita illa limitat substantiam spiritualem eiusque intellectum ad posse intelligere obiecta spiritualia, non quidem vniuersalia, sed sola singularia spiritualia, licet quia est altior rebus materialibus, possit etiam ipsa cognoscere. Hoc autem est contra naturam intellectus, cuius obiectum est ens vniuersalissimum. Sed hæc ratio non cogit. Tum quia ad summum facit aliquo modo contra eos, qui admittunt materiam indiuiduare, non verò alios plurimos, qui hoc negant. Tum quia esto materia indiuiduet in essendo, non tamen secundum hanc proportionem limitat in cognoscendo; alioquin sicut est ratio contrahens ad vnum tantum indiuiduũ, ita foret limitans ad posse cognoscere vnum tantum singulare: & ratio à priori est, quia virtus, ac natura cognitiua semper est amplior, ac latior in cognoscendo, quàm in essendo, vt constat in omnibus, quæ secundum esse sũt singulares, non verò secundum repræsentare, ac cognoscere: Tum quia esto aliqua forma sit indiuiduata à materia, eiusque pura potentia; non tamen ab ea sola est limitata in cognoscendo; sed est limitata ex natura sua, ac natiua imperfectione: quia sicut materia non habet uim auferendi ab omni forma materiali vim cognitiuã, seù esse cognoscitiuum, vt constat

in formis brutorum ; sed solam vim intelligendi: omnis autem forma incapax cognitionis, est ex sua imperfectione,& intrinseca natura talis ; ita neque habet sola materia vim limitandi in cognoscendo formam cognitiuam ad aliqua obiecta, sed præsupponit ipsam ex suis intrinsecis esse sic limitatam, licet ad talem limitationem etiam materia terminatiue concurrat: Tum quia materia corporea, non quia est pura potētia,aùt pure receptiua,ideò præcise limitat aliquas formas in cognoscendo; sed quia eas substentat,habetque à se ipsa in illarum esse dependentes,ac causatas; vndè quia erga animam rationalem non se habet vt substentatiua, aùt causatiua, sed vt purè receptiua; propterea non ita eam limitat in cognoscēdo,sicut animas brutorū; materia autem prima spiritualis ab ijs qui eam admittunt, ponitur quidem, vt pura potentia receptiua; sed non vt substentatiua, aùt causatiua formæ spiritualis:& hoc deberent impugnare qui volunt parem esse rationem materiæ corporeæ, & materiæ spiritualis in indiuiduando, ac limitando in proprio ordine. & demum ex hac ratione est longe dispar ratio vtriusque materiæ cum in indiuiduando, tum in limitando formas in vi cognitiua. nam in primo si materia corporea indiuiduat, hoc non præstat,nisi vt signata quantitate, & per hanc diuisa in partes in ordine ad diuersas formas variorum indiuiduorum: materiæ autem spirituali repugnat esse sic signatam, ac in plures partes diuisam;sed circa diuersas formas ac diuersa composita spiritualia sunt plures materiæ, ex se ipsis specie distinctę; quò fit vt materia spiritualis indiuiduandi formas, ac composita vim habere non possit: in secundo verò idest in limitando formas materiales cognitiuas materia corporea est magis apta,& idonea, & coarctatiua suo modo,quia in se est substētatiua illarū in se ipsa; & è cōtra tales formę,vtpotè sua natura substentabiles,& causabiles à tali materia eidēque immergibiles, sunt ex se ipsis, & ab intrinseco magis coarctatæ, & restrictæ in suo esse,atque adeò in suis proprietatibus, & in vi cognoscendi. Secùs accidit in materia prima spirituali: hæc enim quia secundum eos, qui illam admittunt,non est substentatiua,nec causatiua, nec alligatiua, aùt immersiua formarum spiritualium in se, ob hoc non est earundem ita coarctatiua: nec vice versa formæ substātiales spirituales,quippè in sua entitate insubstētabiles, & incausabiles à materia, sūt ex sua formali ratione minus coarctatæ, ac proinde magis amplæ, ac latæ in sua virtute cognitiua,vt patet in anima rationali, quæ quia spiritualis est,ne à materia quidem corporea, quam informat potest ratione suæ amplitudinis, in virtute intelligendi totaliter coarctari, licet possit aliqualiter impediri, aùt retar-

tardari; ergo multo minus formæ spirituales substantiarum purè immaterialium, quæ perfectiores, & ampliores sunt coarctari, limitari, aùt impediri in sua vi intellectiua vllo modo possunt à proprijs materijs spiritualibus, vi potè illarum naturæ magis proportionatis.

Secundum medium. si in substantia spirituali completa repugnat quà intellectiua est, materia spiritualis, ideò etiam est, quia talis substantia est totaliter intellectiua; ergo totaliter est expers qualiscunque materiæ, etiam spiritualis. Patet consequentia, tum ex eo, quia q est, non totaliter, sed solũ secundũ partem intellectualẽ, vt homo secundum animam rationalem, debet secundum illam esse expers cuiuscunque materiæ, etiam spiritualis; ergo quod est intellectuale totaliter, necessariò est totaliter expers, &c. Tum ex eo, quia dicta substantia hoc ipso, quod est totaliter intellectualis, inter omnes creaturas magis appropinquat Deo ex Dionysio cap. 4. Cœlest. Hier. participat enim in in Deo gradum nostro modo cõcipiendi perfectissimum; ergo caret omni materia prima, etiam spirituali; hæc enim cum sit pura potentia, est res inter omnes substantiales magis distans à Deo, actu purissimo. Sed neque hæc ratio cogit. nam si ly totaliter, idẽ sonet, quod purè, per positionem scilicet intellectualitatis, & exclusionem cuiusuis alterius virtutis cognitiuę; sic verum est antecedẽs illa enim substantia est purè. & solùm intellectiua, non autem sensitiua, aùt alio modo cognitiua: Sed mala est consequentia; ex eo enim quod aliqua substantia sit purè, ac mere intellectiua absque alia vi cognoscendi bene sequitur, quod sit expers materiæ; non autẽ materiæ spiritualis: potest enim ea natura esse constans ex forma spirituali mere intellectiua, & simul ex materia spirituali. Prima autem probatio consequentiæ non procedit propriè cõtra hunc sensum, sed si quo modo procedit, dicitur, esse disparitatem inter intellectuale secundum partem, vt est homo secundum animam, & intellectuale totaliter, quia in primo illa pars non est totum completũ, sed mera pars, & sic necessariò est expers compositionis ex materia: secus est in secundo, vt patet. Adde, quod multi volunt animam esse compositam.

Ad secundam verò dicitur, substantiam completam, ex hoc quod est totaliter intellectiua, inter omnes creaturas magis appropinquare Deo ob participationem gradus perfectissimi, sed tamen iuxta capacitatem suam, ac modũ sibi aptum, ac proportionatum, qui secundum multos non potest præscindere à compositione ex forma, & materia spiritualibus, & in hoc est excessus super omnes alias substantias: vel certe dici potest, omnem quidem substantiam completam intellectualem actu exi-

existentem, inter omnes alias creaturas magis appropinquare Deo, & ex consequenti carere materia prima, etiam spirituali, quippè quæ cum sit pura potentia inter omnes res substantiales est magis distans à Deo actu purissimo; & hæc videtur esse mens Dionysij: sed tamen de possibili dari etiam posse alias substantias completas intellectiuas minus perfectas, quę in accessu ad Deũ excedãt omnes alias creaturas corporeas, aut ad corpus ordinatas, nõ tamẽ omnes creaturas simpliciter, sed in hoc excedãtur à substãtijs intellectiuis cõpletis actu existẽtib. ac proindè tales substãtiæ possibiles benè intelligi possũt esse cõpositæ ex forma, & materia spiritualibus, nulla enim hìc relucet implicantia, & quoad hoc excedere res corporeas, & simul excedi à substãtijs cõpletis spiritualib. actualib. Si verò ly totaliter, idẽ importet, quod secundum se totam, seù integrè, quoad omne in ipsa substantia substantialiter inclusum, ita vt substantia intellectiua completa sit intellectiua, seù sit principium elicitiuum, ac receptiuum intellectionis secundum se totam adæquate, seù secundum totam suam entitatem; in hoc sensu falsum est antecedens. non enim hoc est necesse ad illius substantię intellectualitatem, sed sufficit si sit intellectualis secundum aliquid sui, scilicet secundum formam spiritualem, etiam si in essendo sit substantia completa; constans ex tali forma, & materia similiter spirituali receptiua ipsius.

Tertium medium. si materia spiritualis repugnat maximè est ex eo, quia substantiæ intellectuales completæ sunt inter omnes creaturas altissimæ; vt patet de Angelis; ergo inter omnes illas magis participant de ratione essẽdi; quanto enim aliquid in entibus est altius tanto magis habet de ratione essendi; ergo tales substãtiæ magis etiam participant de actu, quàm aliæ; actus enim est potissima ratio essendi; non enim simpliciter esse dicimus, quod est in potentia, sed solùm, quod est in actu; ergo etiam huiusmodi substantiæ sunt magis remotæ à pura potẽtialitate, quàm aliæ res; quod enim magis participat de actu, magis etiam distat à pura potentialitate; ergo tandem carent materia prima, etiam spirituali; quia quod magis participat de actu inter creaturas, & est magis remotũ à pura potentialitate, oportet quod ita sit actus, vt non constet ex aliquo, quod sit pura potentia. Sed neque hoc vrget. Tum quia dici potest, eas substantias esse altissimas iuxta modum ipsis possibilem, ac proindè secundum hũc etiam modum participare magis, quàm alias creaturas, de ratione essendi, ac de actu: hìc autem modus est quidem exclusiuus puræ potentiæ corporeæ, ob quam exclusionem est altissimus respectiue ad res corporeas; non tamen est carens omni pura potentia etiã spi-

spirituali, quia id repugnat substantiæ creatæ, aùt creabili completæ: tum quia concedi posset omnes substantias intellectiuas iā creatas,esse absolute altissimas,& participare de ratione essendi,& actualitate absque vlla pura potentialitate:non esse tamen impossibiles,aùt repugnantes alias substantias intellectiuas minus his altas, ac proindè constantes ex materia, seu pura potentia,& forma spiritualibus: quæ tamen forent altissimæ comparatiue ad res corporeas,& iuxta hunc sensum Rubionus in 1. dist. 44. q. 1. loquens de substātia Angelica,sic ait [Posset dici, quod Augustinus vocat illam substātiam propter Deum, qua nulla alia nobilior est de facto, sicut est natura Angelica:& è conuerso illam vocat propè nihil qua nulla alia est imperfectior similiter de facto, qualis est materia.]

Quartum medium. materia prima non foret otiosa, seu superflua essentialiter in substantia purè intellectiua, ergo ob hoc caput malè à multis dicitur in ipsa repugnare. Antecedens probatur primo quia licet hæc materia non posset deseruire formæ talis substantiæ, vt ministrans ei species sensibiles, cum harum illa sit incapax: nec vt recipiens species intelligibiles, quippè quæ connaturaliter, vel saltem connaturalius petunt recipi in intellectu, quia hanc potentiam determinare debent ad intellectionem, quod cōnaturalius præstant inhærendo ipsi,quàm materiæ distinctæ;bene tamen posset ipsi deseruire ad vtēdum ijs speciebus, & ad eliciendas suas intellectiones, & operationes secundum statum sibi connaturalem, ac debitum, qui est quod possit operari in suo toto, atque adeò, vt vnita materiæ. Secundo idem probatur, quia id, quod potest deseruire alicui substantiæ intellectiuæ, quā intellectiua est,vt sit totaliter, seù secundum se totam intellectiua, non potest esse essentialiter illi otiosū aùt superfluum,imò est ipsi maximè connaturale,ac necessarium, facitque ad maiorem illius perfectionem, quia perfectior intelligitur esse talis substantia, si sit intellectiua totaliter, seù secundum se totam,quantum fieri potest,quàm si sit intellectiua solùm secundum partem,vt ex se patet: sed materia prima spiritualis posset hoc modo deseruire alicui substantiæ intellectiuæ,saltèm ex possibilibus, quà intellectiua est,ergo non potest esse illi otiosa, &c. Minor suadetur; quia quamuis materiæ primæ,etiā spirituali; vtpotè nullatenus actiuæ, repugnet deseruire totalitati intellectualitatis eius substantiæ per modum principij elicitiui, ac receptiui intellectionum, quæ res vitales sunt; tamen cum ipsa sit primum subiectum spirituale cōtentum intra ordinem rerum non sensibilium,sed intelligibilium, in quo ordine sunt etiam species intelligibiles,atque adeò in spiritua-

li-

litate, & intelligibilitate sit ijs proportionata, ac vniformis, non apparet, cùr illi repugnet esse, & poni vt receptaculum hujusmodi specierum; quo stante benè potest esse conferens, ac conducens eidē substantiæ ad hoc, vt sit intellectiua totaliter, seù secundum se totā quia sic per formam substantialē, eiusque potentiam erit intellectiua tanquam principium elicitiuū, ac receptiuum actuum intelligendi, & per ipsam materiam spiritualem erit intellectiua per modum subiecti ministrantis ipsi species, seù formas intelligibiles omninò necessarias, ac deseruientes ad cōpletam intellectualitatem. Vndè etiam fit, vt re vera connaturalius, ac conformius sit dictæ substantiæ esse receptiuam immediatè talium specierum per propriam materiam spiritualem, quàm per potentiam intellectiuam: quia licet habendo respectum ad solam hanc potentiam præcise, videatur connaturalius esse his speciebus recipi immediate in ipsa sola, vt ipsam possint determinare ad suas operationes; tamen absolutè haberi debet respectus ad id, quod in illa substantia principalius, ac præstantius est; quod sanè est totalis intellectualitas eiusdem, quę melius habetur, ac saluatur ponēdo eam materiam, vt immediatū subiectū specierum, quam si hoc subiectum dicatur esse potentia sola intellectiua: quæ insuper hoc posito, sufficientissime determinatur ad suas functiones, per hoc, quod forma substantialis illius substantiæ informata sua potentia intellectiua est immediate informans talem materiam, ac pröindè vtraque est intime præsens, ac penetrata cum eadem, & cum speciebus intelligibilib. nec esse necesse has species ad determinandum intellectum immediate tali potētiæ inhærere; cum secundum opinionem satis probabilem, species sensibiles sensationibus deseruiētes benè determinent potentias sensitiuas ad ipsas, etiam si sint receptæ, non immediate in potentijs sensitiuis, sed in solo organo corporeo, atque adeo in materia prima corporea certis dispositionibus affecta: sicut etiam in nobis phantasmata, quæ sunt immediate recepta in subiecto materiali, seù organo secundum multos auctores, adhuc determinant intellectum agētem ad causandas in intellectu possibili species intelligibiles: & ratio est, quia hæc determinatio est per coefficientiam; vndè hoc bene præstari potest, etiam si siuè species, siuè phantasmata non recipiantur in potentia ipsa operatiua, sed satis est per præsentiam, & intimitatem, & concomitantiam sint illi connexa. Nec obstat, quod in nobis species intelligibiles sint receptæ immediate in solo intellectu, & hoc modo ipsum determinent; est enim magna disparitas, tum quia nos non sumus intellectiui totaliter, seù secundum ambas nostras partes, sicuti est prędicta substantia intellectiua, sed so-

solùm secundum partem tantum, neque secundum animam rationalem, tum quia materia nostra nō est spiritualis, sed corporea, ac proinde est subiectum omninò ineptum ad recipiendum immediatè species intelligibiles, quæ spirituales sunt. quod etiam ex eo patet, quia homo aliter est intellectiuus, & aliter sensitiuus: primum enim habet per formam, eiusque potentiam intellectiuam: secundum verò habet tum per formam, quà sensitiua est eiusque potentias sensitiuas, tū per materiā, seù per organa vt receptiua specierū sensibiliū. Tertio probatur idem antecedens principale. quia id quod deseruit alicui rei ad finem principalem, proptèr quem illa res est per se instituta, & principaliter ordinata non potest esse, aùt dici illi essentialiter superfluum, aùt otiosum, etiam si non deseruiret ad aliud, imò est illi maximè connaturale, debitum, ac necessarium, vt per se clarum videtur: sed illa materia spiritualis deseruit ad finem principalem, ad quem forma substantialis dictæ substantiæ intellectiuę est per se instituta, & principaliter ordinata, qui est constituere, & complere totum, nempè substantiantiam ipsam intellectiuam, seù speciem essentialem eius, quod sine materia spirituali fieri non potest; ergo, &c. Atque hinc sumi potest

Quintum medium parum dissimile. repugnantia talis materiæ spiritualis si qua foret, præcipuè haberetur ex eo, quia omnis compositio ex materia, & forma eò essentialiter tendit, vt forma aliquā perfectionem mediante materia acquirat, quam forma ipsa non haberet ex se, nequit enim vnum intrinsece ordinari ad aliud, nisi proptèr aliquam perfectionem, quā recipit ab illo; proptereà n. ordinatur, quia est in se imperfectū, & indiget illo, vt perfectionem in se acquirat: sed forma substantialis substantiæ purè intellectiuę completæ, nullam perfectionem mediante materia spirituali acquirere potest, quam in se non haberet; quia nec posset perfici in suo esse, cum ipsa sit independentior à materia, quàm anima rationalis; nec in suo operari, quia tàm intelgere, quàm velle, quàm mouere se ipsam sunt actiones immanentes, quæ essentialiter postulant recipi in ipso principio elicitiuo, quale nō est materia, sed forma cū suis potētijs; ergo nequit in tali substātia intellectiua dari compositio ex materia spirituali, & forma spiritualis, ac proindè talis materiæ est repugnās. Sed re vera neq, hinc surgit repugnātia: tū quia vniuersaliter non est necesse, formam perfici simpliciter in esse suo ex vnione ad materiam, quod notauit Incognitus in 4. dist. 49. q. vnica a. 1. sic [vnio animæ ad corpus non est finaliter proptèr perfectionem animæ, sed perfectionem totius consurgentis ex istis partibus, & ideò licet nulla perfectio possit acquiri, vel accrescere huic parti, vel il-

li, quæ non possit haberi sine tali vnione; tamen talis vnio non est frustra, quia perfectio totius, quæ principaliter attenditur à natura, non potest haberi sine tali vnione Bassolis etiam in 2.dist.14.q.2. ad 1.sic ait [quando dicitur, quod forma non vnitur cū materia, nisi proptèr aliquam perfectionem, quàm consequitur ex vnione ad illam, dico quòd hoc est falsum, quia forma in se nullam perfectionem consequitur ex vnione sui ad materiam; sed finis vnionis est entitas, & perfectio compositi] Tum quia etiam hæc ipsa conseruatio huius finis est magna perfectio ipsius formæ, & proptèr hoc est indigēs materia, esto in se ipsa non perficiatur in suo esse per dependentiam ab illa; & propter hoc Caietanus 1.par.q.89.a.1. dixit [verum est partes esse proptèr totum, & vniri proptèr melius totius: cum hec tamen necessariò exigitur, vt verum etiam sit, quod materia sit proptèr formam, & quod vnio partium sit etiā proptèr melius formæ. Tum quia constitutio, & completio speciei ipsius compositi, quæ habetur per formam in materia, est primarium bonum, secundum verò est perfici in operatione: Vndè S. Thom. q. vnica de anima a. 1. ad 7. [Anima inquit, vnitur corpori, & proptèr bonum, quod est perfectio substantialis, vt scilicet compleatur species humana; & proptèr bonū, quod est perfectio accidentalis, vt scilicet perficiatur in cognitione intellectiua, quam anima ex sensibus acquirit.

Similiter nec est necesse vniuersaliter formam substantialem perfici simpliciter in operari ex vnione ad materiam tanquam per subiectum immediatum operationum, aut per administrans ea, quæ sunt præerequisita ab ipsa forma ad simpliciter operandum; sed sufficit si perficiatur hoc modo, vel alio, nempè ad hoc, vt forma sit operatiua secundum sibi maximè connaturalem modum, nempè in suo toto includente etiā ipsam materiam; seù vt forma sit constitutiua totius compositi in ratione operatiui principalis, vt quod, iuxta ea, quæ dicit Caietanus 2.de anima com.7. [compositum est propriè, quod est suppositum: forma autem est propriè, quod est vt principium formale: vel compositum est propriè, quod est denominatiuè: forma est propriè, quod est formaliter.

Sextum medium. Repugnantia, si est in proposito, est etiam ex eo, quia perfectio cuiuslibet substantiæ intellectualis, in quantum huiusmodi, est intelligibile, prout est in intellectu, nempè secundum speciem, seù formam intelligibilem; & ex consequenti ea tantum potentia conuenire debet tali substantiæ, quæ sit perfectibilis immediate, & directè per has formas intelligibiles aptas profectò repræsentare etiam rationes vniuersales obiectorum, & non solū particulares: potentia verò substā-

tia-

tialis, quæ sit primo, & per se, immediate, ac directè perfectibilis à formis realibus substantialibus, quæ sanè particulares, & indiuiduæ sunt, repugnet omni illi substantiæ, vt intellectualis est: sed materia prima spiritualis est huiusmodi potentia; ergo est repugnans tali substantiæ, in quantum intellectiua est. Sed neque hoc est vrgens, tum quia licet perfectio substantiæ intellectualis, vt sic, sit intelligibile per sui speciem intelligibilem; tamen talis perfectio est illi conueniens secundum naturam, seù modum essendi illius, nempè simplicem, vel compositum in essentia sua; vndè aliqua substantia intellectualis potest, vt pars simplex in essendo perfici per intelligibile, & sic est anima intellectiua; alia verò perfici vt totum, & hęc substantia potest in essendo esse composita ex materia, & forma spiritualibus & sic non repugnat illi potentia substantialis ad formam realem per se, & immediate ordinatam: sicut etiam si perfectio sensitiui, quà sensitiuum est sit sensibile secundum quod in sensu est per speciem sensibilem; tamen quia talis perfectio perficit ipsum sensitiuū secūdū naturam, & modum essēdi illius in ẽtitate sua; hinc est, quod in sēsitiuo pręter potentiam perfectibilem per species sensibiles datur etiam necessariò potentia substantialis, nēpè materia prima corporea perfectibilis per formā substātialē sensitiuam, ad quā rectè, & immediatè ordinatur. Tū quia etiam si cuiuslibet substantiæ intellectiuæ, vt sic, conueniat potentia perfectibilis intentionaliter, seù intelligibiliter per species quæ sint vniuersales in repræsentādo; nō tamē ob hoc repugnabit illi alia intrinseca potentia substantialis perfectibilis per formam realem singularem, & indiuiduā, & nullatenus vniuersalem: quia hæ duæ formæ, cum sint inter se diuersi ordinis, scilicet intētionalis, & realis, non est cur inuicem sint incompossibiles.

Dicendum tamen est materiam spiritualem repugnare in substantia immateriali, seù spirituali completa, quà intellectiua est, seù ex capite intellectualitatis. Ita tenent omnes, qui volunt, Angelos esse substantias simplices omnis materiæ primæ, siuè corporeę, siuè spiritualis expertes, qui auctores in tractatu de Angelis passim referuntur.

Primum fundamentum. Illa materia prima est conueniens substantiæ completæ cognitiuæ, seù toti cognitiuo, vt cognitiuum est, quæ etiam est apta ad ministrandum illi species intentionales connaturales necessarias immediatas, aùt certe alias species mediatas ab ijs præsuppositas in statu connaturali cognoscendi; sed materia prima spiritualis nō est apta ad ministrādū dictę substātię, seù toti cognitiuo intellectiuo, vt sic, species intentionales connaturales, necessarias, siuè immediatas, siuè mediatas

præsuppositas in statu connaturali intelligendi; ergo talis materia non est conueniens huic substantiæ, seù toti, &c. ergo est ipsi impertinens, ac superflua. ex alio verò capite non est illi impertinens, nec superflua, sed summè necessaria, cum sit pars essentialis eius, vndè necessariò est implicãs, ac proindè repugnans in substantia completa, seù toto cognitiuo intellectiuo, qua intellectiuum est, seù ex capite intellectualitatis. consequentiæ patent. Maior probatur tum in substantia completa cognitiua, seù toto cognitiuo purè sensitiuo; huic enim conuenit materia prima corporea, quæ est apta, & ad constituendum ipsum totum, & ad sustentandum immediate eius formam, & fortè etiam potentiam sensitiuam, & insuper ad ministrandum ei per varias partes per modum subiecti sustentantis, siuè proximè, siuè remotè, adæquate, vel inadæquate species intentionales sensibiles connaturales necessarias ad cognoscẽdũ acceptas ab obiectis sẽsibilibus, quę cũ sint materialia, nata sũt vtiq; agere in materiã corporeã secũdũ diuersas eius partes, nempè diuersa organa: Tum etiã in homine, quia est substantia cõpleta cognitiua rationalis, cui conuenit materia, nempè corpus, quod & est receptiuum formæ scilicet animæ rationalis, cum qua constituit totum, & etiam est aptum illi ministrare immediatè varias species sensibiles externas à sensibus, & obiectis sensibilibus acceptas; & insuper species sensibiles internas ab his deriuatas in sensus internos, propterea enim est tot, tamquam varijs organis, ac dispositionibus instructum, à quibus deindè prę supppositis, virtute intellectus agentis abstrahuntur aliæ species intelligibiles connaturales necessariæ ad intelligendum, ac ratiocinandum. Tũ à priori quia illa materia prima est conueniens illi substantiæ completæ, seù toti cognitiuo, vt cognitiuum est formaliter, quæ necessariò est receptiua formę substantialis huius totius, quà forma cognitiua est formaliter, seù quatenus est forma talis speciei, nempè principij radicalis cognoscendi, & non tantũ vt est entitas quædam substantialis; talis enim forma debet esse apta simul cum materia componere quidem totum in entitate sua, sed tamen etiam, prout hoc totum est substantia quędam completa cognitiua formaliter, nimirum prout est principiũ quod remotum, seù radicale cognoscẽdi, ac proindè natũ habere ea, quæ pertinent, ac necessaria sunt ad cognoscendum secundum statum, ac modum connaturalem talis cognitiui; ergo huiusmodi materia necessariò est etiam apta deseruire tali formæ, ac toti formaliter sumpto in ratione cognitiui; ergo est etiam apta ministrare illi prædictas species intentionales aliquo ex iis modis: quia deseruire formę, seù toti cognitiuo vt formali-

liter est quid cognitiuum, est concurrere ad officium, ac munus cognoscendi ipsius, aùt per modum potentiæ elicitiuæ cognitionis; quod est alienum à materia prima; aùt saltèm per modum subiecti substētātis, & ministrantis species illas intentionales, ac dispositiones: alioquin si materia prima non erit in casu nostro hoc modo apta; iam erit receptiua talis formæ, & compositiua totius merè materialiter, & impertinenter ad rationem cognitiui, vt cognitiuũ est.

Minor verò, quod scilicet materia prima spiritualis non sit apta ad ministrandum dictæ substantiæ species intentionales, probatur. quia omnes species intentionales connaturales necessariè substantiæ completæ intellectiuæ, vt sic, in statu connaturali intelligendi, sunt omninò spirituales, & intelligibiles, & completiuæ intellectus ad intelligendum, & sunt accidentia indigentia immediatò subiecto substentatiuo, vt ex se constat; ergo eiusdem substantiæ intellectus per se solus est huiusmodi subiectum harum specierũ; ergo materia prima spiritualis nō est apta ministrare easdem eidem vt subiectum, quia hoc foret omninò, saltem naturaliter superfluũ, atque adeò per naturę vires impossibile. Prima consequentia probatur, quia talis intellectus, vt hic suppono est longè perfectior intellectu animæ intellectiuæ, qui tamen per se solus est sufficientissimum subiectum substentatiuũ connaturale omnium specierum intelligibilium eius, vt omnes concedunt, ac proindè sic etiam erit per se solus intellectus substantiæ intellectiuæ completæ respectu specierum huius substantiæ, quia vterque intellectus pari modo se habere debet ad species intelligibiles sibi correspondentes; nec materia prima spiritualis potest per suam spiritualitatem imminuere, aùt auferre ab intellectu ipsius substantiæ completæ vim connaturalem, ac sufficientiam in ratione subiecti substentantis, transferendo in se ipsam, cum ex nullo capite sit illi opposita, sed conformis: & neque est contraria potentia talis materiæ; hæc enim cum sit per se ad formam realem substantialem insubstētabilem, vt ponitur, est solùm disparata ab intellectus potentia, quæ tantum est ad formas intentionales substētabiles: alioquin potiori ratione materia prima corporea, vtpotè magis opposita intellectui animæ spiritualis, haberet vim, non quidem transferendi in se, sed tamen omninò auferendi ab ipso aptitudinẽ recipiendi species intelligibiles eius, quæ proindè in nullo subiecto essēt. Insuper probatur eadem consequentia, quia si Deus separet, vt potest, formam intellectiuã à materia prima talis substantiæ completæ, iam si eius intellectus non est dicto modo per se solus subiectum specierum, nullæ protsùs species in illo remanerent, forent

rent enim in ipsa materia sola, in quo sanè huiusmodi intellectus esset longè deterioris, ac vilioris conditionis, quàm intellectus humanus separatus; hic.n. sine dubio in se substentatiue retinet, aùt omnes, aùt multas species intelligibiles antiquas. quod videtur absurdũ. & preterea intellectus substãtię cõpletæ separatus, quia non est minus, imò est magis perfectè intellectiuus, quã intellectus animę, necessarò est saltèm per potentiã substantialem, per se solus sufficientissimum subiectum immediatum specierum intelligibiliũ, quæ à Deo ipsi possent infundi, & per eas esset proximè ex parte sua aptus intelligere obiecta, quod certe non potest nisi irrationabiliter, & temere, & absurde negari. vndè necessariò fit, vt ille idẽ intellectus cui est coniunctus, sit etiam per se solus sufficientissimũ subiectum connaturale specierũ intelligibilium illi statui connaturalium: sicut enim se habet separatus ad species statui separationis accomodatas in ordine ad intelligendum, ita proportionaliter se habet coniunctus, ad species tali statui ad intelligendum accomodatas: nec posset idem separatus intellectus etiam per potentiã obedientialem, esse per se solus subiectum aptum illarum specierum in ordine ad intelligendum, nisi coniunctus foret etiam per se solus aptum subiectum connaturalium specierum similiter in ordine ad intelligendum: sicut non posset separatus, esse intellectiuus obedientialiter aliquorum obiectorum, nisi coniunctus foret naturaliter intellectiuus simpliciter; quia hæc intellectiuitas naturalis præsupponitur ad obedientialem, & per hanc illa eleuatur.

Denique probatur à priori prædicta consequentia; quia vniuersaliter in omni substantia cognitiua subiectum immediatum per se solùm sufficientissimum connaturale specierum intentionalium, est illud, quod stante in eo subiectione proportionata ad agentia harum impressiua, est per se primo proximè ordinatum, & institutum proptèr intentionalia, seù intẽtionales actus cognitionũ, aùt eliciendo, ac substentando immediate in se illos, aùt recipiendo, siuè etiam substentãdo principia ipsa cognitiua; hoc.n. ipso, quod aliqua res habet has conditiones, iam est maximè proportionata in ratione dicti subiecti ad naturam, & indigentiam intentionalium specierum, nec potest fingi alia ad hoc magis proportionata: vndè in homine, vt intellectiuo huiusmodi subiectum immediatum specierum intentionalium intelligibiliũ, est solus intellectus possibilis, qui & est debite, ac proportionate subiectus intellectiui agenti ex natura sua nato illi ipsas imprimere, & insuper est per se primo proxime ordinatus, & institutus proptèr intentionales actus intellectionum eliciendo, ac substentando immediate illas in se ipso: in sub-

stan-

ſtantia verò ſenſitiua, vt ſic, tale ſubiectum ſpecierum ſenſibilium ſecundum probabilem opinionẽ eſt materia prima corporea organi ſic, vel ſic diſpoſita non autem ſenſus; quia licet ſenſus ſit per ſe primo proxime ordinatus, & inſtitutus proptèr actus intentionales ſenſationum, qui materiales ſunt; tamen non habet per ſe primo ad agentia dictarum ſpecierũ impreſſiua debitam ſubiectionẽ aùt potentiam paſſiuam per ſe, ac directè proportionatam, & accomodatam virtuti actiuæ, ac connaturali modo agendi ipſorum; hæc enim agentia, cum ſint materialia, ac corporea, tales etiam neceſſariò sũt ipſorum virtutes actiuæ, ac proindè hanc ipſam rationem trahunt à materia prima corporea, ac quanta, & ab ipſa pendent, quippè quæ eſt prima radix materialitatis, & corporeitatis; atque hinc neceſſariò fit, vt huiuſmodi agentia ſecundum naturalẽ agendi modum ſint per ſe primo, & immediatè, ac directè actiua in talem materiam, & materia ipſa ſit primum paſſiuum, & immediatè immutabile ab ipſis, non ſolùm per actiones, quæ dicuntur purè reales, ſed etiam per intentionales, quæ etiam ſunt reales, & mere materiales, non autem verè ac propriè ſpirituales, & per conſequens receptibiles, ac ſubſtentabiles in materia quanta, ſiuè ſint proximè in ipſa materia, ſiuè in quantitate; id enim parum refert, vt clare patet ex eo, quòd eadem agentia prius quàm immutent intentionaliter per ſpecies ſenſibiles organa ſubſtantiarum ſenſitiuarũ, neceſſariò cauſant immediate eaſdem ſpecies in materia quanta mediorum, nempè aeris, aquæ, & ſimilium, & per hanc quaſi viam has ſimilitudines immittunt in organa, quibus ſenſus ipſi sũt affixi, & ob hanc rationem, nec anima ſenſitiua, vt ſic poteſt poni ſubiectum immediatum prædictarum ſpecierum, quia & caret proportione explicata ad cauſas actiuas earundem: & præterea nec eſt primo, & per ſe ordinata, & inſtituta immediatè proptèr actus intentionales, nec ad ſubſtentandum in ſe vllum principium cognitiuũ ſenſitiuum, vt eſt ſenſus, ſed ad compoſitum ſenſitiuum conſtituendum, licet fortè conſequenter, & ſecundario ipſum ſenſum, ſeù ipſam potentiam ſenſitiuam ſubſtentet, ſi hæc eſt diſtincta à parte rei ab illa.

In propoſito autem noſtro ſubſtantiæ completæ intellectiuæ ſolus intellectus eſt aptiſſimum ſubiectum immediatum ſpecierũ intelligibilium, quia & eſt ordinatus, & inſtitutus per ſe primo proptèr intentiones, ſeù actus intellectuales, vt ex ſe conſtat, & inſuper ratione ſuæ ſpiritualitatis eſt ex ſe ſubijcibilis immediatè per ſubiectionem proportionatam, & accomodatam agentibus impreſſiuis earum ſpecierum; & virtuti actiuæ illorum; quæ agentia ſunt Deus, vel iuxta aliam ſententiam,

in-

intellectus agens eiusdem substãtiæ, quæ agentia sunt spiritualia formaliter ex se ipsis, non autem beneficio alicuius materiæ spiritualis, à qua tanquam spirituali radice, trahant spiritualitatem, cũ ipsa per se sint exclusiua omnis corporeitatis, & quantitatis, in qua exclusione consistit spiritualitas; & propterea non sunt addicta, aùt restrincta ad agendum intentionaliter in vllam materiam spiritualem, sed sunt ex se expeditissima ad sic agendum immediate in omne subiectum spirituale adiuuabile in suo munere per actioné ipsorũ,& consequenter in ipsũ principiũ spirituale proximũ actuum intellectualium,nempè in intellectum ipsum: materia autem prima spiritualis, nec potest esse per se primo ordinata, & instituta proptèr hos intentionales actus, nec ad substentandum vllum principium ipsorum; quia nec est apta substentare formam substantialem, cum hæc ponatur independens, & insubstentabilis ab ea in esse suo,& per consequẽs, nec ipsum intellectum, etiam mediate,alioquin deberet substentare immediate dictam formam, quæ est immediatum substentaculum eiusdem intellectus per se sufficientissimum. quare hæc materia nullatenus poni potest, vt subiectum aptum, & immediatũ, vel etiam mediatum substentatiuũ specierum intelligibilium. Imò nec potest poni, vt subiectum immediatum earundem forma ipsa substantiæ intellectiuæ, quippè quæ non est per se primò, & immediate instituta proptèr intẽtionales actus intellectuales,sed proptèr cõpositũ spirituale etiã si habeat cõformitaté in spiritualitate cũ agentibus earundem specierũ spiritualium impressiuis: bené tamen potest poni, vt subiectum mediatum ipsarum, medio scilicet intellectu, quem ipsa immediate in se substentat, saltèm in opinione ponẽtium potentias cognitiuas tanquam accidentia à formis substantialibus à parte rei distincta.

Secundum fundamentum est materia prima spiritualis non deseruit formæ intellectiuę, vt sit intellectiua simpliciter, neque vt cõstituat totũ intellectiuũ,seù substantiam completã intellectiuã,vt sic; ergo omninò superfluit tali substantię,vt intellectiuæ, atque adeò ex hoc capite est ei repugnans,quia eius essentia,& munus non est aliud quà esse superfluam in illa natura: Antecedens quoad primam partem est certum quia illa forma etiam si diuinitus separetur à tali materia, cum ponatur subsistens, & ab ea, in esse suo independens remanet adhùc intellectiua per se ipsam, non minus,imò magis, quàm anima rationalis, vtpotè minus perfecta. quoad secundam verò partem probatur. quia aùt tale totum cõstitutum dicitur intellectiuum merè denominatiuè, nimirum à sola forma intellectiua, materia inte-

tim prorsùs nihil conferente ad munus intelligendi, sed pure recipiente ipsam formam, aut dicitur intellectiuum magis formaliter, & intime, nempè per ambas has partes, quia singulæ per se concurrunt, & aliquod conferunt ad esse intellectiuum; forma quidem vt principium formale intelligendi; materia verò, vt alio modo ex se necessaria ad operationes intellectiuas. si primum; ergo huiusmodi forma substantialis intellectiua est independentissima ab hac materia, tàm in esse suo, sic enim ponitur ab aduersarijs, quàm vniuersaliter in omnibus suis operationibus intrinsecis, scilicet intellectionibus, volitionibus, & motionibus localibus, per quas se ipsam mouet; ergo re vera ipsa nõ est forma substãtialis incõpleta alicuius cõpositi, seu cõstituti intellectiui, sed est forma substãtialis intellectiua per se solam cõpletissima, & ipsa sola est verum totum simplex intellectiuum, atque adeò inunibile vlli materiæ primæ ad aliud totum substantiale constituendum, vel si per impossibile vnietur, tale totum erit totum per accidens, & merè denominatiuè, & impertinenter se habens ad esse intellectiuum. Hæc consequentia patet; quia nulla entitas substantialis operatiua, quæ tàm in essendo, quam in operando adæquate scilicet in omnibus suis intrinsecis operationibus, est independentissima ab aliqua compar te, potest esse pars incompleta alicuius compositi operatiui, sed hoc ipso est per se solam completissima forma, ac proindè est re vera ipsum totum substantiale simplex operatiuum; tum quia iam æquiualet toti, ita enim se habet, ac si re vera esset aliquod totum perfectum; tum quia aliquod ens substantiale operatiuum esse totum, & non partem, non potest intelligi esse aliud, quàm esse in se tale, vt sit omninò independens ab alio sibi vnito tàm in suo esse, quã in omni sua intrinseca operatione seù vt ipsum per se solùm sit sibi metipsi sufficientissimum ad esse, & ad omne suum intrinsecum operari absque adminiculo alterius sibi coniuncti habentis rationem partis substantialis; & hinc sequitur, hoc totum esse inunibile omni materiæ primæ, &c. Nec valet effugium, quòd ea forma non sit totum, sed pars, quia licet sit independens à materia in esse, & in intelligere, & operari simpliciter; attamen adhùc est egens materia, vt sit intellectiua, seù operatiua in statu sibi connaturali, seù in toto vt patet in anima rationali; Nam contra hoc est primò, quia anima rationalis non est forma pure intellectiua, sed est etiam virtualiter sẽsitiua, & vegetatiua, vndè in actibus sentiendi, & vegetandi est pendens à materia; imo etiam in actibus intelligendi, quos materiæ vnita exercet, est etiam suo modo ab ea pendens, quia & hos elicit cũ cõnexione ad actus phantasiandi, & species intelligibiles à phan-

 tas-

informatib. abstrahũtur: & idcircò nõ mirũ si ipsa per se sit pars,& nõ totũ, & adhoc vt sit intelligens secũdum statum sibi connaturalem primarium, seù in toto, indigeat materia: secus est in alia forma,seù substantia purè intellectiua, quæ in omnibus omninò actibus est à materia independens. Secũdo formam operatiuam esse per se solã operatiuam in suo connaturali statu, non apparet, per quid aliud melius intelligi, aùt explicari possit,quàm per hoc, quod ita sit operatiua,vt semper in operando, seù in omnibus suis operationibus sit omninò independens ab omni alia cõparte, & ipsa per se sola sit sibi ad hoc sufficientissima: ergo hic statuss est illi connaturalissimus; qui enim status magis connaturalis in operando intelligi potest; aùt quando aliquod agens excogitari, aùt fingi potest operari per se solùm in statu sibi connaturaliori, quam quando stantibus omnibus requisitis ad operandũ operatur cum propria, & omnimoda virtute ipsi sufficientissima ad operandum semper,seù omnes operationes suas per se solùm,& ideò exclusiua omnis dependentiæ ab alia comparte?ergo forma illa intellectiua non est pars, sed est per se sola totum intellectiuũ, & est implicantia in adiecto dicere,quod ipsa sit per se solà dicto modo independens in suo esse, & in omnibus suis operationibus ab omni comparte, vtpotè sibi ad hęc omnia sufficientissima; & tamen adhùc ipsa sola non sit totum per hoc præcise, quod per se sola non est operatiua secundum statum sibi debitum,ac connaturalem, qui est operari in toto, seù informando compartem scilicet materiam,quia ipsa sola est re vera perfectè operatiua in toto intransitiue sumpto,quod est ipsamet;quãuis non in toto transitiue,quod superaddit materiam. Tertio forma, quæ exigit materiam non proptèr se, seù proptèr dependentiam ab ea in esse suo imperfecto,& insufficienti sibi, sed proptèr modum operandi ipsi debitum, ac connaturalem,hoc ideò habet, quia eius operationes, vt fiant, & existant secundum modum ijs connaturaturalem,sunt,& in fieri, & in esse proprio dependentes ab eadem materia per proprium concursum adiuuante: sicut enim forma ipsa exigens materiam proptèr esse suum imperfectum, & insufficiẽs ad existendum connaturaliter, necessariò est depẽdens ab ea in essẽdo, seù in ipso suo esse; ita si exigit eandem proptèr modum operandi connaturalem,scilicet vt ipsæ operationes fiant, & existant modo ijs connaturaliter debito, necessariò hic modus, & hæ operationes,quæ vtique sunt accidentia,sunt in suo fieri, & esse dependentes ab ea exhibente concursum suum substẽtatiuum, aùt immediate, aùt mediate alia re ab eadem materia substentata: quia sicut se habet materia necessaria ad esse formę erga formam ipsam ita

ita se habet materia necessaria ad esse operationum erga ipsas. Sed in casu nostro operationes prædictæ formæ intellectiuæ, vt fiant secundum modum ijs connaturalem, & existant, non sunt dependentes in suo fieri, & esse à materia, quia hæc nihil ad eas cōfert, vt supponitur; ergo, &c. & hoc explicatur magis sic: status connaturalis formæ, in operando exigens materiam primam necessariò est etiam connaturalis ipsis operationibus, alioquin his esset connaturalis alius status, nempè fieri sine materia, ac proindè ipsi etiam formæ foret connaturale eas facere, & operari sine materia; quia hæc duo sunt correlatiua, quod est clara implicantia; ergo status ille prior exigens materiam, est ipsi formæ, & operationibus connaturalis singulis iuxta ipsarum naturā seù naturalem conditionem, & habitudinem ad ipsam materiam tāquam ad subiectum, seù receptiuum, hęc enim est ratio materię; ergo formæ substantiali operatiuæ intellectiuæ, quæ ponitur subsistens & insubstentabilis, erit connaturalis, vt purè vnibili cum materia absque dependentia, & substentatione; operationibus verò intellectualib. quia sunt accidētia erit connaturalis, vt vnibilibus eidem materiæ cum dependentia, & inhærentia, & substentatione ab eadem; ergo tandem totum constitutum, non erit intellectiuū mere denominatiue, sed verè formaliter, & intime, siquidem forma, & etiam materia multum cōferret ad intellectiones, quod tamen ex alio capite etiam repugnare mox dicam.

Nec etiam potest dici secundū, quod scilicet illud constitutum dicatur totum intellectiuum magis formaliter, & intime eò quod non solū forma materialis, sed etiā materia sit necessariò concurrens ad munus intelligendi, seù ad intellectiones; id enim de materia falsum est. nam si materia concurrit, vtique concurrit modo sibi proportionato, nempè vt subiectū substentans, aùt ipsas intellectiones, aùt species intelligibiles; hæ enim res omnes sunt accidentia indigentia subiecto substentāte, & spectantia ad munus intelligendi. sed neutro modo potest concurrere; ergo. &c. Non primo modo quia intellectiones sunt actus immanentes, ergo substentabiles immediate in ipso principio à quo proximè fiunt, nempè in intellectu, mediate verò in sola forma substantiali ipsum substentante, non autem in materia, quæ hoc præstare non potest; nam posse substentare accidens aliquod mediate, est posse in se substentare immediate subiectum proximum eiusdem, vt in omnibus constat; materia autem non potest in se substentare intellectum, qui est proximum subiectum intellectionum; hic enim substentatur à forma substantiali spirituali, imò neque hanc formam, quæ vtique insubstentabilis est. Nec secundo

modo potest materia concurrere; nempe vt subiectum immediatè substentans species intelligibiles; tum ob rationes supra allatas; Tum etiā quia si id potest vel hoc ideò est, quia materiæ primæ, cum sit primum subiectum, seù substētaculum, non est repugnans, sed connaturale hoc munus; vel quia si materia substentet species intelligibiles, iam substantia illa intellectiua completa, erit intellectiua perfectius, ac totaliter, seù secundum se totam, per formam scilicet, & materiam, licet diuersimodè concurrentes. Primum caput non valet, tum quia multo minus repugnat, & magis connaturale est intellectum substentare species intentionales intelligibiles immediatè, cum ipse sit magis proportionatus rebus intentionalibus, & sit substentaculum immediatum intellectionum, quarū mediatum est forma; materia verò spiritualis nullo modo est primum substentaculum, cum in nullo spirituali composito sit apta substentare formam spiritualem, quæ ponitur insubstentabilis, atque adeò nec accidentia eius, tum quia intellectui negari non potest munus substentādi connaturalius saltèm inadæquatè dictas species intentionales ob proportionem, quam habet ad eas tanquam determinabile ad determinatiuum, & complebile ad completiuum, qua proportione caret materia; imò in hoc casu hæc ratio etiam ostendit, materiam, ne inadæquatè quidem, posse saltèm ita connaturaliter substentare eas species, sed adæquatè connaturalius substentari immediatè ab intellectu. Secundum etiam caput est falsum quia implicat, quod aliqua substantia intellectiua completa sit intellectiua totaliter. idest secundum se totam, seù secundum ambas sui partes essentiales, cum minori cōnaturalitate intellectualitatis, quam si sit intellectiua solùm secundum vnam partem, nempè formam medio intellectu cum maiori tamen connaturalitate intellectualitatis, quod certè videtur ex se notum: sed si talis substantia, quæ sine dubio est intellectiua per formam, tanquam per principium intelligendi medio suo intellectu, esset etiam intellectiua per materiam tanquam per subiectum substentans species intelligibiles, iam esset intellectiua totaliter quidem, sed cum minori cōnaturalitate intellectualitatis; si verò esset intellectiua solùm per formam etiam tanquam per subiectum substentans dictas species medio intellectu, iam esset intellectiua cum maiori connaturalitate intellectualitatis; siquidem ex dictis eędem species connaturalius substentantur à forma medio intellectu, à materia verò minus connaturaliter; ergo; &c. & breuiter, implicat intellectualitatem ob sui perfectiorem crescere extensiuè secundum ambas partes totius substantiæ, & simul minui secundum connaturalitatem;

quia

quia hæc esset diminutio intensiua, & longè minoris perfectionis. Præterea, si materia esset subiectũ talium specierum, iam hæ nullatenus possent remanere in forma illius substantiæ separata, vt verè posset diuina virtute separari, sed in sola materia, formæ verò sic separatæ, cum sit verè adhùc intellectiua, deberent à Deo nouæ species infundi longè diuersæ rationis receptæ in ipsa sola, medio eius intellectu, & certè perfectiores, vtpotè exigentes perfectius subiectum; ergo si deindè ea forma reuniretur materiæ, vt verè posset, iã substantia illa intellectiua esset apta intelligere tum per species antiquas receptas in materia, tum per nouas receptas in forma medio intellectu; ergo quatenus esset intelligens per species receptas in materia, iam esset totaliter intellectiua, siquidem propter hanc totalitatem in ea subiectiue dicuntur esse; & simul quatenus foret intelligens per species nouas in sola forma medio intellectu receptas; sic non foret intellectiua totaliter idest secundum ambas sui partes, ac proindè esset similiter intellectiua totaliter, & non totaliter; imò esset etiam perfectius intellectiua per species materiæ, quam per species formæ, quod videtur ridiculum, & omninò repugnans.

CAPVT VI.

Explicatur ratio S. Thomæ contra materiam spiritualem.

Alia ratio, seù fundamentum à priori est S.Thomæ quęst. de spiritual.creat.a.1. corp. vbi sic ait [Talis est vniuscuiusque rei potentia, qualis reperitur perfectio eius: nam proprius actus propriam potentiam requirit: perfectio autem cuiuslibet intellectualis substantiæ, in quantum huiusmodi, est intelligibile prout est in intellectu. Talem igitur potentiã oportet in substantijs spiritualibus requirere, quæ sit proportionata ad susceptionem formæ intelligibilis: huiusmodi autem non est potentia materię primæ: nam materia prima recipit formam cõtrahẽdo ipsam ad esse indiuiduale forma verò intelligibilis est in intellectu absque huiusmodi cótractione, sic enim intelligit intellectus vnumquodque intelligibile secundum quod forma eius est in eo. Intelligit autem intellectus intelligibile præcipuè secundum naturam communem, & vniuersalem, & sic forma intelligibilis in intellectu est secundum rationem suæ communitatis. Non est ergo substantia intellectualis receptiua formæ ex ratione materię primæ, sed magis per oppositam quandam rationem]

Di-

Dices formam non contrahi à materia quoad esse indiuiduale, vt hìc supponitur.

Sed contra est. quia quicquid sit de reali forma in essendo, certè verum est de contractione formæ intelligibilis in repręsentãdo. nam materia prima, quæcunque sit, est pura potentia, exclusiua à se, seù à sua essentia actualitatis, saltèm formalis; ergo ob hanc potentialitatem est impeditiua, aùt imminutiua intellectualitatis in forma recepta iuxta naturam talis formæ. Patet consequentia, tum quia cõstat, materiam primam non per aliud, quàm per sui potentialitatẽ à formis materialibus sensitiuis in ea substentatis tollere omninò vim intelligendi, licet enim hæ formę sint ex se incapaces intellectualitatis; tamen hanc incapacitatem habent ex se quidem formaliter, sed tamen non nisi per habitudinem terminatam ad ipsam materiam, seù puram potentiam substentantem; si enim hac habitudine, & hac materia carerent; sed forent ab ea in suo esse independentes, non apparet caput cùr non possent esse etiam intellectiuæ. Tum ex eo, quia videmus materiam primam, seù corpus, etiam si non possit omninò auferre vim intelligendi ab anima rationali, vtpotè ab ea independente, & insubstentabili, attamen illã imminuere ob habitudinem, quam talis forma ex se ipsa habet ad eandem potentiam, seù materiam, vt forma purè receptibilis, & connaturaliter exigens habere suas species intelligibiles à sensibus, & materialibus phantasmatibus acceptas vndè S. Thomas ibidem a. 2. dixit [naturale esse animæ, quod indigeat phantasmatibus ad intelligendum; & a. 5. necessarium esse animam humanam vniri corpori, in quantum indiget operationibus per corpus exercitis ad complementum actualis operationis prout intelligit à phantasmatibus abstrahendo] & q. vnica de anima a. 7. cap. [ad propriam, inquit, operationem indiget, vt fiat in actu formarum intelligibilium, acquirendo eas per sensitiuas potentias à rebus exterioribus] ob quam etiam rationem intellectus hominis est inferior, & minus perfectus quam intellectus Angelicus, quod profectò non foret, huiusmodi habitudine, ac proportione remota. Tum à priori ex eo, quia materia prima, etiam spiritualis, est, vt dixi, pura potentia, seù potentialitas, intellectualitas autem secundum se est magna actualitas cum secundum omnes, vnumquodque in tantum sit intelligens in quantum est actu; ergo hæc actualitas intellectualitatis imminuitur, ac debilitatur ex vnione ad talem puram potentiam; ex ipsis enim terminis patet, actualitatem, quæ ad connaturalem sui existẽtiam est semper exigens coniũctionẽ cum pura potentia materię primæ esse magis diminutam, & imperfectiorem actualitate ab hac coniunctione immuni, cum

ta-

talis actualitas ex hoc commercio reddatur aliquo modo potentialis; ergo hinc non solùm imminuitur, & imperficitur forma substantialis intellectiua in sua intellectualitate, sed etiam potiori ratione debent imminui, ac debilitari in esse repræsentatiuo, seù intelligibili species, seù formæ intelligibiles, quæ ponuntur in esse suo dependentes ab illa potentia materiæ, vt à subiecto non solùm sibi vnito, ac recipiente, sed substentante, ac fulciente. Deindè subdo, & arguo sic. Materia prima spiritualis ratione suæ potentialitatis est imminuens, ac debilitans species intelligibiles in earũ actualitate secũdũ esse repręsentatiuum, & intelligibile: sed hæc actualitas consistit in hoc; quod ipsæ species sunt formæ per quas substantiæ intellectiuæ sunt proximè cognitiuæ obiectorum intellectualiter, ac proindè sunt aptæ natæ, vt sint non solùm ipsæmet, sed etiam vt in esse intentionali, seù intelligibili sint a'ia, nẽpè obiecta intelligibilia; ergo eadem materia est imminuens, ac debilitans dictas species in hac ipsa actualitate; ergo etiam consequenter in amplitudine, ac latitudine repræsentandi; ergo vel eas imminuit, ac debilitat quoad munus repræsentandi singularia, vel in repræsentando naturas cõmunes, & vniuersales: sed non potest dici primum; ergo necessariò dici debet secundum, & per consequens eadem materia ratione suæ puræ potentiæ contrahit, ac restringit easdem species ad esse indiuiduale in repræsentando, ita vt nõ possint repræsentare nisi indiuidua, seù sigularia; vndè etiam fit, vt substantiæ ipsæ intellectiuæ non possint, saltèm naturaliter nisi hæc sola intelligere, non autem naturas communes, quod est absurdum, & contra omnes. Minor subsumpta probatur. Primo quia ne materia quidem corporea species intentionales sensibiles, quas immediate, aùt mediate recipit, ac substentat, potest imminuere quoad repræsentare singularia sẽsibilia, cum constet, sensus hæc cognoscere; licet imminuat circa repræsentare vniuersalia; ergo multo minus potest materia spiritualis imminuere intelligibiles species circa singularia spiritualia impediẽdo scilicet ne ea repræsentẽt Secundo quia substantia intellectiua, vt sic, nullatenus potest priuari vi intelligendi se ipsam, siuè per suam essentiam, siuè per speciem additam, vt constat, nec vi intelligendi ex se ipsa aliquo modo Deum, vt omnes tenẽt: & insuper, nec vi cognoscendi loca in quibus ipsa potest esse; nec vi cognoscendi, tum vniuersum, sibi omninò præsens, tum partes eius, tum alias intelligibiles substantias quia cum his omnibus, quæ sine dubio singularia sunt, continuum habet commercium; ergo nec possunt species intelligibiles à potentia materiæ imminui, aùt priuari vi repræsentandi dictæ substantiæ obie-

obiecta singularia, quod non ita per se patens est de vi repræsentādi naturas vniuersales. Ratio autē à priori est, quia singulę substantiæ purè intellectiuæ, sunt singulares, & indiuiduæ, ergo quodammodo propinquiores illis sunt naturæ similiter singulares, quam naturæ vniuersales, vtpotè minus accedentes ad singularitatem; ergo posse tum remotè, tum proximè cognoscere singularia, est magis per se debitum connaturale, ac per se connexum cum vi intellectiua talium substantiarum, quàm posse cognoscere naturas vniuersales; ergo pariter posse repræsentare substantijs intellectiuis naturas singulares, est magis per se debitum, ac connexum, cum vi repræsentatiua rerum, tā singulariū, quàm vniuersalium; quia hæ species debent esse proportionatæ ijs substantijs; hæ enim non sunt intellectiuæ, nisi iuxta modum repræsentandi harum specierum, & ex consequenti tales species potius debent imminui circa repræsentationem vniuersalium, quàm singularium: & denique hæ species à materia pendentes sunt singulares in essendo, non autem cōmunes, vt clarum est; ergo supposito, quod per talem materiam deberent imminui in vi repræsentandi hoc est priuari aliqua vi repræsentatiua; potius debet imminui in vi repræsentandi vniuersalia, quā singularia, quia hæc sunt illi tum singularitati magis proportionata.

Dices secundo species intelligibiles substantiæ purè intellectiuæ esse perfectiores speciebus intelligibilibus animæ rationalis, quę tamen sunt repræsentatiuæ rerum vniuersalium, neque in hac vi possunt debilitari, cum talis anima sit verè horum obiectorum cognitiua.

Sed contra. quia hoc ipsum est absurdū sequens ex opinione contraria ponente in prædicta substātia materiam primam spiritualem per quam recipiat, ac substentet species illas: hoc enim stante, iam ipsæ, vtpotè in suo esse dependentes, ac substentatæ à pura potentia, sunt ob hoc caput minus perfectæ in sua actualitate, quàm species intelligibiles nostræ, quę à nulla materia, seù pura potentia, sunt in suo esse dependentes, aut substentatæ, licet præsupponant alias species, nempè sensibiles in sensibus nostris, & indè est quod species intelligibiles nostrę non possunt priuari vi repræsentandi naturas vniuersales, licet in aliquo alio debilitentur, in quantum non possunt directè, & per se primo repræsentare nisi res corporeas, & deindè consequenter spirituales. Nec dicant, materiam illam primam esse spiritualem, & ideò non posse debilitare species. nam contra adhuc est, quia ratio debilitandi oritur ex pura potentialitate, seù possibilitate materiæ; hæc enim est, quæ actualitati per se primo opponitur. siuè ergo materia sit corporea, siuè spiritualis, sē-

per

per debilitat proptèr qualiter suas formas. & proptèr hoc Aegidius quodlib. 2.q.22.corp.vniuersaliter sic dixit [cum quicquid corrumpitur,& quicquid debilitatur, hoc fit ratione potentialitatis, non ratione actualitatis;virtutes, & perfectiones formæ, si debilitantur, vel destruuntur, hoc est ratione subiecti, & ratione materiæ, in qua recipiuntur, & non ratione sui, quia ipsæ de se sunt quidam actus. Dicimus enim quòd sicut materia, quæ de se est quædam potentia,cum iungitur formę,quę de se est quidam actus, est perfectior, ita quod perfectibilitas cõpetit materiæ per formam: sic e contrario possibilitas, & perfectibilitas competit formæ per materiam]& paulo inferius concludit, sicut ergo materiæ inest actualitas proptèr formam, ita formæ materiali potentialitas proptèr materiam]

Dices tertio species intelligibiles nostras esse pēdētes ab intellectu nostro tanquam à subiecto, eũ potentia substentatiua, nec propterea ab eo debilitari in vi repræsentatiua vniuersalium,cùr ergo non idem accidit speciebus substantiæ purè intellectiuæ, etiã si sint pendentes à materia spirituali?

Sed contra,quia est latum discrimen,nam intellectus, vt sic,nõ est in essentia sua pura potentia simpliciter, sicut est materia, sed est quid formalius; est enim actus quidam, & perfectio substantiæ intellectiuæ, etiam si sit potentia secundum quid respectu suorum accidentium spiritualium: quod acutè notauit Albertus lib. 3.de anima tract.2.cap.15. vbi ponens varias differentias inter materiam primam, & intellectum possibilē circa suas formas [formæ, inquit, nullo modo similes sunt in materia prima, & in intellectu possibili]& deindè subdit[Primò,& principaliter,quia formæ intelligibiles sunt in intellectu possibili sicut in magis formali per ipsas determinato: formæ autem sunt in materia prima sicut in materiali,in quo subsistere habent] & paulo inferius ponit alias differentias,quarũ vltimam dicit esse [quia formæ, quæ sunt in intellectu possibili, sũt in eo nõ indiuiduatæ,eo quòd non omninò vniuntur sibi sicut subiecto, nec sicut materiæ: & ideò intellectus possibilis non obligatur alicui earum sicut materia,& instrumentum, in quo, & per quod formis suis exerceat operationes,sed remanet liber potēs operari circa eas; materia autē formas, quas recipit, sicut subiectum recipit: & ideò diuiditur in partes per formas, & efficitur per partes obligata cuilibet formæ; & illa exercet operationes suas in ea sicut instrumento, & subiecto: vndè æquiuoce dicitur potentia passiua de materia, & de intellectu]

Dices quarto satis esse, si materia spiritualis debilitet species intensiue, seu quoad claritatem re-

præsentandi, hoc esse necesse, vt debilitet extensiue in repræsentando vniuersalia.

Sed contra. Tum quia hoc est nouum absurdum; hinc enim sequitur species intelligibiles illius substantiæ purè intellectiuæ, vtpotè in suo esse pendentes à materia prima spirituali, esse minus claras in repræsentando, quàm species intelligibiles animæ nostræ, quæ à nulla prorsùs materia prima in suo esse pendent; supponimus enim nunc eas esse subiectiuè in intellectu, non autem in materia spirituali, ex qua sit composita anima. Tum quia benè fieri potest, vt illa materia debilitet eas species quoad vtranque, neque enim apparet, vndè vna debilitatio repugnet alteri; & certe debilitatio extensiua circa vniuersalia iam probata est. & quidem vniuersaliter species intentionalis per hoc, quod est inhærens subiecto sustentanti, quodcunque sit, non potest ob hanc dependentiam aliquo modo non debilitari, cum hinc contrahat aliquam potentialitatē. Proptèr, quod rectè Aegid. quodl. 2. q. 21. [si species inquit lapidis esset in anima, & esset per se existēs, absque eo, quod adhæreret intellectui, efficacius causaret actū intelligēdi in intellectu, quàm faciat; vndè etiam essentia diuina, quæ est in intellectu beatorum, & tamen non inhærens, nec dependens à tali intellectu, ipsa talis existens, efficacius causat actum intelligendi in intellectu beatorum, vt ipsi beati reuelata facie videant essentiam diuinam, quàm faciant quæcunque species intelligibiles in quocunque intellectu creato] si ergo species intelligibiles ex inhærentia, & dependentia ad subiectum actualius, & formalius materia prima, adhùc tamen debilitantur in suo munere; multo magis sine dubio debilitari debent species intelligibiles ex inhærentia, & dependentia à materia prima, quæ est pura potentia.

Dices quintò ex dictis sequi, quod materia prima spiritualis priuet speciem intelligibilem vi repræsentandi singularia materialia, cum præsertim hæc sint improportionata naturæ intellectiuæ, quæ spiritualis est.

Sed tamen hoc non sequitur: nam ex iam probatis vis repræsētandi singularia, etiam materialia, est magis per se connexa cum natura speciei intelligibilis, quàm vis repræsentandi vniuersalia, si species sit in esse suo pendens à materia prima. Neque officit materialitas singularium, tum quia hæc est in ordine inferiori, species verò in altiori: tum quia licet inter hæc sit improportio in essendo; est tamen proportio in ratione repræsentatiui, & repræsentabilis; hæc enim similitudo est, quæ in casu nostro attenditur, vndè benè possunt species spirituales esse similitudines rerum immaterialium. Tum quia quicquid potest virtus cognitiua inferior, potest & superior excellentiori modo: constat

enim

entia sensibilia, quę sensus cognoscit materialiter, ab intellectu cognosci immaterialiter, & idem dicendum proportionaliter de speciebus intentionalibus sensibilibus, & intelligibilibus circa obiecta per eas repræsentabilia.

Dices vltimo, S. Thomam, cum ait [perfectionem cuiuslibet intellectualis substantię, inquantum huiusmodi, esse intelligibile prout est in intellectu, iam supponere, quòd dicta substantia sit receptiua talis perfectionis, quę est forma, seu species intelligibilis, ex ratione ipsius intellectus, non verò ex ratione materię primę; ex qua proinde non possit eadem substātia componi.

Sed hoc nihil est. nam S. Tho. supponit quod verum est, nempe dictam perfectionem esse in ipsa substantia intellectiua significatā per intellectum, vt sępè solet accipi: deinde verò colligit, & probat, rationem, per quam talis substantia est receptiua huiusmodi perfectionis, idest formæ intelligibilis de se communis, & aptę repręsentare etiam naturas vniuersales, nō posse esse materiā primā, quia hęc foret contrahens eam formam ad esse indiuiduale in repręsentando atque adeò destrueret eius communitatem. Ratio igitur recipiendi est aliqua alia, materię primę opposita, nempe ipsamet formalis entitas eiusdem substantię media eius potentia intellectiua.

CAPVT VII.

Soluuntur argumenta, seù media contraria posita cap. 5.

AD primū medium patet ex modo dictis; vna enim ratio cūr repugnet materia spiritualis in substantia spirituali, quà intellectiua est, est quia ea limitaret, ac contraheret species intelligibiles ad esse indiuiduale in repræsentando, ac proindè limitaret etiā ipsam substantiam ad posse cognoscere solùm singularia, quia ex S. Thom. quæst. de spirit. creat. a. 1. [sic intelligit intellectus vnūquodque intelligibile, secundum quod forma eius est in eo] Deindè nego minorem, quod scilicet hæc ratio nō cogat. & ad primam probationem dico, eam rationem facere contra omnes, quia omnes tenentur concedere, quòd materia prima esto non indiuiduet res in essendo, indiuiduat tamen formas intentionales in repræsentādo, atque adeò naturas etiam cognitiuas in repręsentando. Secunda etiam deficit, quia nos non dicimus, materiam limitare in cognoscendo secundum proportionem, qua indiuiduet in essendo, sed ex natiua potentialitate, per quam est impeditiua, aūt imminutiua repræsentationis intentionalis, ac cognitionis, & amplitudinis in cognoscendo, quæ sanè maior, &

 la-

arior est, quàm in essendo, sed ex materia redditur minus ampla, & strictior. Tertia etiam neque vrget, quia licet forma indiuidua, & limitata in repræsentando, & aut cognoscendo; sit talis formaliter ex se ipsa, & intrinseca sua natura; tamen est etiam talis ex habitudine ad potentialitatem materiæ, eiusque connotationem, qua remota, neque ipsa forma esset ex se formaliter talis. Quarta etiam probatio non valet. quia materia corporea tum ex ratione puræ potentiæ, tum ex eo quia substentat in se immediate formas materiales cognitiuas, & forte etiam species sensibiles, limitat eas non quomodocunq; sed immediate, & ad sola singularia materialia, animam verò rationalem, quam non substêtet, sicut nec eius species intelligibiles, tamê adhuc aliquo modo limitat, vt dictũ est; materia verò spiritualis, licet non substentet immediate formas substantiales intellectiuas; tamen quia per aduersarios ponitur, vt ratio recipiêdi immediate, atque adeò substentandi formas intelligibiles earum perfectiuas, iam necessariò est limitans, ac coarctans immediate easdem formas intelligibiles in repræsentando, & consequenter, saltem mediate, substantias ipsas intellectiuas, quæ intellectiuæ sũt, ad singularia spiritualia, & etiam materialia.

Ad quintam probationẽ, quicquid sit de materia corporea in limitando per modum principij indiuiduationis formas materiales in essendo per quantitatem, ac diuisionem, in quo sanè non ita cõparamus materiam spiritualem circa formas spirituales; certe in limitando formas quoad esse cognitiuum circa indiuidua, conueniunt hæ materiæ in hoc, quòd neutra limitat, aut contrahit eas ad esse indiuiduale per modum principij per se directi indiuiduationis in esse intentionali; sed vtraque limitat imminuendo, ac debilitando earum actualitates, & prohibendo ne extendere se possint ad vniuersalia, sed solũ ad singularia, quando formæ sunt ab ea substêtatæ. Discõueniũt verò, quia materia corporea formas à se substêtatas, vtpotè ex sua natura in ea immergibiles, coarctat directè, & immediatè, & strictius, nimirũ ad sola singularia materialia, & quoad hoc est magis apta, & idonea ad coarctandum. Materia verò spiritualis, quia non ponitur substentans formas substantiales spirituales, quæ dicũtur esse ab ea independentes, ideò non potest eas immediate, ac directè limitare, & coarctare ad vlla indiuidua: Attamen quia ponitur, vt ratio recipiendi, & substentandi vt quo species intelligibiles ijs formis deseruiẽtes, ideò immediate, ac directe has species limitat ad indiuidua spiritualia, & materialia, mediate verò, & quasi indirecte ad eadem contrahit formas ipsas intellectiuas.

Ad secundum medium dico, etiam illam rationem, qua probatur

tur repugnare materiam spiritualem in substantia spirituali completa, quia hæc est totaliter intellectiua, esse bonam, si innitatur fundamentis capite quinto positis, siuè dicatur intellectiua totaliter id est pure; siuè totaliter idest secundum se totam, & integre, nam ex primo capite non solùm est expers materiæ primæ corporeæ, quod hic vt certum suppono, sed etiam materiæ spiritualis, quippè, quæ, ex supra probatis est omninò inepta deseruire illi substantiæ, quia intellectiua est, siuè ad ministrandum ei species, siuè ad constituendum cum eius forma totũ intellectiuum, vt sic; ob aliam verò rationem est illi necessaria, atque adeò implicat contradictoria ex secundo verò capite ex eo, quod cadem substantia est intellectiua secundum se totam, seù integre, necessariò fit vt ipsa substãtia completa sit forma simplex, atque adeò totum omninò à se excludens quicquid est ineptum, aut impertinens ad intellectualitatem totalem, & integram, sicut est materia prima spiritualis. Vndè negatur sufficere ad illam substantiam, quod sit intellectualis secundum aliquid sui scilicet secundum formam spiritualem, etiã si in essendo sit substantia completa constans ex tali forma, & materia; quia talis materia ex vna ratione esset impertinens ad esse intellectiuum, ex alia verò esset necessaria, quod implicat. Alia, quæ in illo secundo medio afferuntur, non sunt contra nos, ... Ad tertium medium dicitur, illud neque esse contra nos, qui nũc non probamus repugnare materiã spiritualem in substantia pure intellectiua ex ratione ibi impugnata, quicquid sit de eius efficacia. Ad quartum medium negatur antecedens, quod scilicet materia prima spiritualis non foret otiosa, scit super fluo essentialiter in substãtia pure intellectiua, vt sic; contrarium n. fusè probatũ est supra duob. fũdamẽtis: ex quibus etiam patet ad omnes probationes antecedẽtis. Iam n. ostensum est talem materiam nullo modo posse deseruire illi substantiæ ad intelligẽdum, siuè simpliciter, siuè secundum connaturalem statum, siuè vt sit totaliter intellectiua, siuè ob finem principalem, qui sit constituere, ac complere totum intellectiuum. Datum est etiam discrimen inter materiam corpoream organi, & materiam spiritualem in munere substentandi subiectiue species intentionales. & nunc addo duo alia. Primum est quia materia corporea in brutis est substentans animam sensitiuam, & fortè etiam sensitiuam potentiam; in homine verò secundum probabilem opinionem substentat potentias sensitiuas; & ideò benè potest intelligi apta substentare species sensibiles ijs deseruientes: At materia prima spiritualis ponitur vt pure recipiens; non autem, vt substentans formam intellectiuã, aut eius intellectum; vndè ne-

po-

potest esse subiectum ita aptum sustentare species intelligibiles. Secundum est, quia materia corporea per hoc, quod sit subiectum sustentans species contrahendo eas ad esse indiuiduale in repræsentando, nihil præstat contra earum naturam: Materia verò spiritualis, si foret subiectum sustẽtans species intelligibiles, iam cõtraheret eas ad esse indiuiduale, quod earum naturæ repugnat.

Cum verò dicitur non esse necesse, species intelligibiles ad determinandum intellectum, inhærere ipsi immediate, cum species sensibiles determinent sensus, etiã si non immediate ipsis, sed materiæ organi inhæreant, vt volunt multi, & phantasmata determinẽt intellectum agentem, cui non inhærent; negatur paritas, quia ex supradictis, sensus non sunt per se apti, & idonei ad patiendum, & recipiendum immediate ab agentibus corporeis impressionem specierum sensibilium, benè tamen est sic apta materia organi, ac proindè hæ species sunt talis naturæ, vt per se poscant tanquam immediatum subiectum hanc materiã, non verò immediate sensus; & ex consequenti sint sufficientes ad hos determinandos, etiam si inhæreant tali materiæ, quia hæc ipsas etiam sensus sustentat, & etiam species ipsas propter bonũ, & perfectionem sẽsuum: vndè ipsi sensus sustentati, & materia ipsa sustentans sunt æquiualenter vnum, & idem subiectum earum specierum; at verò intellectus est per se aptissimus ad patiendum, & recipiendum immediate ab agentibus spiritualibus impressionem, aut influxum specierum intelligibilium, & longè aptior, quã sit materia spiritualis, nec ab ea sustentatur; vndè hæ species ex natura sua sunt poscentes intellectum ipsum, vt subiectum, & sunt per se aptæ ipsum determinare in ordine ad actus intentionales, & insuper si hæ species essent subiectiuè in materia spirituali, non possent determinare intellectum, quia ipsa foret subiectum extraneum, & improportionatum, & impertinens, quia non esset per se addictum ad intentionalia, nec esset sustentans intellectũ per se ordinatum ad intentionalia. secus est de intellectu agẽte, & phantasmatibus: hæc enim sunt species intentionales expresse materiales, & ob hoc poscentes, vt subiectũ, nõ potẽtiã spiritualẽ, vt est intellectus agẽs, sed materialẽ, vt sũt organa interna; possũt tamẽ ipsũ determinare, vt instrumenta eius circa species intelligibiles, quia ex se sunt determinatiora, & sunt illi coniuncta, seu assistentia per specialem concomitantiam manantẽ ex eo quia phantasmata sunt elicita à sensibus, qui sunt potentiæ eiusdem animæ, cuius est intellectus agens. Potest etiam dici non esse necesse, species intelligibiles ad determinandum simpliciter intellectum inhærere ipsi immediatè, nullas enim species necesse est in-

inhærere potentiæ ad eam ſimpliciter determinandam; nam etiam ſi non forent inhærentes, ſed per ſe ſtantes,& illi intime aſſiſtentes, poſſent eam determinare,ſicut eſſentia diuina determinat intellectum beati, & ſæpè vna cauſa efficiens determinat aliam coefficientem: attamen quantum ad determinandum intellectum ſecundum modum connaturalem ſuppoſito iam quod tales ſpecies ſint ac identia ſub hac ratione nõ poſsũ. inhærere materiæ ſpirituali immediate, ſed neceſſariò inhærent ipſi intellectui, quia hæc naturalis determinatio debet fieri non contra, ſed conformiter ad naturã determinabilis, id eſt intellectus,& naturã determinatiui ſcilicet ſpecierum ſi autem ſpecies inhærerẽt tali materiæ; iam intellectus contra ſui naturam eſſet ineptus, sũt impeditus ad cognitionem vniuerſalium,& ipſę etiam ſpecies eſſent contra propriam naturam in repræſentando contractæ ad eſſe indiuiduale tantum. ſecus eſt de ſpeciebus ſenſibilibus, & ſenſu, vt fusè ſupra. ſecus eſt etiam de phantaſmatibus & intellectu agente, hic enim nõ determinatur ab ijs contra naturam ſui, aũt ipſorum. & denique ſi ſpecies intelligibiles inhærerent immediate materiæ non poſſent determinare intellectum; quia quantumuis dicatur hæc determinatio foret per efficientiam, re vera tamen eſſet contraria naturæ determinabilis, & determinatiui, repugnet autem vnum efficiens determinare aliud coefficiens determinatione naturæ vtriuſque contraria.

Ad quintum medium transeat, quod illa ratio, qua probatur repugnantia materiæ ſpiritualis, præciſe ex eo, quia eius forma nihil perfectionis, ſiuè in eſſendo, ſiuè in operando ex vnione ad ipſam acquirat, non ſit vrgens; nos enim talem materiam non reijcimus ob illam rationem nude ſumptam, ſed ob alias; ob quas tamen poſſet illa ratio roborari, oſtendendo vlterius, quod hæc materia nõ poſſet deſeruire tali formæ, nec ad finem conſtituendi cum ea compoſitum in ratione intellectiui, nec ad operandum, ſecundum cõnaturalem, ac debitum illi ſtatum, quod iam oſtenſum eſt: alioquin ea ratio ſine his probationibus adductis, ab aduerſarijs eluditur.

Ad ſextum medium clara eſt reſponſio ex dictis capite præcedenti in explicatione rationis, ſeu fundamenti S. Thomæ. Vnde negatur, eam rationem non eſſe vrgentem. Nec probationes valent. non prima; quia negatur, perfectionẽ, qua perfectibilis eſt natura intellectiua, in quãtum intellectiua eſſe illi conuenientem ſecũdum modum eſſendi ſimplicem, vel compoſitum in eſſentiã ex materia,& forma; ſed eius illi conueniens, prout receptiua eſt ſuæ perfectionis intelligibilis, non ex ratione materiæ, vtpotè improportionata, & repugnantis virtuti eius

repræsentatiuę ob contractionem ad esse indiuiduale; sed ex ratione alterius potentiæ illi accomodatę, quæ est potentia intellectiua, aut ipsa substantia per hanc potentiā. Quo fit, vt nulla substantia intellectiua, in quantum huiusmodi possit in essentia sua esse composita ex materia, sed quælibet necessariò est forma totalis, seù totum simplex per se stans, & repugnat illi potentia substantialis ad formam realem, quæ sit pars in essendo. Nec est par ratio de sensitiuo: licet enim perfectio sensitiui, quà sensitiuum est sit sensibile prout est in ipso, nempè per speciem intentionalem sensibilem; tamen ex hoc ipso habetur, quod sensitiuū necessariò sit constans ex materia, seù corpore organico, & quod tales species sint materiales, eo quod ab organis sint pendentes, & in organa ab obiectis corporeis immittantur: & ipsi etiam sensus sunt in essendo, aut saltèm in operando ab eadem materia pendentes; à qua etiam in omnibus brutis anima ipsa sensitiua pendet, & substentatur. Vndè sensitiuum vt sic benè potest esse receptiuum suæ perfectionis, idest specierum sensibilium ex ratione materiæ corporeæ; hæc enim est ijs proportionatissima, & earum vim repræsentandi non imminuit, aut debilitat, vt supra ostensum est: supponimus autem cum communi sententia non esse dabile sensitiuum organicum simplex per exclusionem materiæ primæ corporeæ, & tantum constans ex partibus integrantibus. Nec etiam secunda probatio valet. quia si substantiæ intellectiuæ, quà intellectiua est non conuenit potentia, quæ est materia prima, vt ex ratione ipsius sit receptiua perfectionis intelligibilis, sed alia potentia diuersæ rationis; iam necessariò eidem substantiæ, in quantum intellectiua est, repugnat alia intrinseca potentia substantialis, scilicet materia prima respiciens formam realem, quia foret omninò improportionata tali substantiæ, & prorsùs superflua, & inepta illi deseruire in munere, & ratione intellectiui. Vndè ob hoc caput forma substantialis, quæ sit pars in essendo, & forma intentionalis intelligibilis, etiam si sint diuersi ordinis, sūt in eadem substantia inuicem incompossibiles.

Ex dictis hic, & præcedētib. capitibus clare colligitur materiā primā spiritualē non solū repugnare substantiæ immateriali, seù spirituali completæ, vt sunt Angeli, sed etiā incompletæ qualis est anima rationalis, siuè sumatur præcise, quà spiritualis est, siuè etiam quà intellectiua est: omnes enim rationes allatæ, pro hac etiam veritate faciūt vt facile patere potest consideranti. Verum est tamen, esse alias peculiares rationes, quæ ab anima rationali omninò reijciunt compositionem ex materia spirituali, de quibus alibi agitur. Porrò alias rationes, quibus aliqui probant substantias intellectiua-

les, tum de facto, quam de possibili esse compositas necessariò, ex materia, & forma spiritualibus, in materia de Angelis soluam.

DISPVTATIO V.

De substantia immateriali, seù spirituali comparata ad partes integrantes.

PArtes integrantes, seù entitatiuę dicũtur, quæ nõ per modũ actus, & potentiæ, vt sunt materia, & forma; sed ratione alicuius homogeneitatis, aùt alteriùs proportionis sunt inuicem vnibiles, & in potentia ad constituendũ vnũ per se entitatiuè per modum cõtinui; Hæ autem partes sunt variæ. Aliquæ enim sunt quantitatiuæ, seù quantitatis, quæ dicuntur partes extensionis, seù extreitatem habẽtes; aliæ quantificabiles, seù quantitati coextendibiles, quæ vel sunt accidentales, seù accidentium materialium, vel sunt substantiales, seù entitatiuè partes materialium substantiarum: & aliquando quidem sunt homogeneæ, & eiusdẽ rationis inter se, & cum toto: aliquando verò sunt heterogeneę proptèr diuersas dispositiones, vel etiam secundum substantiam, vt in opinione multorum, sunt partes substantiales componẽtes entitatem animarum pure sensitiuarum, ac vegetatiuarum, & secundum aliquos, etiam vnionem substantialem harum formarum cum materia prima organizata. Aliæ demum sunt partes integrantes, quæ dicuntur intensionis, seù intẽsiuæ, entitatibus intensibilibus, & remissibilibus conuenientes, & vocari solent gradus, qui in plurimorum sententia componunt vnã per se entitatem continuam, quæ vt loquitur Mayronus in 1. d. 18. q. 2. a. 1. [est continuitas intensiua, non extensiua] formaliter loquendo, & reperitur etiam in multis entitatibus spiritualibus, vt in charitate, gratia, & similibus. Proptèr quod Adam in 2. d. 1. q. 2. [Charitas, inquit, est benè quantà intensiue, licet non extensiuè] & Ocham in 3. q. 6. §. Dico, quod idem argumentum [quantitas, ait, potest accipi large, & sic omne diuisibile in plura, quorum quodlibet est indiuiduum aliquod illus speciei est quantum. & sic albedo, & charitas est quanta: alio modo capitur strictè pro omni eo, quod diuiditur

tur in plura eiusdem rationis, quorum quodlibet est aliquid indiuiduum distinctum loco, & situ secundum suam naturam: & sic nec charitas, nec albedo est quantitas, vel quanta] Præter dictas autem partes integrantes extensiuas, seù extensionis; quantitatiuas, aùt quantificabiles rebus materialibus conuenientes; & naturaliter impenetrabiles inter se, aùt cum alijs rebus materialibus, excogitari possunt aliæ partes integrantes adhùc extensiuæ, seù extensionis, quę tamen sint naturaliter, etiã cũ rebus materialibus, & quantis, penetrabiles, & ideò sint verè spirituales, & vnam per se entitatem spiritualem componentes, aptam coexistere, ac correspondere per se totam toti alicui loco, aùt spatio corporeo, & per sui partes partibus eius. Porrò suppono hic tanquam omninò certum substantiæ spirituali, seù immateriali repugnare compositionem ex partibus substantialibus integrantibus quantitatiuis; aùt quantificabilibus, seù quantitati commensurabilibus, & dicto modo impenetrabilibus, sicut etiam similis cõpositio repugnat omnibus entitatibus spiritualib. quare difficultas tantum est de compositione ex alijs partibus integrantibus.

CAPVT I.

An substantiæ spirituali repugnet cõpositio ex partibus substantialibus integrantibus intensiuis, aùt extensiuis cuiusùis rationis.

Prima opinio indicat substantię spirituali non repugnare, sed necessariò inesse compositionẽ ex partibus intensiuis, aùt quasi intẽsiuis, siuè intensionis realiter separabilibus. Ita videtur sentire Dionys. Cisterciensis in 1. d. 8. q. vnica a. 2. corollar. 2. concl. 2. vbi sic ait [Quælibet creatura est perfectio essentialis per Dei potentiam diuisibilis] & afferens probationem, subdit [probatur de Angelo, qui est essentia inextensa, & incorporea sic. Angelus non infinite modice distat à non gradu suæ speciei. ergò continet aliquam latitudinem perfectionis diuisibilis infra suam speciem. Antecedens, inquit suppono verum. consequẽtiam probo. quia da oppositum, quod nullam latitudinem perfectionis diuisibilis contineat; ergo infinite modice à non gradu suæ speciei distat] & deindè immediate citans alium auctorem clarius loquentem, subdit [& præterea, sicut arguit Vgolinus in 1. d. 100. a. 1. propositione 1. Si Angelus intensiue esset impartibilis, sequeretur, quod duo Angeli eiusdẽ spe-

speciei simul non essent aliqua latitudo perfectionis essentialis magis, quàm vnus solus, & si sic, ideò nec infiniti. Nec posset Deus quęlibet eorum vnire in tertium, & sic quilibet eorum esset actus purus, quia Deus non posset substantiam, vel essentiã diminuere. Hęc autem sunt falsa; ergo] sic ille. ex quibus rationibus patet, iuxta mentem horum auctorum non solùm non repugnare substantiæ spirituali, vt est Angelus, compositionem ex partibus substantialibus intensionis, aùt quasi intensionis, seù perfectionis à Deo diuisibilibus; sed insuper implicare oppositum in hac, & in omnibus creaturis. Potest autẽ dicta opinio etiam probari sic, quia Angelus e. g. vnius speciei est essentialiter, ac specifice perfectior Angelo speciei inferioris, ergo necessariò est perfectior per hoc, quod continet in se essentialiter plures gradus, seù perfectiones partiales essentiales, & per consequens est compositior quasi intensiuè ex his partibus realiter inter se distinctis, & saltèm à Deo diuisibilibus; inter res enim creatas excessus in perfectione essentiali vnius speciei super aliam non potest intelligi esse tàm varius, ac multiplex, si dicatur consistere in indiuisibili, & non haberi per continentiam plurium perfectionum essentialium distinctarum.

Secunda opinio est cuiusdam Besfeuonis, & aliorum apud Adam in 1. d. 17. q. 6. qui dicebant, vnam animam rationalem esse perfectiorem alia per hoc, quod intra eandem speciem vna habet plures gradus diuinitus diuisibiles, perfectionis vtique indiuidualis, quam alia, ac proindè ijs non solũ non repugnat compositio ex his gradibus, sed necessariò cõuenit, saltèm aliquibus. & probant, quia anima Christi iuxta articulum Parisiensem communiter citatum, est nobilior anima Iudæ. quod cũ non possit intelligi ex diuersitate specifica, necessariò debet intelligi de indiuiduali. Nec potest dici vna anima esse perfectior alia, nõ in se ipsa, sed ex eo, quia dat perfectius esse; nã tunc redit difficultas de ipso esse, quod sanè nõ videtur posse dici perfectius, nisi per continentiam plurium graduũ indiuidualium. quod si his auctoribus obijcias, hinc sequi animam esse diuisibilem in infinitum sicut cõtinuum, cum quilibet gradus sit sicut tota forma: & insuper quemlibet gradum animæ esse animam cum omne prædicatum essentiale in homogeneis conueniat toti, & parti: & insuper ex omnibus animabus posse fieri vnam animam, quia quæcunque sunt vnius rationis, sunt omnia inuicem vnibilia, sicut, & reliqua, vt patet in guttis aquæ, & gradibus charitatis: & præterea ex vna anima posse fieri innumerabiles animas, cum quilibet gradus sit ab alio separabilis, nec habeant ordinem essencialem inter se: & demum animam rationalẽ esse producibilem per motũ,

cum hi gradus possint successiue non minus, quàm simul produci; hæc, inquam, si obijcias, dictus auctor haberet concedere, & alij concedunt, ac vorant, vt testatur ipse Adam; qui etiam si non sit huius opinionis, tamen de se dicit [Hæc omnia citius concederem, quàm quod perfectior forma secundum substantiam esset æque simplex, vel simplicior minus perfecta, & essent eiusdem rationis specificæ. & hoc ex sententiã spõte concessit Besculon, ponens quod de mille animabus posset Deus facere vnam, & de vna etiã mille, &c.] & Alliacensis in 1.q.4. a.1. allata ratione, qua probatur, dari creaturam simpliciter simplicem per negationem compositionis ex partibus alternis, seù diuersæ rationis scilicet materia, & forma, potentia, & actu; subdit sic [sed dicenti, quod aliqua res creata componitur ex partibus eiusdẽ rationis, vel extensis, sicut calor, & lux, vel non extensis sicut anima vel Angelus, vt aliqui dixerunt contra hoc non demostrat ratio; quia certum est, quod omne continuum est diuisibile in componibilia in infinitum. Tamen sic dicere de anima, vel Angelo videtur gratis dictum: quamuis oppositum non sit per se notum]

Tertia opinio est dicentiũ substantiæ spirituali, seù immateriali non repugnare compositionem ex partibus substantialibus integrantibus extensionis, naturaliter tamen penetrabilibus. Ita Arriaga de anima disput. 1. sect. 4. vbi etiam ait non repugnare substantiam habentem partes integrantes, quæ, & diuersa loca naturaliter occupare possit, & etiam naturaliter per se ad modum pũcti reduci, seù penetrari. & infra Illam, inquit, substantiam voco spiritum] sicut etiam è contra vult non repugnare substantiam indiuisibilem, quę non possit cum alia eiusdem speciei in eodem loco existere, seù penetrari: quam substantiam sic impenetrabilem deinde vocat corpus. Insuper non repugnare substantiam immaterialem, seù spiritualem constantem ex partibus integrantibus; dicit esse sententiam plurium recentiorum è nostra societate.

Probatur primo, quia nulla potest excogitari implicantia.

Secundo [quomodo, inquit, independentia à materia arguet carentiam partium? Cùr enim res composita non poterit esse independens à materia, quæ enim connexio intèr hæc duo, non dependet à materia, ergo caret partibus?]

Tertio. vbi Angelicum est ens spirituale, vtpotè pendens in suo esse à subiecto spirituali, & tamen est extensum, & constans ex partibus integrantibus; alioquin si foret indiuisibile, & omninò carens partibus, Angelus in motu continuo acquireret infinitas præsẽtias totales; & determinatas indiuisibiles; ergo rei spirituali, vt sic non repũgnat cõpositio ex partib. integrãtibus

bus; ergo nec repugnat substantię spirituali. Nec potest dici, illud vbi constare ex partibus virtualibus; si enim per partes virtuales intelligantur partes non quantitatiuæ, sic verum est; si autem excludantur veræ partes distinctæ, falsum est, & tunc vrget illa ratio.

Quarto in habitibus, qui spirituales sunt, multi ponunt extensionem in ordine ad obiecta secũdum quàm habitus est diuisibilis, & augmẽtabilis per realem compositionem ex gradibus extensionis in re ipsa distinctis: ergo, &c.

Quinto res spirituales possunt habere partes intensionis, vt constat in multis qualitatibus spiritualibus, ergo etiam extensionis, quia non est, cùr hæ magis officiãt, quam illæ; ergo similiter substantię spirituali non repugnant partes substantiales extensionis.

Sexto, si hæ partes tali substantiæ repugnarent, ideò hoc esset, quia forent quantitatiuę, seù quãtificabiles: sed non forent tales, quia non forent impenetrabiles naturaliter cum alijs eiusdem rationis, sicut sunt partes quantitatiuæ, ergo forent adhùc spirituales, quia essent penetrabiles naturaliter cum alijs. Nec est de ratione partium extensionis in communi, esse quantitatiuas, seù corporeas, ac naturaliter impenetrabiles, sed solùm quod sint habentes extreitatem, quæ sanè præscindit à penetrabilitate, & impenetrabilitate; ergo sicut dantur partes extẽsionis quantitatiuæ, seù corporeæ; ita non repugnat toti in substantiã aliqua spirituali partes extensionis adhùc spirituales. Addit tamen dictus auctor [magis esse propriũ rei spiritualis habere indiuisibilitatem, quàm diuisibilitatem, licet hanc vtcunque possit habere] De facto autem non esse productam substantiam spiritualem constantẽ ex iis partibus, & illã esse animã dicit constare [tum auctoritate communi. Tum ex eo, quia fortè illa, si constaret ex partibus, non esset simul immortalis, intellectiua; indifferens ad maiorem, & minorem materiam informandam, vt est anima, ex quo probabiliter infertur, non esse compositam. Denique licet ea omnia vtcunque cohærerent cum diuisibilitate, ideoque in ordine ad potentiam absolutam non negetur eiusmodi substantia, dubitari tamen non potest, ea facilius cohærere cum indiuisibilitate. quando autem non est argumentum in oppositam sẽtentiam, probabilior modus dicẽdi est, ea ponere de facto, quæ sine difficultate percipiuntur]

Dico tamen primo compositionem ex partibus substantialibus intensiuis, aùt quasi intensiuis omninò repugnare substantiæ immateriali, seù spirituali, vt sic, siuè foret cognitiua, siuè non. & loquor de substantia spirituali, quæ sit solùm simplex per exclusionem compositionis ex forma, & materia etiam spirituali. Ita communiter omnes, qui hoc tamen certũ, & indubitatum supponunt potiùs, quàm

quàm probent, aut examinent.

Prima ratio generalis sit. substãtiæ repugnat vera intensibilitas: sed substantia spiritualis, vt sic, est substantia, vt clarum est, & compositio ex dictis partibus est vera intensibilitas; ergo tali substantiæ, vt sic, repugnat talis compositio. Maior est communis, & est Aristotelis apud omnes negantis substantiã suscipere magis, & minus, siuè hoc sit ex eo, quia, vt vult Simplicius est ens per se, ac proindè secũdũ se ipsã indiuisibiliter est remotè, vel proximè exigitiua sub sistentiæ tãquã vltimi termini, atq; adeò est incapax latitudinis graduũ intensionis superaduenietiũ: siuè, quia vt docet Alensis 3. par. q. 69. membr. 4. a. 2. gratia recipit magis, & minus, quia importat esse secundum, nempè accidentale, non autem primum, quod est substantiale [Vndè duplex, inquit, est esse, primum, & secũdũ, & hoc est esse naturæ, & ordinis. Nec est simile de primo esse, & de secundò, quia primum esse dicitur à forma vndè esse primum dicitur ex hoc quod iam est actu, & ita habet complementum, & terminatum est, & ideò non recipit magis, & minus. sed esse secundum dicitur respectu finis, hoc est in ordine ad finem, & complementum, & proptèr hoc adhuc est in potentia, & non in actu. Sed accessus ad finem potest esse secundum magis, & minus, & inæqualiter. & proptèr hoc secundum esse recipit magis, & minus, secundum quod potentia magis, & minus accedit ad finem, & complementum, cum non sit completum, nec terminatum] & demum S. Thom. 1. 2. qu. 52. a. 1. dicit [Id, à quo aliquid habet speciem oportere manere fixum, & stans in indiuisibili] & hinc colligit nullam formam substantialem participari secundum magis, & minus [eo quod participans, habet speciem secundũ ipsã] & quæst. de virtutibus a. 11. [proptèr hoc, inquit, forma substantialis non recipit intensionem, nec remissionem, quia dat esse substantiale, quod est vno modo, vbi enim est aliud esse substantiale, est alia res] Minor verò, quod scilicet in substantia spirituali compositio ex ijs partibus, seù gradibus sit vera intensibilitas probatur; quia omnes partes homogeneæ, seù eiusdem rationis, habentes ex natura sua mutuam, ac meram intraitatem, ita vt singulę sint immediate vnitæ singulis, cum repugnantia ad extreitatem, siuè extẽsionem, tàm in ordine ad se, quàm in ordine ad locum, sũt necessariò partes verę extensionis; cũ nullatenus sint partes extensionis, nec radicalis extẽdibilitatis; nec sit excogitabile aliud genus partium homogenearum, nisi sine fundamento, & merè voluntariè: sed illę partes in illa substantia sunt homogeneæ modo explicato, & omninò inextensæ, & cum repugnantia ad extendibilitatem. ergo sunt partes veræ intensionis, & compositio ex his est vera intensibilitas. Nec dicas,

ces, tales partes esse heterogeneas; nam contra est; tum quia etiam si forent heterogeneæ; tamē quia nō haberent se vt materia, & forma, neque vt potentia, & actus, sed solùm vt actus prorsùs incapaces extensionis, iam adhuc forent partes veræ intensionis vnum per se substantiales integrale constituētes, quo pacto multi volunt esse partes qualitatum intensibilium. Tum quia, si dicuntur heterogeneæ idest diuersæ speciei, ac rationis, iam cum adhùc sint solùm actus, implicat eas vniri inter se in vnum substantiale per se primo, & ratione sui: & insuper singulæ partes heterogeneæ resoluētur necessariò in homogeneas, alioquin forent, etiam per Dei potentiam omninò indiuisibiles, vndè contra has ipsas partes homogeneas componentes heterogeneas vrget allata ratio. & propter hoc Ariminensis in 1. dist. 17. q. 4. a. 1. cū dixisset, ad augumentū intēsiuū requiri, vt pars addita, & pars cui additur, sint in eodem situ primo, nec faciāt aliquod maius extēsiue, subdit [naturaliter autem talis additio non potest fieri ad formam substantialem, & ideò ipsa non potest intendi, vel remitti naturaliter. Si tamen hoc esset possibile, ita intenderetur, & augmentaretur intensiuè sicut forma accidentalis, &c. & infra, vtrùm autem per potentiam Dei hoc sit possibile, posset esse dubium pro eo, quod etiam si Deus possit plures formas substantiales eiusdem speciei simul iungere secundum situm, sic quod omnes sint in eodem situ primo, sicut duas animas in eodem corpore; dubium tamen est, an quælibet illarum posset totum illud informare, & sic an ex vtraque posset vna fieri, quæ essētialiter vtramque includeret, quorum vtrùmque requireretur ad intensionem] sic ille. sed tamen quia hoc non foret iuxta rerum connaturalitatem, vt est in casu nostro, sed contra, vel præter, ideò hæc non foret vera intensio. Ochā etiam apud Grabrielem in 1. dist. 17. q. 6 idem sentit dicens [si duæ formæ substantiales possent per diuinam potentiam simul vniri, vt faciant per se vnum, & nullo modo distinguantur loco, vel subiecto, tunc posset talis forma augeri]. & loquitur expressè de augmēto intēsiuo. & ex his reijcitur tum quod aliqui dicunt, formas substātiales elementorum esse intensibiles, & remissibiles, tum etiam quod dicit idem Ocham, nempè [esse dubium de formis increatis, an sit possibile, eas sic vniri in ordine ad augmentum intensiuū] de forma verò substantiali creabili sic subiungit [De creabili non puto esse dubium quin talis posset de nouo creari, quæ esset alterius speciei ab omni forma creata; si enim formæ substantiali productæ repugnat sic habere partes ex natura specifica, sicut spiritui repugnat esse diuisibilem, & homini esse asinum: non sunt formæ substantiales nunc productæ, aug-

men-

mentabiles, secus de creabili]Rę enim vera vt satis ex dictis constat substantiæ, vt sic, atque adeò omni substantiæ, tàm creatæ, quā creabili repugnat intensibilitas, seù compositio ex partibus veræ intensionis, de quo fusius agere non est huius loci. Nec dicas, in casu nostro partes illas non esse verę intensionis, quia vera intensio est circa vnum, & idem subiectū, & secundum aliquos auctores nō fit per additionem partis ad partem. sed contra quia licet primum sit verum absolutè, & secundum etiam in illa opinione; tamen ex suppositione, quod substantia sit cōposita ex ijs partibus per se, & ex sua ratione omninò inextensis, & etiam in statu connaturali intra neitatem mutuam habentibus, iā hinc necessariò sequitur, eas esse partes veræ intensionis, ac proindè intensionem non semper respicere vnum, & idem subiectum, sed sæpè nullum: & quando est in substātia completa necessariò fieri per additionem partis ad partem, quia non superest alius modus.

Secunda ratio specialis. substātiæ spirituali, vt sic, repugnat componi ex pluribus extremis, quæ secundum se singula sint vera tota spiritualia substantialia, & sint supposita per se, & perfecta, seù vltimate completa, vt clarum est: sed illa extrema, quæ per aduersarios sunt partes intensiuę, essent huiusmodi; ergo substantię spirituali, vt sic repugnat componi ex ipsis. Minor probatur quia singula illa extrema spectata secundum se præcisè & seorsim ab alijs, vt si diuinitus existant separata, iam nō sunt actu partes alicuius totius substantialis, ergo necessariò sunt vera tota spiritualia substantialia; ergo etiam sunt supposita, vt ex se cōstat; ergo insuper sunt supposita per se, & ab intrinseco, & perfecta, seù vltimate cōpleta, non autē per accidens, & ab extrinseco ratione diuisionis vnius ab alio, quo sensu partes e.g. aquæ separatæ dicuntur supposita: & patet hæc consequentia, quia dicta extrema substantialia, sunt ita per se subsistentia, vt ijs quoad naturas proprias substantiales sit omninò innaturale, seù connaturaliter repugnans, non autem proportionatum, existere connaturaliter absque propria suppositalitate; seù existere, & nō vt supposita actualia; ergo sunt supposita per se, seù ratione sui, & ab intrinseco, & sūt perfecta, & vltimate completa quia hæc perfectio, & completiō non potest intelligi in alio consistere. Antecedens vltimum ostēditur. quia si ijs extremis, seù suppositis non est innaturale, sed proportionatum existere dicto modo vel hoc haberent ex ratione naturarum substantialium, vel ratione suppositalitatis, vel ratione alicuius accidentis connaturalis hābilitantis eam coniunctionem ad alias partes in vlteriori toto, atque adeò ad priuationem proprię suppositalitatis, quo pacto quantitas ha-

habilitat partes substantiæ materialis e. g. aquæ, diuisas ad vnionē cum alijs similibus partibus in ordine ad vlterius totum extensum. Non potest dici primum, nec secundum, quia vniuersaliter natura totius substantialis præsertim incorruptibilis, per se loquendo, inclinat ad propriam suppositalitatem, eamque exigit, ipsa verò inclinat ad sui conseruationem; vndè his necessariò est innaturale existere modo explicato. Nec dici potest tertium, quia talia supposita, nec secundum suas suppositalitates, nec secundum suas naturas substantiales spirituales possunt esse subiecta, seù affecta vllis connaturalibus accidentibus intensibilibus, quæ sint aliquo modo apta habilitare tales res ad vnionem cum alijs partibus substantialibus intentionis ad vnum per se intensibile constituendum. quod certè videtur euidens, tum quia talia accidentia sunt inimaginabilia, & inassignabilia: tum quia nulla accidentia intensibilia sunt apta, aùt per se instituta ad reddendam substantiam intensam intrinsece, aùt ad intrinsece intendendas eius partes intensionis substantiales, intraneando, vt ita dicam, ipsas inter se inuicem; hæ enim partes si darentur in substantia, haberent ex se ipsis hanc mutuam intraneitatem, siquidem essent partes intensionis, vndè nec aptę sunt reddere ipsam substantiam diuisibilē intensiue, aùt vnibilem ad alias compartes, sed solùm sunt institutę ad afficiendum vnum, & idem indiuisibile subiectum, aùt secundum vnam, & eandem eius partē, denominando accidentaliter tale vel tale, magis, aùt minus, putà sciens, charum, album, nigrum, & sæpè ad conferendum ei efficacia virtutis actiuæ, vt in omnibus cōstat. quod rectè notauit Herueus quodlibeto 2. q. 6. dicens [subiectū licet dicatur fieri de minus tali magis tale; non tamen subiectum dicitur intendi, & remitti, sed forma ipsa, secundum quam subiectū dicitur de minus tali fieri magis tale: secus est in quantitate, quæ sua extensione, continuabilitate, & diuisibilitate est per se ordinata ad extendendam intrinsece substantiam materialem, eiusque partes, saltèm extensione, & extreitate impenetrabilitatis, & ad reddēdas ipsas cōtinuabiles ad inuicem, & saltē proximè diuisibiles. & inde est, quod partibus aquę cū existūt diuisæ, quia, vt sic, sunt tota quædam substantialia, non sit innaturale, sed connaturale esse supposita in tali statu: quia verò sunt connaturaliter quanta, non sit ijs innaturale, sed conueniens, esse ratione quantitatis vnibiles, seù continuabiles alijs similibus partibus, & sic amissa propria suppositalitate, saltèm sumpta prout eā includit negationē communicationis per modum partis, existere vt non actualia supposita, sed tantum potentialia.

Dices primò ex his sequi, partes illas aquæ, non esse supposita

quia naturaliter sunt vnibiles cõtinuatiue per modum partium ad alias similes in vno per se continuo: suppositum autem est inunibile per modum partis.

Sed contra, quia solùm sequitur partes illas aquæ non esse supposita per se, & perfecta, seù vltimate completa, non autem nullo modo esse supposita. Tum quia de ratione suppositi in communi est vt sit totum substantiale, seù per se subsistens non communicatum alteri actu per modũ partis, illæ autem partes aquę per se re vera sunt huiusmodi: Tum quia cum dicitur suppositum esse inunibile, seù incommunicabile intelligitur formaliter, seù cum compositione, idest manens suppositum; nam si amittat rationem, seù complementum suppositi, id quod reliquum est, communicari poterit saltèm, vt pars toti, vel comparti, vt benè Suarez in metaphys. disp. 34. sect. 5. num. 59. Vndè cum aqua vnitur aquæ, vtraque amittit aliquem vltimum terminum terminantem, & complentem rationem totius, seù totalis substantiæ, quàm suppositum significat. Habet autem se præcisiue suppositũ in communi ad hoc, quod sit naturaliter amissiuum, vel non sit amissiuum propriæ suppositalitatis, remanente propria natura substantiali, ac proinde abstrahit à supposito imperfecto, & à perfecto.

Dices secundò, vt partes intensiuę substantiæ spiritualis separatę, sint vnibiles, seù reunibiles ad inuicem in ordine ad vnum per se substantiale intensum, satis esse entitatiuam proportionem, & homogeneitatem inter ipsas: sicut hæc sufficit, vt partes quantitatis separatæ, possint reuniri alijs partibus similibus; & in qualitate partes intensionis accidentalis separatæ diuinitus possent reuniri alijs similibus ob mutuam proportionem homogeneitatis.

Sed contra quia est latum discrimen. nam illa extrema separata, quas vocat partes intensiuas substantiæ, sunt substantię, seù entia per se stantia, & vera supposita perfecta, & vltimate completa; & ideò, etiam si habeant inter se proportionem, & homogeneitatẽ, quia sunt eiusdem speciei; hoc non est sufficiens ad dictam vnibilitatem. illæ verò partes quantitatis non sunt substantiæ, nec entia per se, nec supposita, ne imperfecta quidem, sed sunt accidentia, seù partis accidentis, de cuius ratione est esse continuum, & compositũ ex ipsis extensiue, & per se ordinatum ad reddendam substantiam maiorem similiter extensiue; & ideò proportio, & homogeneitas mutua inter ipsas, benè potest esse ratio sufficiẽs vnibilitatis, seù reunibilitatis inter easdem, &c. & idem proportionaliter dicendum in qualitate de partibus intensionis accidentalis. Cum autem dicitur, illa extrema substantialia separata esse per se supposita, non est absolute sensus quòd illa antea

ta fuerint verè vnita inter se, & deindè existant separata; sed solùm, quòd si existant separata iuxta concessionem aduersariorum, & sic separata spectentur benè ex hoc statu penetrabitur eorum natura, & sic inuenientur esse ex natura sua supposita per se, ac talis conditionis, vt ijs sit omninò innaturale, & connaturaliter repugnās non solùm quoad proprias suppositalitates, sed etiam quoad proprias, & indiuiduas naturas substantiales, esse simpliciter vnibilia per modum partium vllis alijs compartibus in ordine ad vnum, & idem totum, cum etiam careant omni accidente habilitante ea ad talē vnionem, ac proindè falso supponi, illa prius fuisse vnita.

Tertia ratio, seù maior explicatio. ex pluribus totis, seù naturis substantialibus actu cōpletis qualia ex iam probatis sunt prædicta extrema, repugnat per se fieri vnū substantiale: si enim tales naturæ sint distinctæ specie, repugnantia est clara, alioquin non repugnabunt chimeræ, nec repugnabit, ex omnibus naturis, seù substantijs completis actu in mundo existētibus fieri vnum per se substantiale, quo quid absurdius? si verò ponātur distinctæ solùm numero, & homogeneæ; adhùc est repugnantia, quia tales naturę sunt propter se, nec sunt ordinatæ ad inuicem, tanquam potentię ad actus, nec subsunt alicui continuatiuo, vt partes aquæ separatæ: vndè illæ naturæ sunt necessariò actu totaliter completa, atque adeò implicat e vniri in vnum per se si demum illæ naturæ dicantur differre numero heterogeneè; adhùc erūt tota substantialia actualia completa neque ex eo, quod vnum sit perfectius indiuidualiter, aliud imperfectius, tolletur hæc actualitas, & completio, sed hæ remanebunt singulis proportionatæ, etsi repugnat ea in vnum per se vniri.

Quarta ratio. si hæ partes intensionis substantiales nō repugnant substantiæ spirituali, siuè ponantur in infinitum diuisibiles, siuè resolubiles in indiuisibilia substātialia finita, aùt sunt vnitæ inter se essentialiter, aùt tantū cōnaturaliter, aùt neutro modo, sed ex se indifferenter se habent, tàm ad vnionem, quàm ad non vnionem. Primum est falsum, quia alioquin ne à Deo quidem possent separari, quod sanè nemo dicet, nisi proteruiendo, & insuper singulæ per se sunt substantiæ in actu, & per se, nec vna constat ex alia; ergo non est, vt vnà vna possit pendere essentialiter ex vnione ad aliam. secundum etiam est falsum. tum quia tales partes non possunt petere hanc connaturalem vnionem, neque ex se ipsis, seù ex propria ratione præcisè, cū vna non sit perfectio substātialis, aùt entitatiua alterius, aùt ab ipsa in suo esse pendens, singulæ enim sūt per se actus substātiales: neque ratione alicuius exigentis, & causantis inter eas talem vnionem, proptèr quod partes Cœli eiusdem rationis sunt inter se con-

naturaliter vnitæ ex ratione quãtitatis continuatiuæ, & simul ex ratione finis extrinseci, seù boni vniuersi, vt nimirum Cœli possint debite, & constanter influere in hæc inferiora: in re autem nostra nil tale, aùt simile assignari potest: tum quia alioquin non posset Deus creata vna substantia spirituali determinatę intensionis, creare aliam constantem ex partibus eiusdē rationis separatam ab illa, seruata connaturalitate; quia semper partes omnes harum substantiarum peterent connaturaliter mutuam vnionem in vno toto; nec esset caput rationabile eas ponendi in totis separatis, quod certè videtur absurdum. Tertium denique est etiam falsum; quia si dictæ partes intensionis non habent ordinem per se ad inuicem tanquam ad compartes, sed sunt æqualiter indifferentes connaturaliter ad existendum siuè vnitæ, siuè separatæ; iam postquam sunt vnitæ poterunt à Deo, etiam iuxta earum connaturalitatem, separari, & separatæ existere, & ex consequenti substantia spiritualis, quæ ex ijs erat composita, erit proportionate, & conformiter ad suam naturam, & ab intrinseco dissolubilis, & corruptibilis non ab agente creato, sed à Deo eius auctore. quod est contra omnes. sed de hac ratione, aùt simili redibit sermo infra.

Vltima ratio, quia stante dicta non repugnantia, iam substantia spiritualis esset composita ex partibus, seù gradibus diuisibilibus in infinitum in gradus intensiuè minores, & minores, & esset augmentabilis per gradus nouos: imò esset creabilis per motum, etiam successiuum continuum: quæ omnia multum vilificant, ac deprimunt substantiarum spiritualium perfectionem.

Dico secundo compositionem ex partibus substantialibus intensiuis repugnare substantiæ spirituali intellectiuæ. Probatur non solùm omnibus rationibus allatis, sed etiam alijs argumentis.

Primum est de substantia Angelica. extrema componentia talem substantiam, singula seorsim spectata forent verę personæ, seù vera supposita intellectualia; ergo forent inunibilia, seù habentia repugnantiam ad vnionem, seù potius forent inunibilia, & non forent. Antecedens patet. Tum quia singula forent tota substantialia, & possent intelligere, & velle, & forent libera, vt constat, atque adeo independenter ab alijs, quia talis independētia est de ratione libertatis: Tum quia si illa separarētur, vtique singula per se possent intelligere, & velle, & forent libera, & apta mereri præmium, vel pœnam ad modum personarum, seù suppositorū intellectualium; ergo etiam reunita, quia per hanc vnionem non possent singula amittere illas proprietates, & aptitudines: Tum quia Deus posset diuidere vnum Angelum in plures Angelos separa-

ra-

tatos, quorum singuli positis requisitis essent per se sufficientissimi ad intelligere, velle, mereri, & demereri tanquam vera supposita deindè unus ex his peccet, & sit dignus æterna pœna, & alius similiter; alius verò mereatur vitam æternam, & similiter alius; ergo vel possunt deinde hi Angeli vniri rursùs in vnum, vel non: si primum; ergo vnus, & idem Angelus erit dignus vita æterna, & pœna æterna, secundum diuersas sui partes; & similiter in aliquibus partibus erit in gratia, in alijs verò in peccato; si secundū; ergo signū est eos Angelos semper fuisse vera supposita intellectualia.

Secundum argumentum de anima rationali. Tum quia extrema componentia ipsam secundū se spectata, licet non forent supposita, essent tamen veræ substantiæ spirituales, per se subsistentes, potentes per se intelligere, & velle & forent liberæ, & aptæ singulæ mereri, & demereri, & esse in gratia, & in peccato; ergo ipsis repugnat vniri in vnam animam, vt dictum est de extremis componentibus Angelum. Tum quia iam omnis anima rationalis sic composita, esset à Deo diuisibilis in plures, & plures partes, quarum singulæ forent veræ animæ, vtpotè eiusdem rationis cum anima ex ipsis composita: Imò ex omnibus omninò animabus existentibus, quia sunt eiusdem rationis inter se, & cū partibus vniuscuiusq; animæ, posset constitui vna anima, etiam seruata rerum connaturalitate: quia singulis animabus esset æque connaturale vniri materiæ corporeæ, eò quod sunt eius formæ, in ordine ad totum essentiale; ac vniri alijs animabus in ordine ad vnum integrale intensiue, quia sunt inter se eiusdem rationis: sicut formæ aquę, A, est ęque connaturale vniri suæ materiæ in ordine ad totum essentiale, ac vniri ratione quantitatis alteri parti formæ aquæ, B, in ordine ad totum integrale extensiue. Hoc autem est absurdum, quia, vt ex se constat, diuersę animę rationales connaturaliter petunt informare diuersas materias corporeas impenetrabiles, & ratione talium materiarum informatarum ipsæ etiam animæ redduntur inter se, & petunt esse inuicem naturaliter impenetrabiles; ergo impossibile est, ijs esse cōnaturale, quod possint vniri inter se per modū partiū intēsionis ad cōponēdū vnā animā; quia hæc vnio necessariò fit cum penetratione, & intraneitate vnius animæ cum alia. Vndè haberent tales animæ duas connaturales exigentias omninò contrarias, & inuicem repugnantes. Atque ex his

Dico tertio compositionem ex partibus substantialibus integrantibus extensiuis penetrabilibus repugnare substantię spirituali, seu immateriali homogeneę completæ, vt sic, esto non foret cognitiua.

Primum motiuum est ex dictis quia hæ forent partes, & non forent ne in potentia quidem. forent qui-

quidem, quia ita supponitur. Non forent verò; quia singulæ per se seorsim, ac separatę, vt verè separari à Deo possent, cum nulla in hoc reluceat implicantia, essent substantię; imò essent tota spiritualia per se subsistētia; ac nulli actu vnita vt partes, & ex consequenti essent vera spiritualia supposita; ergò nec forent, nec possent esse partes vnius substantiæ per se extensę seù alterius primi suppositi. Tum quia supposita spiritualia sunt longè perfectiora suppositis materialibus, ac proindè eorum naturæ magis inclinant naturaliter ad existendum cum propria suppositalitate completa, qua vtique carerent cum forent actu partes: Tum quia nulli possunt subesse connaturali accidenti, aût alteri rei vnienti, ac trahenti eas naturas ad esse partiū componentium vnum per se suppositum, aût vnam substantiam, nil enim tale apparet: Tum quia si illa supposita iam separata possent rursus vniri secundum suas naturas, & esse actu partes primi totius; iam illis esset connaturale, tàm existere sic vnitas, quod certū est, quàm existere separatas tanquam supposita; quia ob homogeneitatem in statu separationis perindè se haberent, quantum est ex se, ac si fuissent sic per se primo productæ, & non in illo primo toto, vt clare patet in omnibus partibus totorum homogeneorum, vt aquæ, aeris, & similium; quæ sanè sunt contra communem conceptum, & cederent in magnam ignobilitatem substātiarum completarum, ac suppositorum spiritualium; siquidem quoad hoc essent paris conditionis vilissimæ cum substantijs, ac suppositis materialibus. Voco autem substantiam completam, eam, quæ neque est materia, neq; forma, neq; ex his cōposita, sed est totū simplex per exclusionem harū partium essentialium: incompletam verò, quamlibet ex his partibus.

Secundum motiuum, quia si illi substantiæ compositio ex dictis partibus extensiuis non repugnat, sequitur posse Deum, eidem addere semper nouas, ac nouas partes substantiales extēsionis eiusdē rationis seruata connaturalitate, eamque semper magis, ac magis extensiue augere, & similiter per diuisionem diminuere: imò posse creare aliam substātiam illi æqualem in extensione, imò longè maiorem totaliter à prima diuersam, & hanc ipsam deindè illi quasi continuatiue vnire in nouum suppositum, & insuper deindè eādem absque violentia vlla separare, sicut potuit primo ipsam per se solam absque vnione ad aliam connaturaliter producere, ac conseruare. Hæc autem sunt inaudita, & absurda; quia iā substātia spiritualis, etiā completa, esset ab intrinseco, etiam seruata connaturalitate, & absq; vlla violentia, dissolubilis, ac defectibilis substātialiter. sequela auté probatur: quia hęc est natura omniū cōpositorū substantialiū extensorum homogeneorum, vt sem-

semper, quantum est ex parte sua sint apta nata excrescere per additionem nouarum, ac nouarum partium eiusdem rationis; imò omnia homogenea, quantumuis ante separata, possint in vnum per se extensum coniungi, quod rectè notauit Scotus in reportatis in 1. dist. 17. q. 6. dicens [hoc contingere vniuersaliter in omnibus vnigeneis, quia quælibet vnigeneitas nata est esse in uno indiuiduo, quãtum est de se, & omnia indiuidua unigenea de se nata sunt esse vnum indiuiduum] Ocham etiam in 1. d. st. 17. q. 8. [quæcunque, inquit sunt eiusdem rationis, sunt æqualiter vnibilia, sicut quæcunque aquæ sunt æqualiter vnibiles quia quicquid potest competere alicui indiuiduo, consimile potest competere omni indiuiduo eiusdem rationis] & Bassolis in 1. dist. 17. q. 3. a. 3 [Nulli, inquit, homogeneo repugnat crescere in infinitũ secundum se] &c. & paulo inferius dat rationem [Quia nullum homogeneũ determinat sibi certã quantitatem, vel molis, vel perfectionis, quia æquanimiter saluatur ratio eius cum minori, vel maiori, sicut patet de igne, de aqua, vel linea] Similiter dicta composita, quantum est de se, sunt apta diuidi in plura extrema, nata existere per se seorsim: sicut enim vnum potuit fieri sine alio, etiam connaturaliter, ita etiam potest deindè ab illo separatum existere, vtpotè ab eo omninò independens in suo esse, & realiter distinctum, saltèm in potentia, cũ neutrum sit pars alterius; vndè benè idem Ocham in 1. dist. 17. dixit [in indiuiduis eiusdem rationis nõ esse ordinem essentialem, quin quando realiter distinguuntur, vnum possit fieri sine alio, siue neutrum sit pars alterius] & hinc etiam sequitur, Deum ex vna substantia spirituali extensa iam creata, posse quasi extrahere per solam diuisionem plura, & plura noua supposita spiritualia, eaque ponere in rerum natura absque vlla noua creatione. quod videtur repugnare communi omnium iudicio.

Nec dicas, substantias spirituales non esse diuisibiles; id enim non potest dici consequenter, si ponuntur compositæ, aut compositæ nibiles ex partibus extensionis, etiam penetrabilibus: Tum quia verè hæ partes ita se habẽt, vt vna sit extra aliam, & vna in suo esse sit independens ab alia, & sint inter se realiter distinctę, saltèm in potentia, & sint entia per se, seu substantialia; ergo necessariò possunt à Deo diuidi: Tum quia si spiritualitas, & penetrabilitas non impedit realem in ijs substantijs cõpositionem ex partibus integrantibus; ergo multo minus impediet diuisibilitatem: Tum quia substãtiæ materiales ideò simpliciter sũt diuisibiles in partes extensionis, quia sunt ex his cõpositæ, non autẽ quia sunt impenetrabiles; impenetrabilitas .n. solũ facit, vt vna naturaliter sit extra sitũ alterius, & alia rum rerum quantarum; ergo substantię spirituales erũt etiã diuisibiles, saltèm à Deo, in partes exten

sionis, si sunt ex his cōpositæ: vndè substātiæ spirituales, & substantiæ materiales, excepta penetrabilitate, & impenetrabilitate, sicut parificātur in cōpositione, & in extensione maiori, vel minori, vel æquali, sic etiam æquiparātur quantū ad posse diuidi, licet non omnes ab eodem agente: Tum quia posset Deus, vt dixi, duas substantias spirituales eiusdem rationis compositas ex partibus extensionis creare diuisim, quia omninò gratis, & voluntariè diceretur unam substātiam debere includere in se omnes partes huius speciei possibiles, & non posse multiplicari; ergo hæ substantiæ possent per se existere separatæ, etiam connaturaliter, non enim apparet, undè possit nasci hic innaturalitas, aùt uiolentia; ergo, quia hæ substantię forent omninò homogeneæ, de his enim agimus, possent à Deo deindè uniri in unum per se substantiale suppositum; ergo sicut ante hāc unionem potuerunt existere separatæ; ita possent à Deo rursùs diuidi, & sic diuisæ existere per se, quia per eam vnionem, non sunt ita substantialiter immutatæ illæ naturæ, vt aliquam indè contraxerint maiorem dependentiam essentialem, aùt connaturalem à se inuicem; sine fundamento enim hæc fingeretur, vt etiam constat in partibus substantiarum materialium homogenearum diuisis; ergo idem dicendum, de singulis alijs partibus eiusdem rationis, earundem substantiarum spiritualium, quod scilicet possint à se inuicem diuidi, saltèm diuina virtute. Demum non repugnat, partes intensionis alicuius accidentis spiritualis, puta gratię, vel caritatis, separari deuinitus à se inuicem ponendo eas in diuersis subiectis vel omninò extra subiectum; ergò multo minus repugnat partes substantiales extensiuas suppositi substātialis diuidi à se inuicem, & diuisas existere virtute diuina. Difficultas autem de vbicatione Angelica spirituali extensa, quæ tamen non posset diuidi in partes, natas existere per se seorsim, discutietur infra, vbi etiam de quantitate Corporis Christi in Eucharistia.

Tertium motiuum. Opinio dicens, supposito spirituali non repugnare compositionem ex partibus extensionis, multum fauet opinioni ponentium in eodem cōpositionem ex partibus intensionis, saltèm de possibili; quam vt visum est, tenent nonnulli scholastici antiqui, non verò, quòd ego viderim, illam alteram, nec poterunt valide impugnari. Imò magis absurda videtur opinio de partibus extensionis, quia vt constat ex dictis, & habet omnes ferè difficultates; quas habet opinio de intensione, & insuper alias plures infra ponendas proptèr extensionem, quam impossibile est non esse verè quantitatiuam. Item intensio magis affinis, & cōpossibilis est cū entib. spiritualib. tū quia magis recedit à corporeitate, quàm extēsio: tum quia ob omnimodam in-

unicitatem mutuam inter omnes eius partes, magis accidit ad simplicitatem, & indiuisibilitatem, & magis saluat penetrabilitatem rerum spiritualium propriam: tum quia secundum omnes intensio actu reperitur in plurimis accidentibus spiritualibus, vt in gratia, charitate, alijsque virtutibus infusis, & similibus; cum tamen extensio vix à paucis admittatur in vbicatione aliqua Angelorum, & in unione animæ rationalis cum materia. Nec refert, quod substantiæ in genere dicatur repugnare suscipere magis, & minus, nam multi id negant, licet falsò, & specialiter Buridanistę, qui ut refert Flādria 8. metaph. q. 4. a. 3. dicūt aliquid posse suscipere magis, & minus tripliciter [Vno modo, quia pars formæ alteri parti additur: & isto modo, ut ipsi uolūt, forma substantialis suscipit magis, & minus. Alio modo, quia una pars additur alteri in eadem parte subiecti, ita quod illa forma sit intensior in eadem parte subiecti; sicut albedo in eadem parte subiecti aliquando est magis intensa, aliquando minus intensa: & isto modo qualitates suscipiunt magis, & minus, & nullo modo formæ substantiales. Tertio modo aliquid dicitur suscipere magis, & minus, quia prædicatur cum istis aduerbijs, magis, & minus, & hoc dupliciter. Primo respectu eiusdem demonstrati. Secundo respectu diuersorum; & isto modo etiam substantia potest suscipere magis, & minus, vt patet in prædicamentis quia prima substantia est magis substantia, quàm secunda, & inter secundas, species est magis substātia, quàm genus] & tandem, quod ad rem nostram facit, si semel admittatur in substantijs spiritualibus capacitas compositionis ex partibus extensionis; iam aperitur ianua ad ponendum in ijsdem maiori facilitate capacitatem partium intensionis.

Quartum motiuum, pro quo prius in substantia extensa debet distingui duplex extensio. vna localis, quæ immediate, & per se primo est in ordine ad locum, siuè hæc sit ipsum vbi extensum, siuè alius modus ipsi connexus: altera est entitatiua, & magis intrinseca, quæ scilicet per se primo, & immediate dicitur in ordine ad se, seù ad totū; & est exigēs extensionem localem, aùt vbi. & similiter duplex penetrabilitas, & impenetrabilitas, nempè in ordine ad locum, & in ordine ad se, per quam partes substantiæ possunt se inuicem penetrare intrinsece, & esse sibi mutuo intraneæ, vel non possunt. & certè clarum est si substantiæ spirituali non repugnat compositio ex partibus extensionis; eam non solùm debere esse extēsam in ordine ad locum, sed etiam in ordine ad se, aùt saltem debere in se habere pluralitatem partium capacium extensionis in ordine ad se; alioquin ipsa foret intrinsece omninò simplex, & indiuisibilis. Arguo igitur sic, talis substan-

ea foret extensa in ordine ad se, vt clarum est; ergo siuè foret sic extensa per se ipsam formaliter, siuè per extensionem additam in ordine ad se, iam esset constans ex partibus substantialibus inter se inuicem necessariam extreitatē habentibus in ordine ad se; ac proinde impenetrabilibus similiter in ordine ad se; ergo etiam impenetrabilibus connaturaliter inter se in ordine ad locum. & patet hæc consequentia in primis ex eo; quia extensio partium alicuius entitatis est passio profluens ex extensione earundem in ordine ad se, vtpotè priore natura, cum vera sit hæc causalis, ideò partes huius entitatis compositæ sunt extensæ in ordine ad locum, quia sunt extensæ in ordine ad se; non verò è conuerso; & vniuersaliter ea, quæ conueniunt rebus circa se ipsas, sunt priora ijs, quæ conueniunt solùm in ordine ad aliud, seu ad extrinseca; ergo similiter dictarum partium impenetrabilitas inter se inuicem in ordine ad locum est passio profluens ex impenetrabilitate earundem in ordine ad se; sicut enim se habet in rebus compositis extensio ad extensionem, sic impenetrabilitas ad impenetrabilitatem, & hæ sine dubio sunt commensuratæ extensionibus. Deindè quis non videat in entitatibus compositis in ordine ad se extensis per partes in ordine ad se impenetrabiles in vno per se toto, maximam habere proportionem impenetrabilitatem connaturalem earundem inter se in ordine ad locum, & longè maiorem, quàm sit penetrabilitas opposita. deindè esto non in omnibus vniuersaliter entitatibus ex extensione partium, & impenetrabilitate in ordine ad se fluat immediatè, vt passio, impenetrabilitas earundem in ordine ad locum, vt multi putant contingere in substātijs materialibus, earumque accidentibus; tamen fluit semper, saltē mediatè, hoc est media alia extensionē, natura sua trahente secum partium impenetrabilitatem, vt in dictis rebus constat; videmus enim quamlibet ex his naturaliter esse totam in toto aliquo loco: & partes eius in partibus loci, non autem totam in toto, & totam in qualibet parte; aùt totam & singulas partes in aliquo puncto loci; ergo sic in casu nostro.

Præterea. ea substantia spiritualis extensa in ordine ad se, vel esset in ordine ad locum naturaliter indifferens ad suarum partium penetrabilitatem, & impenetrabilitatem; vel esset determinata ad penetrabilitatem tantum; vel ad solam impenetrabilitatem. Non primum, tum quia illa non est ex se indifferens ad suarum partium penetrabilitatem, & impenetrabilitatem in ordine ad se; alioquin esset indifferens ad intensionem, quæ habetur per penetrationē, & intraneitatē partiū in ordine ad se, & simul in eodem ordine ad extensionem, quæ habetur per extrei-

ditatem, & impenetrabilitatem earundem; ergo neque est indifferens in ordine ad locum ad penetrabilitatem, & impenetrabilitatē: Tum quia iam hinc sequitur talē substātiam non esse in se spiritualem, vt supponitur, sed esse ex se indifferentem ad esse spirituale ob naturalem penetrabilitatem suarū partium, & ad esse corporeum ob impenetrabilitatem earundem, quod implicat: Tum quia ea deberet posse naturaliter sibi variare modos essendi in loco, vt nimirum nunc sit tota in toto loco extenso, & pars in parte; nunc verò tota in toto extēso, & tota in qualibet parte eius; nunc autem tota cum qualibet sui parte in eodem puncto loci, seù situ pūctuali; ergo deberet talis substātia esse cognitiua, imò etiam libera, vt posset nunc hunc, nunc illum modum eligere, contra quod dicam infra. Nec potest dici secundum; quia, nullum est caput cur talis substātia habens in se partes sit naturaliter restricta ad essendum semper secundum eas penetratas in eodē loco siuè extenso, siuè pūctuali; ad quid .n. illi deseruirent tales partes extensionis si nunquam possent naturaliter poni vna extra aliam in diuersis partibus loci? & quid plus haberet hæc substantia circa locabilitatem, quam habeat substantia spiritualis in se simplex, & incomposita, quæ profectò non est apta proni, nisi tota in toto aliquo loco punctuali, aùt tota in toto extenso, & tota in qualibet parte eius? ergo necessariò debet dici tertium, quod scilicet huiusmodi substantia sit in ordine ad locum naturaliter determinata ad impenetrabilitatem suarum partium, ita scilicet vt ex necessitate sit tota in toto loco, & singulæ partes eius in singulis partibus loci diuersis, & vna sit omninò extra locum alterius. ergo tandem huiusmodi substantia non esset spiritualis, sed corporea, & quanta vera quantitate molis, vtpotè extensione exigente connaturaliter extensionē localem, & mutuam partium impenetrabilitatem in loco; & consequenter substantię spirituali repūgnat compositio ex partibus integrantibus extensionis.

Dices primo posse dari plures formas simplices, & carentes partibus extensionis, & tamen impenetrabiles respectu loci, vt fortè sunt animæ perfectorum brutorū, & sic è contrariò posse dari partes extensionis substantiæ spiritualis. Sed contra, quia si illæ formæ sumuntur vnitæ suis materijs, sic sunt verè naturaliter inter se impenetrabiles per accidens, ratione illarum: sicut etiam sunt animæ rationales corporibus coniunctæ. Si verò sumantur separatæ; in primis sine fundamento, & quasi diuinando dicitur, eas esse inter se impenetrabiles. Deindè esto ita foret; non propterea partes illius substantiæ essent penetrabiles; possent enim, tàm hę, quàm illæ formæ esse loco impenetrabiles ex diuersis capitibus ex se ad hoc

per se seorsim sufficientibus: formæ quidem, quia adhuc essent materiales, vtpotè à materia pendentes, saltèm aptitudinaliter: illæ verò partes, quia essent in tali substantia extensæ, & impenetrabiles in ordine ad se, & ideò etiam in ordine ad locum naturaliter.

Dices secundo Partes extensionis illius substãtiæ esse loco impenetrabiles inter se, posse esse tamen penetrabiles cum alijs rebus, etiã corporeis, & idcircò illas esse spirituales: sicut partes vbicationis extensæ admissæ à multis in Angelo, sunt inter se loco impenetrabiles, cum vna sit necessariò extra aliam: & tamen, quia sunt penetrabiles cum alijs similibus vbicationibus, & etiam corporum, sunt verè spirituales, sicut & tota vbicatio ex his composita.

Sed contra: quia in respectu ad locum est latum discrimen inter illas res. Nam substantia extensa, & partes extensionis eius sunt ponibiles in loco, seù locabiles vt quod, siuè magis, siuè minus principale: & hinc, est quod non sunt addictæ certo loco, sed indifferentes ad hunc, vel illum totalem, vel partialem: vndè etiam fit, vt extraneitas, & impenetrabilitas talium partium in ordine ad se, sit in ijs sufficiens, & adæquata ratio connaturalis impenetrabilitatis earũdem, & etiam aliarum consimilium in ordine ad locum; ob quam etiam rationem hoc ipso quòd vna pars est in ordine ad se extra aliã, siuè sibi actu vnitã, siuè separatã, & solũ, quantùm est ex se vnibilem in uno toto extenso, iam omnes sunt inter se una extra aliã atque adeò sint simpliciter impenetrabiles respectu loci; quia omnes sunt eiusdem rationis, ut clarè patet in partibus quãtitatis unitis, ac separatis; ergo implicat, quod partes extensionis dictæ substantiæ sint impenetrabiles inter se in ordine ad se, & quod naturaliter sint penetrabiles cum rebus corporeis, & ob hoc sint spirituales; sed sunt necessariò corporeæ, & ex nullo capite habent spiritualitatem: idem dic de tota substantia extensa comparata ad totam aliã substantiam similiter extensam: At uerò ubicationes rerum uniuersaliter non sunt aptę esse propriè in loco, nec sunt locabiles ut quod, sed solùm ut quo, quia sunt actualia exercitia locandi, seù actuales locationes rerum locabilium: & indè est, quod singulæ, siuè totales, siuè partiales, componentes unam totalem sunt ex sua ratione addictæ ad locandum res in loco certo totali, aùt partiali respectu rerum locabilium: & quidem aliquæ ubicationes totales, aùt partiales sunt ex se addictæ, ut quo ad locandum in uno, & eodem loco totali, aùt partiali simul, uel diuisim iuxta naturam locabilium: aliæ uerò ubicationes sunt ex se ipsis determinatæ ad locandum in diuersis locis, & ineptæ locare in uno, & eodem: & hoc oritur ex diuersa natura, & uaria conditione ipsarum ubicationum,

si-

sicut patet in alijs modis, quorum, aliqui, saltèm diuisim, sunt apti, & addicti ad modificandum vnum, & idem subiectum; alij verò sunt apti, & ex se determinati ad diuersa. & hinc etiam fit, vt in vbicationibus, siuè totalibus, siuè partialibus, esse penetrabile, vel impenetrabile in ordine ad locum non oriatur primo, & per se, & vniuersaliter ex aliqua intraneitate, seù penetrabilitate, aùt extraneitate, & impenetrabilitate in ordine ad se, sed ex respectu, & addictione earum, in munere locandi, vel ad vnum locum, vel ad diuersa loca impenetrabilia; ob quàm rationē non possunt dici simpliciter penetrabiles, aùt simpliciter impenetrabiles inter se, sed solùm secundum quid, & terminatiue, & quasi obiectiue respectu scilicet loci extrinseci: licet vbicationes substantiarum corporearum habeant in quantum sunt res, & accidentia ipsarum, etiam aliam impenetrabilitatem annexam in ordine ad locum, ortam ex extreitate partiū in ordine ad se ijs conuenientem ratione talium subiectorum. Benè ergo possunt in ea opinione partes illæ vbicationis extensæ in Angelo, quæ sunt potentiales vbicationes, esse in ordine ad se inextensę, & penetrabiles inter se, ac proindè etiam spirituales subiectiue, seù ratione talis subiecti spiritualis, & indiuisibilis, in quo vna necessariò est intra aliam; & tamē in ordine ad locum extensæ, & impenetrabiles inter se secundum quid, tum quia singulæ in vna, & eadem vbicatione totali sunt ex se addictæ, vt quo, ad locandum eūdem Angelum in distinctis, ac diuersis partibus loci: tum quia singulę secundum aliquos non locant illum nisi successiue; cum scilicet continue mouetur, & consequenter necessariò vna pars est post aliam, & extra aliam: sunt verò etiam penetrabiles cum vbicationibus aliarum rerum, etiā corporum, quia dictæ partes, & sunt spirituales, sicut tota vbicatio; & cum ijs non sunt compartes, nec se habent formaliter, vt quo partiale, sed vt omninò disparatæ, & vt quod aliquo modo, seù vt quædam res, nec respectu earum sunt necessariò successiuæ.

Dices tertio non omnem extensionem entitatis compositæ habere partes impenetrabiles, sed solùm aliquam, quæ ex natura sua est talis, & sic est extensio quātitatiua.

Sed contra. quia vel est sermo de impenetrabilitate partium in ordine ad se, vel de impenetrabilitate in ordine ad locum. si de primo falsum est assumptum; omnis enim extensio habet partes sic impenetrabiles; & implicat extensio cuius partes non sint impenetrabiles in ordine ad se, etiam supernaturaliter: quia de ratione formali extensionis, vt sic, est necessariò extreitas partium, seù quod vna eius pars sit actu extra aliam, & sit vnita immediate vni, mediate verò alijs: atque adeò in ordine ad

se

se sint impenetrabiles; tum quia per hoc primo distinguitur ab intensione de cuius ratione est actualis intreitas, atque adeò penetrabilitas suarum partium, ita vt singulæ sint immediate vnitæ singulis: Tum quia si de ratione extēsionis est sola multitudo partium extendibilium; ergo vt hæc fiat extensio actualis, est illi simpliciter necessarius alius modus distinctus, qui sit formaliter extēsio; & de hac quæro, an sit habens partes actu impenetrabiles in ordine ad se etiam supernaturaliter: & sic vel itur in infinitum in extēsionibus in vna, & eadem re, vel sistendum est in extensione aliqua habente partes impenetrabiles in ordine ad se, etiam supernaturaliter. Si verò sit sermo de impenetrabilitate in ordine ad locū; tunc etiam falsum est assumptum quoad impenetrabilitatem connaturalem; omnis enim extensio necessariò habet partes loco impenetrabiles naturaliter, tum ex iam probatis propter proportionalitatem, & connexionem huius proportionalitatis ad illam aliam priorem: tum quia si est aliqua extensio non habens partes loco impenetrabiles naturaliter, hæc esset incorporea, seu spiritualis ob carentiam talis impenetrabilitatis, & simul esset corporea, & quidē potiori ratione; quia haberet impenetrabilitatem partium in ordine ad se, quæ profectò est magis accedens ad corporeitatem, eique intimior, quàm impenetrabilitas partium in loco; hæc .n. est supernaturaliter ab ea separabilis, seu impedibilis quoad exercitium impenetrationis; illa verò est prorsùs inseparabilis, & illi omninò essentialis, vt dictum est. Neque hinc sequitur, etiam impenetrabilitatem localem esse æque inseparabilem à dicta extensione; non enim sic est. nā impenetrabilitas in ordine ad se, est prior, & est ipsa formalis ratio extēsionis, aùt certe effectus formalis primarius eius: impenetrabilitas verò localis est posterior, & quædam passio, aùt effectus formalis secūdarius eius, & ideò diuinitus separabilis.

CAPVT II.

Corollaria ex præcedentibus.

PRimum est substantiam dictā spiritualem cōstantem ex partibus integrantibus extensionis implicare etiam ob hoc caput, quod foret extensa secundum lōgitudinem, latitudinem, & profūditatem, seu secundum extensionem correspondentem ad has dimensiones; non enim posset fingi extensa ad modum lineæ tantum secundum longitudinem; aut ad modum superficiei secundum solam latitudinem; ergo ipsa foret spiritualis, quia ita supponitur: & simul esset corporea, seu materialis, quia uerè realiter, & positiue &

& non tantum imaginariè esset longa, lata, & profunda, uel etiam si fingatur longa tantum, aut tantū lata, adhuc corporea esset: undè & posset à Deo secundum singulas has dimensiones, seu correspondentias ad dimensiones diuidi in diuersa fragmina, ac frusta ad modum aliarum rerum materialium. & insuper augeri secundū quamcunque ex his dimensionibus. Nec dicas talem substantiam non esse corpoream, sed pure spiritualem, quia eius partes sunt penetrabiles. Nam in primis hoc uidetur clarum effugium. Deindè, aut hæ partes dicuntur penetrabiles supernaturaliter tantum: & hoc non tollit corporeitatem, quia etiam uera corpora sunt penetrabilia supernaturaliter; aut etiam penetrabiles naturaliter; & hoc neque ualet; quia adhuc sequitur, talem substantiam includere dimensiones longitudinis, latitudinis, & profunditatis penetrabiles, ac spirituales, non tantum metaphoricas, & uirtuales, sed ueras, & reales constantes ex partibus formalibus, & secundum has posse à Deo diuidi; quod ex terminis ipsis statim apparet per se incredibile, & est prorsùs inauditum. Deinde vndè quæso habes, eam substantiam extensam possibilem esse spiritualem propter penetrabilitatem naturalem partiū eius, ex eo, quia spiritualitati substantiali non obstat extensio partium, si adsit penetrabilitas? è contrario enim ego dicam huiusmodi substantiam esse corpoream propter extensionem partium eius intrinsecarum, quia corporeitati substātiali non obstat penetrabilitas partium, si adsit earundem extensio ac diuisibilitas; contendam enim dabilem esse substantiam corpoream diuersæ omninò rationis à substantijs existentibus compositam ex partibus extensionis naturaliter penetrabilibus, quia non est cur hæc substantia implicat, si per te non implicat substantia spiritualis constās ex partibus extensionis omninò diuersæ rationis à substantijs spiritualibus præsentibus, nec poteris vnquam afferre maiorem rationem vnius implicātiæ, quàm alterius. Quod si dicas, implicare substantiam corpoream habentem partes naturaliter penetrabiles, quia videmus omnes substantias corporeas, ac quantas, & à materia dependentes actu existentes habere partes naturaliter impenetrabiles ratione quantitatis: sic è contra ego dicam, implicare substantiam spiritualem extensam per partes integrantes extensionis permanentes, quia scimus omnes substantias spirituales actu existentes esse simplices, & excludentes compositionem ex partibus integrantibus ratione suæ spiritualitatis: vel si dicas, hanc substantiam non implicare ratione spiritualitatis substantialis, vt sic, sed ratione spiritualitatis talis ac determinatę; sic etiam ego dicam, illam substantiam non implicare ratione corporeitatis, vt sic,

sed

sed ratione corporeitatis talis, ac determinatę: & demum si ea substantia extensa est adhùc spiritualis proptèr partes penetrabiles, siuè quia omnes possunt vbicari in vno, & eodem loco punctuali, siuè quia ipsa tota, & singulæ partes possunt poni in toto aliquo loco extenso, & in singulis eius partibus; sic etiam fingi, aùt excogitari posset, hanc ipsam substantiam, aùt aliam similem ex partibus integrantibus extensiuis constantē, rarefieri, & condensari per aliquā qualitatem sibi proportionatam, quia hoc non implicat; & tamen esse adhùc spiritualem proptèr partes eius penetrabiles. Hoc autem est absurdum; ergo, &c.

Secundum corollarium. essentiam quantitatis dimensionalis, quæ etiam dicitur corpus de prædicamento quantitatis, non posse consistere in connaturali impenetrabilitate secundum locum cum alia eiusdem speciei. Patet tum primo ex eo, quia etiam si darentur quantitates dimensionales diuersissimæ speciei, adhùc tamen hæ forent naturaliter inter se impenetrabiles secundum locum: Tum quia à priori vniuersaliter essentia in vnaquaque re consistit in ea ratione, quę in ipsa est prima, seù prior, & simul est inseparabilis, aùt inimpedibilis, non autem in ratione posteriori impedibili in ea. vel certè cum maiori congruentia, & connaturalitate dicitur consistere essentia in illa ratione priore, quàm in posteriore; siquidem essentiæ rerum debēt per se esse fixæ, & immutabiles quam maximè fieri potest: sed in dicta quantitate ex iam probatis, est ratio prima, ac prior, nempè extensio, seù extreitas partium in ordine ad se exigitiua immediate extensionis localis, & simul est inseparabilis, aùt inimpedibilis; impenetrabilitas verò secundum locū cum alia eiusdem speciei est posterior, & separabilis, aùt impedibilis; ergo essentia talis quantitatis non consistit in hac impenetrabilitate, sed in illa ratione priore. Item explicatur idem sic quia si essentia quantitatis debeat consistere in aliqua impenetrabilitate, clarum est, esse longè maiorem rationem, quod dicatur consistere in illa impenetrabilitate, quæ in ea est intimior, prior, & inseparabilior, seù inimpedibilis, qualis est impenetrabilitas in ordine ad se, vt supra etiam dixi, & est ipsa repugnantia mutua partium ad intraneitatem inter se, quàm in impenetrabilitate in ordine ad locum, quæ minus intima, & magis separabilis, aùt impedibilis est quamuis exigita immediate ab illa. Benè tamen potest essentia illa explicari à posteriori per hanc secundam impenetrabilitatem, tanquam per passionem. Atque hinc habetur

Tertium corollarium: quod neque vniuersaliter essentia corporis de prædicamento substantiæ possit consistere in ratione substantiæ impenetrabilis naturaliter secundùm.

dum locum cum alia eiusdem speciei. probo tum ex eo quia inter talia corporea non solùm dari possunt multa tota completa eiusdem speciei, sed etiam diuersissimarum specierum, vt infra; ergo quodlibet ex ipsis esset naturaliter impenetrabile secundum locum cum alijs omnibus, & singulis, & non tantum cum alijs eiusdem speciei; & sic falso dicitur eius essentiam consistere in ratione substantiæ sic impenetrabilis. tum ex eo, quia talis impenetrabilitas localis est supernaturaliter separabilis, aùt impedibilis, ac vincibilis salua remanēte essentia dicti corporis; ergo hæc nō potest consistere in ratione substātiæ sic impenetrabilis, sed in aliqua ratione priori. tum ex eo, quia non sunt dabiles substantiæ corporeæ inextensæ, & indiuisibiles, & tamen naturaliter per se loco impenetrabiles; ergo necessariò omnes substantiæ sic impenetrabiles, sunt in se extensæ in ordine ad se, & diuisibiles, & ex consequenti earum essentia in hac extensione, seù partium extreitate consistit, vt supra. Antecedēs probo primo; quia si tales substantiæ essent dabiles, iam ob hanc impenetrabilitatem essent corporeæ ob inextensionem, ob indiuisibilitatem verò forent spirituales: sicut enim tu dicis, eas substantias esse corporeas, quia constat omnes substantias existentes esse per se impenetrabiles: ita ego dicam, easdem substantias esse spirituales, quia constat, omnes substantias inextensas, & indiuisibiles actuales esse spirituales, saltē quādo sunt independentes in esse suo à materia prima quanta: & quidē rationabilius hoc à me dicetur; quia inextensio, & indiuisibilitas, in qua conueniunt cum substantijs spiritualibus, est omninò intima, & inseparabilis, etiam supernaturaliter, ab ijs; cum tamen impenetrabilitas secundum locum, in qua cōueniunt cum substantijs extensis, & quātis, sit ab ipsis diuinitus separabilis, aùt impedibilis vt etiam tactum est. Probo secundo idem antecedens, quia si dabiles sunt illæ substantiæ, vtique inter eas aliquæ forent vnius speciei, aliæ verò aliarum diuersissimarum specierum; gratis enim, & diuinando diceretur eas esse restrictas intra limites vnius tantum speciei specialissimæ: & rursùs aliquæ forent incompletæ, vt materia prima indiuisibilis, & forma indiuisibilis: aliæ verò essent tota completa, singula indiuisibilia; ergo esto possit dici, vnam materiam indiuisibilem esse impenetrabilem naturaliter cum alia materia indiuisibili eiusdem speciei, & sic vnam formam cum alia simili forma, & similiter vnā totam substantiam cum alijs eiusdem speciei; falso tamen, & omninò fictitiè dicitur, vnam materiā corpoream, quæ est indiuisibilis, esse impenetrabilem cum alia materia indiuisibili eiusdem speciei; & tamen esse penetrabilem

 ma-

naturaliter cum alia materia quãta, & diuisibili, aût cum rebus alijs quantis; & similiter formam corpoream indiuisibilem, quæ est impenetrabilis cum alia forma simili indiuisibili, esse penetrabilem cum alijs formis, & rebus quantis ac diuisibilibus: & insuper vnam totam substantiam indiuisibilem esse impenetrabilem cum alia sibi simili, & penetrabilem cum alijs diuersis, etiam quantis. ideò enim vna quantitas est impenetrabilis cum alia quantitate, & non cum alijs, nisi quantis; quia quantitas est primum occupatiuum, & sufficiẽs, ac adæquatum repletiuũ loci, & ad hoc per se naturaliter ordi natum; & idcircò non permittit secum naturaliter aliud simile occupatiuum, ac repletiuum in eadẽ loco: nõ sic verò est substantia illa indiuisibilis, vt cõstat. Probo tertio idem. ideò per te dabiles sunt substantię corporeæ indiuisibiles, & impenetrabiles naturaliter cum suis similibus, penetrabiles verò cum alijs, quia hoc non implicat scilicet dari res talis naturæ; ergo etiam dabiles sunt aliæ substantiæ corporeæ indiuisibiles, naturaliter impenetrabiles cum alijs corporeis indiuisibilibus aliarum specierum, & omnibus quantis. Imò si probatio in huiusmodi casibus extraordinarijs resoluitur in hoc, quia non implicat; etiam sequitur, dabiles esse substantias corporeas, tàm indiuisibiles, quàm diuisibiles, & quantas, impenetrabiles etiam supernaturaliter cum omnibus quantis, ac alijs rebus corporeis, quia hoc non implicat nempè dabiles esse res corporeas huius naturæ. quod nemo, vt credo, dicet.

Probo quarto idẽ. Aût dictæ substantiæ forent omnes indiuisibiles punctualiter, seù instar puncti formaliter, & virtualiter indiuisibilis ex sua imperfectione: aût omnes essent indiuisibiles, & inextensæ formaliter, extensæ tamen, & diuisibiles virtualiter ex sua eminentia, & pefectione. Aût aliquæ essent indiuisibiles vno modo, aliquæ alio. si primum, præter quàm quòd id gratis diceretur, iam sequitur, ex ijs substantijs, seù punctis substantialibus per iuxta positionem vnius immediatè post aliam, posse constitui lineam, superficiem, & profunditatem substantialem receptiuam immediate in se additorum accidentium, sicut aliqui putant ex punctis accidentalibus constitui quantitatem; & nõ posset efficaciter impugnari qui diceret non solùm, de possibili, sed de facto ita esse; Hoc auté nunc suppono, vt falsum, & contra communem Peripateticorum, & scholasticorum sententiam. Si dicas secundũ; ergo tales substãtiæ indiuisibiles, saltẽ q̃ forẽt independẽtes à materia prima, essent corporeæ, quia ita supponitur; & simul essent spirituales, quia essent præditæ extensione virtuali propria rerũ spiritualiũ, per quã ex independẽtia, & eminẽtia, & eleuatione supra omnes res corporeas, esse pos-

possent totæ in toto, & totæ in qualibet parte alicuius spatij, seù loci. Si tertium; hoc impugnatur sicut primum quoad eas substantias, quæ forent indiuisibiles ad modum puncti; & sicut secundum quoad alias, quæ forent indiuisibiles, sed extensæ, & indiuisibiles virtualiter. Probo quinto idem quia tribus modis potest vna substantia dici, & esse naturaliter inepta ad esse in vno loco simul cũ alia: nempè aùt quia singulæ sunt per se addictæ diuersis locis, quo pacto tenent quidam dabilia esse corpora sic ex se determinata; & hoc modo hæ res non dicuntur proprie impenetrabiles secundum vsum vocis ordinarium, siquidem neque simul, neque diuisim possunt esse in vno loco, & non ex sola repugnantia earum ad simultatem, sed potius ex repugnantia locorum inter se inuicem. Aùt quia tales res sunt in loco per operationem; vndè quia non possunt causare eandem operationem, ideò non possunt esse in eodem loco, quod quidem aliqui dicunt de Angelis: & neque hæc secundum vsum solet proprie dici impenetrabilitas. Aùt demum quia licet possint esse in diuersis locis, & etiam in vno, & eodem diuisim, & successiue; tamen non possunt naturaliter in eo esse simul, quia cum singulæ hæ res sint in loco replendo, & adæquando ipsum commensuratiuè, non possunt ambæ simul illum sic replere, & adæquare, cum singulæ sint per se, aùt per aliquid sibi coniunctum cum commensuratione, aùt depe[n]d[en]tia ab ipso, sufficientissimæ ad hanc repletionem, & adæquationem: & hæ res dicuntur proprie naturaliter impenetrabiles secundum locum; ergo non hoc ipso quod aliquæ substantiæ indiuisibiles sunt quomodocunque impenetrabiles in eodem loco cum alijs eiusdem speciei, seù ineptæ esse simul in eo naturaliter, statim sunt corpus, aùt corporeæ, sed vt sint corpus necesse est eas esse proprie impenetrabiles, nempè ex naturali repugnantia ad replendũ simul, & adæquandum eundem locum; ad quod aperte requiritur eas esse extensas, & diuisibiles formaliter: Vndè si per possibile, aùt impossibile duo Angeli eiusdem speciei, qui sunt indiuisibiles, & inextensi, essent naturaliter inepti esse simul in eodem loco, siuè quia singuli essent addicti diuersis locis, siuè quia essent inepti causare simul eandem operationem, clarũ est, eos non fore corpus, seù corporeos, quia nõ essent impenetrabiles proprie, nempè ex repugnãtia ad replendum simul dictum locum, quem vtique ne diuisim quidem replere possent. & patet aliqualiter hoc in vbicationibus Angelicis eiusdem speciei addictis diuersis locis, quæ siuè ponantur in se indiuisibiles, siuè diuisibiles sunt ineptæ esse simul in eodem loco; nec tamen dicuntur proprie impenetrabiles, ac proindè, nec corporeæ, idest materiales, & idõ

accidit inter partes vnius vbicationis vnius Angeli, quæ sunt addictæ diuersis partibus loci. Atque ex his habetur

Quartum corollarium, nempè ens materialem in communi, seù ens quantitatiuum prædicabile etiam de accidentibus materialibus non bene explicari per hoc disiunctum, quod sit ens impenetrabile cum alio indiuiduo sibi simili, vel sit habens commensurationem cum tali impenetrabili, per naturalem scilicet dependentiam ab ipso. & è contra, nec tem spiritualem consistere in hoc, quòd sit ens non quantitatiuum. Ratio est, quia ens impenetrabile tali modo, non potest esse propriè, ac sic rectè impenetrabile, vt requiritur ad ens quantitatiuum, nisi sit sub repugnantia ad esse simul cũ alio sibi simili in eodem loco, replendo, & adæquando ipsum, vt explicatum est; ergo ens quantitatiuum, vt sic, præsupponitur potẽs simplicitér esse in loco repletiuè, & adæquatiuè, atque adeo, vt extensum, seù constans ex partibus integrantibus natis replere; ergo in hac extensione priore consistit ratio entis quantitatiui, & per hãc debet explicari formaliter, non autem per primam partem illius disiuncti: & neque per secundam; quià nullum ens potest esse commensurabile illi impenetrabili per naturalem ab eo dependentiam, nisi sit in se intrinsece formaliter extẽsum, aùt ipsi coextensum per formales sui partes: aùt certe in aliquo casu æquiualentes per partes quasdam virtuales ab eodem in suo esse dependentes, vt aliqui dicunt de animabus perfectorum brutorum; ergo insuper neque ens spirituale potest consistere in hoc, quod sit ens non quantitatiuum: Tum quia alioquin consisteret, aùt in hoc, quod sit ens non impenetrabile, siquidem ens quantitatiuum est impenetrabile, quod est absurdum, & alienum à communi conceptu, & modo loquendi de ente spirituali: aùt certè in hoc, quod sit incommensurabile impenetrabili, quod etiam laborat eodem defectu. Tum quia sicut ens quantitatiuum consistit in aliquo priori ad esse impenetrabile, & incommensurabile; ita ens spirituale cõsistit in aliquo priori ad esse non impenetrabile, & ad esse incommensurabile. & declaro hoc magis, quia valet hęc causalis; Ideò ens quantitatiuum est dicto modo impenetrabile, vel commensurabile impenetrabili, quia quantitatiuum est; & è contra, ideò ens spirituale, est ens non quantitatiuũ seu non impenetrabile, neque cõmensurabile impenetrabili, quia spirituale est; ergo ratio formalis entis quantitatiui est prior, quàm illa impenetrabilitas, aùt commẽsurabilitas: & similiter ratio entis spiritualis est prior, quàm non esse quantitatiuum explicatum per impenetrabile, vel commensurabile.

Dices, in hoc casu ly Ideò, & Quia non debere sumi in sensu cau-

causali, sed in sensu formali.

Sed contra. ergo impenetrabilitas formaliter sumpta, est negatio penetrabilitatis, q̄ importat potentiam coexistendi cum alio in eodem loco, & per consequens ratio entis quantitatiui secundum vnam partem illius disiuncti est formaliter negatio, & non quid positiuum; ergo insuper entia formaliter quantitatiua positiue, erūt sola entia commēsurata, seù commensurabilia dicto impenetrabili per naturalem dependentiam ab eo; quæ omnia apertè sunt falsa. Præterea negatio penetrabilitatis fundatur necessariò in aliqua ratione positiua rei impenetrabilis, vt clarum est; ergo talis ratio, non autem hæc negatio est essentia, & ratio formalis entis quantitatiui, & per ipsam explicari debet ens quantitatiuum loquēdo de explicatione à priori: & similiter ens commēsurabile illi impenetrabili non est formaliter pura dependentia ab eo; sed est etiam entitas ipsa positiua, cui inest talis dependentia cum quadam adaptatione, & correspondentia totius ad totum, & partium ad partes, quæ partes in re dependenti sunt, vel formales, seù actuales, vt constat in omnibus accidentibus materialibus, & quantitatiuis; vel saltèm æquiualentes, seù virtuales dependentiæ mistas; ergo illæ particulæ Ideò, & Quia, non possunt explicando ens quantitatiuum, sumi in sensu formali, sed causali. Similiter cum dicitur ideò ens spirituale est ens non quantitatiuum, quia est ens spirituale; tales particulæ non possunt accipi in sensu formali, sed causali: tum quia alioquin ens spirituale formaliter sumptum esset negatio entis positiui quantitatiui, quod est falsum; Tum quia ens spirituale, licet à nobis explicetur per negationem, seù rationem exclusiuam entis quantitatiui, quod contingit ex natura, & differētia spiritualitatis nobis ignota; tamen eius formalis ratio est perfectio positiua, & eminentia supra omnia quantitatiua, & materialia, & corporea, ex qua oritur harum rerum negatio, seù exclusio. ex his ergo

Concludo ens quantitatiuum sumi posse, vel intrāsitiue pro ente scilicet, quod est ipsa quantitas, vel trāsitiue, nempè pro ente, quod est aptum reddi quantum, seù quantificabile per quantitatē participando effectum, aùt quasi effectum formalem eius. Primo modo consistit in extensione, seù extreitate partium in ordine ad se, exigitiua immediate extensionis localis cum impenetrabilitate in ordine ad locum, tàm inter eas partes, quàm cum alijs similibus, aùt formaliter, vt sunt aliæ quantitates, aùt participatiue, vt sunt omnes aliæ res, prout sunt iam quantæ, seù quantitati commensuratæ. secundo modo consistit in ratione entis actu, vel potentia coextensi quantitati, commensurando se per partes suas integrantes partibus eius, & participando effe-

effectum formalem, aùt quasi formalem illius, scilicet esse quãtum quo fit vt entia sic quantitatiua possint esse substantia, accidentia, & etiam modi, seù modificationes rerum, & sint necessariò habentia propriam actualem extensionem in ordine ad se ex proprijs partibus constantem, minimè tamen exigitiuam per se immediatè extensionis localis, sed media quantitate, vt aliqui volunt: vel certè habentia solùm ex se partes integrantes quantitate extẽdibiles, etiã in ordine ad se, vt verius puto: idque verum est, saltèm æquiualenter modo proposito, & possunt hæ omnes res vocari quantitatiuę materiales, & corporeæ, & sic inuenio indifferenter loqui Doctores; nec de vocibus est multum curandum, licet substantiæ dicto modo extensæ soleant frequentius dici corporeæ, & materiales, quàm quantitatiuæ: quando verò hæ res sint inter se impenetrabiles, aùt penetrabiles quoad locum, hoc pendet ex varijs harum naturis, & conditionibus: quando enim ipsæ sunt ex se actu coextensæ diuersis quantitatibus, aùt sunt ineptæ coextendi vni, & eidem quantitati, vel rei quantę; iam sunt naturaliter impenetrabiles, quod à nobis à posteriori potest cognosci: cum verò coextenduntur, aùt coextendi possunt eidem quantitati, aùt rei quantæ, sunt penetrabiles: & talia sunt accidentia nata idem subiectum informare; & secundum aliquos, variæ formæ substantiales subordinatę à materia pendentes. ens verò spirituale in quo consistat, iam dictum est, & fusius declaratum disp. 1. c. 1.

Quintum corollarium. Implicat substantia spiritualis completa intellectiua quà intellectiua, composita ex partibus extensionis integrantibus penetrabilibus. sequitur ex dictis, quia hæ partes, vt aduersarij vocant, singulæ per se seorsim spectatæ forent substãtiæ quædam intellectiuæ completę, ac veræ personæ, nempè Angelicæ, vltimatè perfectæ, & proindè inunibiles, & ineptæ componere vnam substantiam, &c. Quod patet primo, quia ex supra probatis, partes substantiales intensiuæ forent singulæ per se seorsim spectatæ, substantiæ completæ, &c. ergo multo magis hæ partes extensionis, cum vna sit totaliter extra aliam, & omnes sint substantię intellectiuæ. Secundo hæ substantiæ forent singulæ per se, sicut sunt nunc plures Angeli existentes singuli indiuisibiles, & iuxta se positi, & quasi contigui, vnus immediatè post alium; sicuti enim hi sunt per se singuli sufficientissimi ad intelligere, & velle etiam libere cum independentia vnius ab alio, ita planè forent illæ per se singulæ, præsertim in volitionibus liberis, in quibus vna substantia non potest esse pendens ab alia, talis enim dependentia repugnat libertati, quæ dominium cirça suam actionem importat; ergo sicut tales Angeli sunt singuli per

se veræ personæ vltimatè perfectæ, & per consequens inunibiles in vnam per se substantiam, aut personam; sic etiam sunt æquè perfectæ personę, huiusmodi substantiæ.

Tertio hæ substantię intellectiuæ, quæ finguntur partes, possunt diuinitus existere separatæ, vt supra; ergo in hoc statu cum sint liberæ vna posset peccare, seu esse in peccato mortali, imò esse impęnitens, alia verò posset benè operari positis requisitis, & esse in gratia; vel ergo hę possunt rursus vniri ad componendum vnam totalẽ personam, vel non possunt: si possunt; ergo hæc persona foret in peccato mortali, atque adeò digna pœna æterna; & simul foret in gratia, ac digna beatitudine, & iustus iudex posset partem eius mittere in gehennam, partem verò in Cœlum, aut totam in vtrũq; locum. si verò non possunt vniri; ergo clarum est signum, eas res semper fuisse vera supposita intellectualia, seu completas personas. Nec dicas, illas partes non posse per accidens vniri ratione status peccati, & gratiæ, posse autem ratione entitatis naturalis substantialis: nam in primis illæ partes habent se vt Angeli separati, atque adeò ad modum cęterarum personarum omninò disparatarum sub peccato, & gratia; ergo ne ratione entitatis quidem possent reuniri: deinde verò peccatum, & gratia non possunt rationem physicam, aut metaphysicam naturarum, & suppositorum immutare; ergo si ratione conditionis naturalis possent reuniri, iam etiam possent non obstante peccato, & gratia. Quarto dictæ substantiæ etiam per impossibile vnitę non essent ita inter se determinatæ, & per se connexę circa intelligere, & velle, vt quicquid vna intelligit, aut vult, necessariò idem intelligat, aut velit alia, nec posset vna intelligere alia, aut non intelligente, aut non volente; hoc enim, & esset magnũ mysteriũ simile diuinis personis, & ab his voluntatibus distinctis tolleret libertatem; sicut etiam tollitur si talis conspiratio harum voluntatum originaretur ab aliquo superiori agente; ergo re vera hæ substantię ita se habent, vt vna possit intelligere, & velle, alia non intelligente nec volente: & similiter possint intelligere, ac velle diuersa, ac contraria obiecta; ergo vna potest benè operari, & esse in gratia, alia verò peccare, seu esse in peccato; ergo nihil ijs deest ad rationem verarum, ac complete perfectarũ personarum; & consequenter non possunt esse vnitæ, seu potius possunt esse vnitę, quia ita supponitur & simul non possunt esse vnitæ, nec vnibiles, quia sunt vera, ac perfecta supposita. & explico magis; quia hæ substantiæ, si diuinitus separatæ existerent, vtique singulæ haberent propriam voluntatem, ac libertatem; ergo si deindè reuniantur, retinebunt singulæ easdem, quia hæc vnio nullo modo immutare potest intrinsecè

na

naturam volũtatis liberæ, seù voluntatum liberarum, sed solùm vnire vnam partem substantialem cum alia; ergo, &c. Et idem contingeret, si Deus duas substantias totales intellectiuas completas diuisim creatas deindè vniret. & ex his patet idem Quinto quia huiusmodi substantiæ intellectiuç extensæ haberent secum suas potentias, scilicet intellectum, & voluntatem similiter extensas; & per consequens diuisibiles in plures intellectus; & plures voluntates iuxta pluralitatẽ partium substantialium; non enim posset substantia esse extensa, & diuisibilis in partes substantiales; eius verò potentiæ, esse omninò inextensæ, & indiuisibiles; ergo singulæ harũ potentiarum partes spectatæ secundum se ipsas, siuè separatas, siuè vnitas, essent intellectus totales, & voluntates totales, siquidẽ in operando essent à se inuicem independentes; ergo similiter illæ entitates substantiales, quæ finguntur partes, essent vera tota intellectiua, ac perfectæ personæ. Denique veritas corollarij habetur ex eo, quod talis substantia extensa foret completa in ipsa ratione substantiæ spiritualis intellectiuæ, ergo in hac ipsa ratione esset simpliciter perfectior, quàm anima nostra intellectiua, vtpotè in hoc ipso incompleta; & tamen hæc eadem anima, quia foret simplex entitatiue, & inextensa, & magis spiritualis, & magis à rerum corporearum extensione elongata, esset in hac ipsa ratione spirituali intellectiua, simpliciter perfectior, quod repugnat. Atque hæ omnes probationes concludũt intentum, siuè dictæ partes substantiales fingantur homogeneæ, siuè heterogeneç specifice, aut indiuidualiter, & siuè omnes ponantur intellectiuç, siuè aliquæ tantum, semper enim hę singulæ erunt vera supposita intellectiua, aut his deseruientia, vt infra.

Dices primo has partes substãtiæ intellectiuæ, si sint diuisæ, non esse proximè intellectiuas, ne partialiter quidem, nisi vniantur; sunt enim talis naturæ, vt in intelligendo dicant dependentiam, & ordinem ad suas compartes, adeò vt solum in toto sint aptæ, & expeditæ ad intelligendum; hoc enim modo multarum rerum homogenearum partes diuisæ, sæpè non possunt agere, quia sunt valdè exiguæ, vt partes aquæ, ignis, & aliæ, quæ tamen vnitæ agere possunt.

Sed contra. ergo saltèm in substantia intellectiua homogeneæ partes alicuius notabilis extensiones essent per se singulæ proximè intellectiuæ, & in intelligendo à se se inuicem independentes, & cõsequenter forent veræ personæ ergo sic etiam forent personæ partes minores, quia maioritas, aut minoritas in entitate non variat rationem personæ, aut suppositi: alioquin sic etiam negari posset partes minores aquç e.g. separatas non esse supposita, quod est con-

ta omnes. Deinde partes substantiæ in casu nostro prout liberę, sint cuiusuis extensionis, sunt necessariò à se se inuicem independentes in volendo, tam separatæ, quam absque vllo ordine ad copartes, siuè fingantur homogeneę, siuè heterogeneæ, mutua n. dependentia, & ordo libertatem à singulis tolleret; ergo etiam sic sunt in intelligendo independentes; intellectus enim præsupponitur ad voluntatem, & intelligere ad velle, etiam liberum. Hæc autem ratio non reperitur in alijs rebus quibuscunque, quæ non sint intellectiuæ. Insuper animæ rationales existentes, & aliæ similes, sunt singulæ omninò inextensæ, & inextendibiles, & indiuisibiles secundum omnes, & sunt semientia incompleta, vtpotè partes essentiales formales hominum; & tamen, siuè vnitę corpori, siuè separatæ, sunt sibi sufficientissimæ, & proximè aptæ ad intelligendum positis speciebus intentionalibus, & diuino concursu, absque dependentia ab alio cointelligente sibi vnito, aut vnibili; ergo ob hoc caput multo magis hanc perfectionem haberent partes illæ substantiæ extensæ intellectiuæ, quæ singulę non sunt semientia incompleta, sed per se seorsim sunt tota intellectiua completa quantumuis exiguæ sint extensionis; licet ob aliud caput perfectiores in gradu intellectiuo essent animæ rationales, vtpotè simplices, seù inextensæ, & indiuisibiles, ac proindè magis spirituales, & longius à corporeitate recedentes.

Ratio autem à priori est. quia uis intelligendi est uis spiritualis operatiua ad intra, seù immanenter actus perfecti, & est longè actualior, ac formalior omni virtute, seù potentia rerum materialium, & sua eminentia, & perfectione omnes excedens, & est in superiori ordine actiuitatis, quæ non mensuratur ab exensione vlla, sed à perfectione actualitatis, & formæ: & ideò tota intelligendi vis potest perfectè saluari in entitate spirituali quantumuis minima, imò etiam indiuisibili; & idcirco in intelligendo etiam proximè est ipsa sibi sola sufficiens absque dependentia, & ordine ad vllam aliam compartem cointelligentem: & idem dic de vi, seù virtute, ac potentia volitiua. Secus est in rebus materialibus; hæ enim, præsertim quando do sunt actiuæ ad extra, habent plurimum de potentialitate, & materialitate in suis potentijs actiuis, & entitatibus, & sunt in inferiori, imò infimo ordine actiuitatis: & ideò si verum est, earum partes non posse agere quando sunt diuisæ, & exiguæ extensionis, ob quam rationem multi ponunt minima naturalia in agendo, quod pro nunc transeat; hoc oritur ex eo, quia eorum actiua vis habet dictas imperfectiones, vndè fit vt in agendo dependeat, & quasi mensuretur ab extensione quantitatiua, & entitatiua, & non possit tota perfectè saluari indifferenter in omni extensione, sed in aliquibus determinatis, ac maioribus. Demum si par-

tes illius substantiæ intellectiuæ non possunt proximè intelligere nisi vnitæ,& ob hoc vna habet ordinẽ ad aliam,vt compartem, iam sequitur neque totam, & integrã illam substantiam posse proximè intelligere, quia tàm ipsa, quàm eius partes adhùc habent ordinem ad alias partes eiusdem rationis à Deo factibiles, & ijs vnibiles; non enim est vndè hæ nouæ partes, ac nouæ substantiæ implicent: & sic nulla unquam ex his substantijs erit proximè intellectiua,quia quælibet ex his est vnibilis alijs similibus, & habet ordinem ad ipsas.

Dices secundo in rebus heterogeneis, nempè viuentibus, partes non posse exercere opera vitæ, cum sunt separatæ,sed solùm cum sunt vnitæ,vt patet in ossibus, carne,oculo, brachio, pedibus, & similibus; quę proindè partes habent dependentiam, & ordinem ad compartes:in casu autem nostro substantia intellectiua extensa, est viuens, & hæterogenea, & consequenter eius partes benè possunt esse à se inuicem dependentes.

Sed contra, quia viuens corporeum necessariò constat ex partibus integrantibus heterogeneis ob suam perfectionem, comparatiuè ad inanimata; nec eius anima est informatiua materiæ, nisi talib. partibus, & varijs organis instructæ: & ideò hæ partes, quatenus hæterogeneę,vt possint exercere opera vitæ, necessariò quoad hoc exercitium pendent à se inuicem, idest se se inuicem coexigunt, nec separatæ possunt hoc munus, saltèm omnes, & ad lõgum tempus, aliqualiter pręstare: & ideò S. Thomas 1. parte q. 75. a. 2. ad 1. docet [manum non posse dici hoc aliquid, sumendo hoc aliquid pro subsistente completo in natura alicuius speciei, sic enim excludit etiã partis imperfectionẽ] In nostra autem substantia intellectiua nihil esse potest tale, aùt simile. nam eius partes substantiales integrantes tripliciter fingi possunt hæterogeneę. primò ita, vt aliquę sint intellectiuę, aliquę verò non. Secundo, vt omnes sint intellectiuę; sed aliquę perfectiores,aliquę minus perfectę. Tertio vt inter omnes ipsas aliquę sint intellectiuę completę habentes, aùt aptę habere in se omnes dispositiones necessarias ad intelligendum; alię verò incompletę tantum,quia nec habent,nec sunt aptę habere in se has dispositiones, sed egent iuuari ab alijs partibus intellectiuis. Primus modus est omninò chimericus: tum quia indè sequitur substantiam spiritualem intellectiuam, vt sic, esse quasi ordinatũ elaboratam, & contextam ex tot, & tam diuersis, ac disparatis partibus,quarum vna sit extra aliam & vna sit intellectiua, alia non intellectiua: nec poterit vnquam explicari, aùt intelligi, quę in hoc ordine, ac serie ex vno latere sit prima,intellectiua ne,an opposita, quę verò ex alio latere;& an vna pars intellectiua sit quasi in medio

dio undique circundata secundũ omnes quasi dimẽsiones spirituales, longitudinem, latitudinem, & profunditatem à partibus intellectiuis, an verò res se habeat vice versa; vtrunque .n. finget alius esse possibile in naturis intellectiuis admissa semel illa varietate partiũ dissimilium; de qua etiam mox redibit sermo. Tum quia partes non intellectiuę in substantia intellectiua, vt sic, essent omninò, & essentialiter superfluę: non enim essent aptę illi ministrare species intelligibiles, vt subiectum, quia hoc necessariò est ipsemet intellectus, vt supra probatũ est de materia spirituali, & potiori ratione patet in casu nostro; quia dictę partes non intellectiuę essent omninò extra, & nullo modo essent intra partes intellectiuas, sicut materia spiritualis re vera foret intra formam spiritualem: nec potest fingi ad quid aliud deseruire possent illę partes: Tum quia esto substantia intellectiua constare diceretur ex ijs partibus heterogeneis; iam Deus posset separare partes non intellectiuas ab intellectiuis, & rursùs has diuidere, & tunc singulę intellectiuæ forẽt vera supposita intellectualia, ac verę personę; neque hęc separatio tolleret intellectualitatem, sicut nec separatio animę intellectiuę à corpore tollit ab ea intellectualitatem ipsi proportionatam. Secundus etiam modus nec valet: posset enim adhuc Deus separare partes intellectiuas perfectiores à partibus minus perfectis, & vtrasque diuidere in alias partes, ac proindè singulę per se seorsim forent vera supposita, &c. Tertius etiam modus est etiam fictus, quę enim esse possent illę dispositiones necessariæ ad intelligendum, quibus carerent partes aliquę, ob quod dicerentur incomplete intellectiuę? nam ad purum intellegere, vt condistinctum ab intelligere phantastico, seù coniuncto cum phantasmatis, non sunt necessarię alię dispositiones, prętet species intelligibiles, aut etiam habitus, quę res non nisi voluntarie, & fictitie dici possunt deesse partibus illis intellectiuis potius quàm alijs: sed esto ille modus admittatur; adhuc possent partes illę completę diuinitus diuidi ab incompletis; & sic saltèm illę erũt vera supposita, ac personę absque vllo ordine, ac dependentia ad alias. Atque ex his omnibus patet, partes illas substantię intellectiuę, de qua agitur in corollario, nec posse poni ita heterogeneas, siuè indiuidualiter, siue specifice, vt ab ijs omnibus tollatur vera ratio suppositi perfecti, ac personę, ac ponatur mutuus ordo, ac dependentia vnius ad aliam. Heterogenitas etiam specifica reijcitur etiam ex eo, quia ex pluribus specifice entibus, ac naturis substãtialib. cõpletis, non potest constitui vnũ p se substantiale p se loquẽdo alioquin chimęre essẽt entia realia; licet aliquando per accidens ratione vnius continuæ quantita-

tis possint duę naturę materiales esse vnum continuum, vt patet in virga partim viridi, partim sicca.

CAPVT III.

De substantia incompleta.

Assertio. Implicat substantia intellectiua incompleta, vt est anima rationalis, constans ex partibus integrantibus extensionis penetrabilibus. Patet hoc non solum rationibus communibus impugnantibus in substantia spirituali, vt sic, extensionem ex partibus extensionis integrantibus, sed etiam ex alijs.

Prima sit. Hę partes in tali forma, seu anima vnita corpori, seu materię, vel finguntur ita dispositę, vt singulę, & omnes naturaliter simul informent singulas, & omnes partes, aut puncta totius materię; vel ita, vt vna pars animę informet vnam tantum partem suam, aut punctum materię, & alia etiã partem suam, & sic deinceps; Si primum; ergo in primis tales formę partes non sunt partes extensionis, sed verissimæ intensionis, & tota forma est composita, non extensiue; sed intensiue. Vniuersaliter enim partes verę intensionis alicuius formę illę dicuntur, quę simul omnes, & singulę naturaliter, seu ex natura sua informant vnum, & idem subiectum secundum idem punctum, aut secundum eandem partem, aùt easdem partes in ordine ad se, seù ad totum, non verò in ordine ad locum; hoc .n. ipso sunt vna intra aliã in ordine ad se, & singulę sũt vnitę singulis immediate. Deindè si partes talis formæ sunt partes extensionis; ergo verè vna est extra aliã in ordine ad se; ergo etiam in ordine ad perficiendum subiectum, seù receptiuum secundum eum modum secundum quem habet extreitatem suarum partium: sicut enim tota forma se habet ad totũ subiectum perfectibile, ita se habent partes formæ ad partes subiecti; non ergo tota forma informat totum subiectũ, & tota singulas partes. & demũ quis nõ uidet, formam habentem partes extensionis, vnam extra aliam secundũ se, connaturaliter, & modo maximè sibi proportionato esse informatiuam totius materiæ per se totam, & partium materiæ per suas tantum partes? licet ob aliud caput debeat eas informare etiam per se totam, vt infra. si autem dicatur secundum, ergo abscisso e.g. digito, aùt pede, aùt alia parte corporis simili, necessariò substantiales partes formæ, quæ has prius informabant, desinunt informare; ergo aùt remanent extra corpus nihil informantes, & hoc est impossibile naturaliter, cum sint necessariò vnitæ alijs partibus informantibus; aùt confluunt, & migrant ad subiecta partialia aliarum partium vicinarum, & sic per-

dunt

dunt extreitatem, seù extensionē, & connaturaliter acquirunt intraneitatem, seù intensionem. Hoc autem est absurdum. Tum quia plures totales formæ extensæ substantiales non subordinatæ non possunt naturaliter simul informare idem prorsùs subiectum: illæ autem partes substantiales dictæ formæ, seù animæ extensę, essent formæ totales, comparatæ singulæ ad suas subiecta, partialia quidem respectu totius formæ, sed totalia respectu singularum partium eius: Tum quia ita etiam dici deberet de tota ipsa forma spirituali extensa, quod scilicet separata à corpore, amitteret suam extensionem spiritualem in ordine ad se, quam proindè non nisi à corpore trahebat, & acquireret naturaliter veram intēsionem; Tū quia, aùt spiritualis extensio partium substantialium talis formæ in ordine ad se, est etiam ipsa substantialis identificata ijs; & hoc modo tales partes, & talis forma, si naturaliter possunt amittere suam extensionem, iam sunt naturaliter corruptibiles, sicut & ipsa extensio. Aùt extensio in ordine se, de hac enim loquimur, est accidens addictum illi formæ, & partibus substantialibus eius correspondens quantitati in substantijs corporeis; & tunc contra est primo quia tales partes substantiales spirituales huius formæ potius debent connaturaliter poscere intensionem, seù intraneitatem, quàm extensionem, & extreitatē: quia illam dispositionem debent connaturaliter poscere, quæ illarū penetrabilitati, seù naturæ penetrabili est conformis, & proportionata: sed talis est intensio, ac intreitas, quippè quæ reddit eas penetrabiles non solùm in ordine ad locum, sed etiam, & præcipuè in ordine ad se ipsas, vniendo immediate, & intime singulas singulis, quod non potest præstare extensio, seu extreitas, vt clarum est; ergo, &c. Aùt certe si vni formæ substantiali spirituali non repugnat constare ex partibus extensionis; dabilis erit alia forma substantialis, cui non repugnet spiritualis intensio, imò etiam, & alia cui non repugnet spiritualis intēsio, & extensio simul, sed sit connaturalis, & debita; quia hæ substantiæ non implicant, sicut multæ qualitates corporeæ sunt intensæ, & extensæ. secundo extensio addita, qua illa forma spiritualis, est in se extensa, non est formaliter, & immediatè extensio localis, sed est extensio partium substantialiū spiritualium in ordine ad se correspondens quantitati in substantia corporea; alioquin talis forma esset in se inextensa, & indiuisibilis, sicut nunc sunt animę humanę, & Angeli; ergo sicut ad substantiam corpoream se habet hęc quātitas in extendendo in ordine ad se; ita proportionaliter ad illam formam se habet illa extensio: ergo sicut quantitas, ita substantiam corpoream extendit in ordine ad se, vt non sistat in hoc, sed vlte-

rius

rius connaturaliter secum trahat in ea impenetrabilitatem in ordine ad locum, quam substantia illa ex se nō habet; ita planè extēsio dictæ substantiæ spiritualis debet taliter extendere ipsam in ordine ad se, vt in ea ponat aliquam aliā dispositionem in ordine ad locum qua talis substantia ex se careat: ergo hæc dispositio erit, aùt penetrabilitas, aùt impenetrabilitas circa ipsum locum, alia enim dispositio, quæ ad rem faciat superesse non potest: sed hæc dispositio nō potest esse penetrabilitas, quia talis substantia est ex se ipsa ratione suæ spiritualitatis absque alia dispositione, aùt modificatione addita, penetrabilissima, vt ex se constat; ergo necessariò erit impenetrabilitas circa locum, hac enim dispositione caret ex se talis substantia; ergo tandem extensio illa, vtpotè trahens connaturaliter in eadem substantia impenetrabilitatem in ordine ad locum, est verissima quantitas; & substantia ipsa extensa, quæ fingebatur spiritualis, est re vera corporea, materialis, & quanta.

Secūda ratio principalis. Singulę res quæ finguntur partes intellectiuæ talis formæ per se seorsim sumptæ, forent substantiæ intellectiuę vt constat; ergo licet non forent personę, neque tota natura personarum, quod clarum est; forent tamen substantiales formę intellectiuę: quia omnes substantię intellectiuę, quæ non sunt personę, neque tota natura personarum necessariò sunt formę substātiales intellectiuæ essentiales, vt constat; ergo forent per se ineptę constituere tanquam partes integrantes vnam per se formam essentialem intellectiuam; quia in ratione formarum essentialium forent vltimate completę, & totales integraliter, non autem partiales: quod probo ex eo, quia illæ formę substantiales intellectiuæ sunt hoc modo completę, & totales, non verò partiales, quę ad intelligēdū, & volēdū sunt singulę sibi sufficiētes, positis requisitis absque depēdentia, aùt ordine vnius ad aliam; sed huiusmodi forent illæ res, quę finguntur partes intellectiuę prędictę formę; ergo, &c. Maior videtur clara. Minor probata iam est supra. & adhùc probatur, quia si illę res non essent dicto modo sufficiētes, & indepēdentes, sed à se mutuo dependentes, saltèm quando illa forma existeret separata à materia, iam vna nil posset intelligere, quin omnes simul intelligerent, seù ad intelligendum cōspirarent. Vel ergo vna prius inciperet intelligere, alię verò quasi excitatę, sequerentur; vel omnes simul inciperent, ac continuarēt, & deindè desinerent. Non primum, tum quia gratis hoc, & diuinando dicitur; Tum quia non est maior ratio, cur vna ex priuilegio prius incipiat, quàm alia, & cur non incipiant duę, aùt tres simul: nec potest sciri à quo nam excitetur illa prima, & an incipiat intelligere casu, an ex electione.

Nec

Nec secundum; quia hoc etiam esset diuinare, & sine fundamento loqui. nec potest sciri à quo nã omnes hę res intellectiuę excitētur, & quomodo conspirent ad simul intelligendum, nisi recurras ad motionem primę causę, quod constat non posse esse verum semper, & in omnibus actionibus, seù actibus intelligendi naturalibus; nisi tenendo physicas prædeterminationes, aut præmotiones vbique. Item quero, an omnes partes intellectiuę concurrant actiue tanquam vnum totale principium simul ad eundem actum intelligendi, qui sit vnus continuatiue tantum, constans scilicet ex pluribus partialibus intellectionibus receptis, ac dispersis in varijs partibus subiecti inter se vnitis cum ordine vnius post aliam; an verò concurrant omnes ad vnum actũ, qui sit vnus, non continuatiuè, sed simpliciter, & quasi indiuisibiliter. Hoc secundum est falsum, quia indè sequitur, vnum & idem in se inuariatum accidens, nempè eundem prorsùs actum intellectionis esse naturaliter in pluribus subiectis à se inuicem distantibus quia est actus immanens in principijs vitalibus elicientibus, & quodlibet horum concurreret ad actum existentem etiã extra ipsũ. falsum est etiam primum. quia actus illi intelligendi, qui dicũtur partiales penderent, saltèm in sui continuatione, ac perseuerantia, ab imperio voluntatis; ergo hęc posset imperare existentiam vnius & non alterius; & mouere vnum intellectum partialem ad intelligendum, non verò alium, quia tota vis intelligendi saluatur in qualibet parte intellectus, vt supra & sic non necessariò omnes partes intellectiuę simul cõcurrerent per diuersos actus partiales. Prętera. singulę partes substantiales intellectiuæ, forent etiam uolitiuę, & sic etiam forent plures partiales intellectus, & partiales uoluntates ijs correspondentes; stante enim pluralitate talium partium substantialium, non posset poni in ijs unus simplex, & indiuisibilis intellectus, & una simplex, & indiuisibilis uoluntas in omnibus; ut clare patet; ergo in actibus intellectualibus liberis una uoluntas partialis moueret suum partialem intellectum, & simul alia aliũ, & sic deinceps de singulis; ergo omnes hę partiales uoluntates deberent simul conuenire, & conspirare ad simul mouendum partiales intellectus. uel ergo omnes simul conspirarent merè casu, uel ex electione; non casu, tum quia quoties concurrerent, semper hoc modo concurrerent, undè hęc cõspiratio non esset merè casualis: Tum quia si merè casu cõcurrerẽt simul, iam possent singulæ per se concurrere alijs non concurrentibus; neque conspirarent simul ex electione, quia scilicet singulę libere eligerent concurrere, quando alię concurrunt: nam si ita est, iam sequitur, singulas posse concurrere alijs non concurrentibus

uel

uel posse non concurrere alijs cõcurrentibus,& sic sunt à se inuicē independentes. sequitur etiam singulas debere expectare,& præsupponere concursum præuium aliarum;quo posito, si ipsę possent non concurrere, iam habetur etiã independentia mutua: si uerò non possent non concurrere, ergo non libere, sed necessariò concurrerēt sequitur etiam unum ualdè admirabile, imò fictitium,nempè quoties esset concurrendum libere, ad mouendum intellectus partiales, semper illas partiales uoluntates libere concursuras simul, & non alio modo: nisi dicas concomitantes, seù simultaneos hos cõcursus esse sēper ex naturali sympathia,quod sanè est cum pręiudicio libertatis. Nec dicas, totam, & integram uoluntatem collectiue esse liberam,non uerò singulas eius partes distributiue.Nam contra est,quia sicut non solũ tota forma intellectiua est intellectiua, sed etiam singulę eius partes sunt intellectiuę: & non solùm totus intellectus, sed etiam singulę eius partes sunt perceptiuę, & sicut nõ solũ tota voluntas,sed etiã singulę eius partes,ex quib. cõstat,sunt uolitiuę, seu partiales uoluntates, cũ non possit tota ipsa potentia constare ex partibus non uolitiuis,seù quę non sint uoluntates partiales ita planè non solùm tota uoluntas constans ex partialibus uoluntatibus erit libera, sed etiam ipsę partiales uoluntates singulę erunt partialiter liberę; quia libertas sequitur uoluntatem: item si hæ partes non sunt partialiter liberæ; ergo sunt necessarię, ac determinatę in agendo; ergo non possunt constituere potentiam totam liberam quia hęc tota non est aliud, quam ipsęmet partes simul unitę;nec apparet, quo modo hęc tàm portentosa libertas emergere possit ex partibus adeò ipsi contrarijs,nempè ex partibus necessarijs, ac non liberis. Nec rursus dicas,dabilem esse substantiam intellectiuam nõ uolitiuam, nec liberam; id enim alibi reijcietur.

Dices non omnes partes substãtiales dictę formę esse intellectiuas, sed solùm aliquas, non uerò alias;omnes tamen habere ordinē ad alias, tanquam ad compartes, quia talis est ipsarum natura.

Sed contra primo, quia implicat substantia spiritualis nõ intellectiua,ut infra.contra secundo.sicut non implicat per te substantia constans ex utrisque partibus,ita nec alia constans ex solis partibus intellectiuis. Tertio adhuc nostra ratio urget de ijs partibus,quę sũt intellectiuę, ut supra. Quarto quia quęro,quo ordine sint dispositę istę partes inter se. Aut enim se habent alternatim, ita ut post unam partem intellectiuam sequatur alia non intellectiua: & similiter post hanc non intellectiuam sequatur alia intellectiua, & sic uniformiter difformiter deinceps ita ut unicuique intellectiuæ correspondeat sua peculiaris pars non intellectiua: Aut se habent aliter

quia

quia nimirum post multas partes intellectiuas, quę sint e. g. medietas illius formæ, sequantur aliæ non intellectiuæ cōstituentes aliā medietatem. Neutrum dici potest cum fundamento, & rationabiliter, sed tantum diuinando: si tu enim dicas primum admittendo tàm admirabilem, ac variegatam texturam; alius dicet secundum: imò alius cōfinget alium modum, nempè vni parti intellectiuæ correspondere tres, vel quatuor partes non intellectiuas inter se vnitas, vel vice versa, quia hoc non implicat; ac proindè vnicuique licebit varios inexplicabiles modos in vna, aùt in pluribus formis intellectiuis pro libito confingere. Nec etiam potest sciri, aùt cum fundamento dici, quæ nam sit prima pars, & quæ vltima talis formæ, intellectiua ne, an non intellectiua; nec potest esse maior ratio vnius quàm alterius. Quinto tales partes substantiales non intellectiuæ vel deseruiunt solùm ad constituendum simul cum intellectiuis vnum per se integrum substātiale ex vtrisque conflatum; vel deseruiūt, vt subiectum specierum intelligibilium. Primum est chimæra, est .n. vnū substātiale per se conflatū ex pluribus formis omninò disparatis, & completis in esse formæ, nempè ex forma spirituali incapaci intellectionis, & ex alia capaci; alioquin nec esset chimæra vna substantia per se cōstans ex pluribus animabus existentibus, aùt ex pluribus Angelis, aùt ex pluribus substantijs corporeis completis vnitis primo, & per se, non ratione quantitatis vnius continuatiue, sed ratione perfectionum substantialium. secundū etiam est falsum, tum quia proprium, ac proportionatum subiectum specierum intelligibilium est ipsemet intellectus substantiæ intellectiuæ. Tum quia in prædicta forma spirituali substantiali partes non intellectiuæ forent extra partes intellectiuas, non verò intra penetratas, & intimas ipsis; ergo species receptæ in partibus non intellectiuis, non possent determinare partes intellectiuas ad intelligendum: in omnibus enim constat species intentionales, vt determinent potentias intellectiuas, aùt aliter cognitiuas, necessariò esse debere ijs intime, & penetratiue præsentes, siuè per inhærentiam, siuè per assistentiam: nec sufficit si sint extra illas, quātumuis sint immediate sequentes situ, aùt quasi situ cum extremitate; alioquin si huiusmodi species sint solùm in parte aliqua longissimè distante à potentijs cognitiuis, & illis mediate vnitæ per continuationem, poterunt eas determinare, ac mouere, quod sanè nemo dicet. Sexto partes illas non habere inter se se ordinem ad inuicem in intelligendo, inde etiam suadetur, quia posset Deus ad intelligendū applicare vnam ex illis, & non alias, imò infundere visionem beatām vni, & non alijs, & sic etiam fruitionem vni parti volitiuæ, &

non alijs, præsertim separando eã ab ipso, quæ enim hic relucere potest implicantia? ergo simul clarũ est singulas eas partes non habere in intelligendo, & volendo ordinem essentialem ad alias tanquam compartes, sed singulas esse veras formas intellectiuas per se completas. Similiter, nec habere ordinem connaturalem concluditur ex præhabitis, & insuper ex eo, quia omnes partes vnius formæ intellectiuæ, A, sunt, aùt esse possunt eiusdem omninò rationis, imò etiam æqualis perfectionis indiuidualis cum alijs partibus alterius formæ intellectiuæ, B, cùr enim si dari potest vna forma intellectiua constans ex partibus integrantibus, non poterunt dari plures aliæ formę omninò similes, aùt quæ in hoc esse potest repugnantia? ergo si partes formæ A, habent in intelligendo connaturalem ordinem ad se se inuicem, necessariò etiam ordinem habebunt ad alias, & sine illis non poterunt connaturaliter intelligere, & sic è conuerso; ac proindè nullius formæ partes intellectiuæ erunt naturaliter aptæ intelligere, nisi vniantur cum omnibus alijs partibus aliarum formarum eiusdem rationis, quod euidens est esse falsum. Imò, admisso illo ordine; sequitur, partibus vnius formæ intellectiuæ, seù animæ esse connaturale vniri suæ materiæ ab ipsis informatæ, ad constituendũ cum ea totum essentiale, & simul vniri partibus integrantibus alterius formæ ad componendum totum integrale, quia illæ partes habent connaturalem ordinem tàm ad materiam, quia sunt formæ eius, quàm ad partes integrãtes alterius formæ, quia ambæ sũt compartes, & se se inuicem in intelligendo naturaliter exigentes, & ita connexæ, vt vna non possit intelligere sine alia. Hoc autem est absurdum, quia repugnat vnã formam, eiusque partes integrantes naturaliter informare vnam materiam, & simul vniri alteri formæ, aùt eius partibus informantibus aliam materiam, quia hoc fieri non posset sine replicatione dictæ formæ, eiusque partium, aùt sine naturali penetratione duarũ materiarum corporearum ad inuicem.

Tertia ratio principalis. si illi formæ, seù animæ intellectiuæ non repugnat compositio ex partibus integrantibus extensionis; vtique hæc extensio foret in ordine ad se secundum partes substantiales, vnam extra aliam intrinsece in ipsamet substantia, & non tantum in ordine ad locum; alioquin forma ipsa intrinsece in se foret inextensa, sicuti sunt nunc omnes res spirituales existentes; quæro, an Deus in primo instanti creationis talis animæ extensæ creet solùm eas partes illius substantiales, quibus tunc informat corpusculum, non autem eas, quibus informatura est idem corpus crescens per nutritionẽ, & augmentationem; an verò creet tunc omnes in eodem instanti simul: si primum;

mum; ergo Deus in toto tempore augmenti, & nutritionis continuè talis viuentis rationalis creare debet per nouā creationem cōtinuā, & successiuā nouas, & nouas partes substantiales intellectiuas, quibus informentur nouæ, & nouæ partes materiæ per nutritionem acquisitæ, quod videtur absurdū, cum certum sit, omnem creationē substantiæ connaturaliter fieri in instanti, & indiuisibiliter, non autem continue successiue; ergo insuper partes substantiales intellectiuæ huiusmodi formæ non pendent à se inuicem, neque se se mutuo exigunt ad intelligendum, aùt essendum; siquidem multæ ex his, quæ fuerunt primo creatæ, naturaliter esse, & intelligere possunt sine posterioribus non dum creatis, ergo re vera omnes, & singulæ sūt per se formæ, seù animæ totales, quarum aliquæ prius, aliæ verò posterius creantur, atque adeo inter se sunt omninò inunibiles in vnam per se animam. Si dicas secundum, dupliciter hoc potest cōtingere, nēpè vel quod omnes, & singulæ partes formæ informent simul actu idem corpusculum, vel quod solùm aliquæ informēt, aliæ verò non, sed solùm sint ijs præsentes, & intimæ. Vtrunque autem est absurdum. ex primo enim sequitur, talem animam non esse extensam totam, seù non esse totam constantem ex partibus integrantibus extensionis, siquidem plurimæ ex his informant actu simul vnā, & eādē numerā materiā secundum easdem partes eius; ergo connaturaliter non habent extensionem, seù extreitatem, per quam vna sit extra aliam in ordine ad se, quicquid sit de ordine ad locum; sed habent veram, ac mutuam intreitatem in ordine ad se, quia & sunt vnitæ eidem prorsùs parti materiæ, & etiam sunt vnitæ immediate singulis compartibus suis eandem omninò materiæ partem, aùt etiam idē pūctum informantibus; ergo insuper tales formæ sunt verissimæ partes intensionis, & ineptæ ad extensionē, & extreitatem in ordine ad se; vel certè sunt talis naturæ, vt ijs essentiale, aùt connaturale sit esse partes substantiales intensionis, & extensionis in ordine ad se, quod sanè videtur repugnare. sequitur præterea in progressu augmentationis, seù incrementi ipsius viuentis partes illas formæ, quæ sunt informaturæ nouas, ac nouas partes materiæ aggeneratæ, seù acquisitæ, necessariò debere ex vi nutritionis separari connaturaliter tum à partibus materiæ prius ab ijs informatis; tum etiam à compartibus suis, quibus erant vnitæ, & necessariò transilire ad informandas dictas nouas partes materiæ; vndè de necessitate corrumperentur multa antiqua partialia cōposita substantialia remanente eadem ipsorum materia secundū eādem partem exercite informata ab aliquibus partibus eiusdem formæ, & eiusdem compositi totalis, & remanentibus sub infor-

matione talis nouæ materiæ illis ipsis partibus formæ, quæ antiquã materiam cum alijs informabant; & ob hoc fierent etiam noua cõposita eiusdẽ rationis cũ partib. in eodẽ cõposito, quod etiam videtur inconueniens. Imò etiam nõ potest assignari maior ratio cur ex vi nutritionis debeant hæ potius partes integrantes prædictæ formæ, quã aliæ migrare de vno subiecto partiali ab ambabus æqualiter informato iam in aliud subiectum partiale, cum omnes tales partes sint eiusdem rationis, & omnibus sit æque connaturale esse, tàm in vno, quàm in alio subiecto, & æqualis prorsùs indifferentia; nisi recurratur ad primam causam determinantem transmigrationem aliquarum, & non aliarum: qui recursus, licet non sit repugnans, non est tamen multum connaturalis huiusmodi partibus iam in subiecto productis, cum eas quasi cogat migrare de subiecto connaturali in aliud. Imò ex hoc sequi potest aliud inconueniens, quod scilicet si facta hac trãsmigratione contingat diuidi aliquas partes corporis informatas à partibus formæ, quæ migrarunt, iam hæ ipsæ partes necessariò redeant, seù remigrent cõnaturaliter ad antiquum subiectũ; ne dicamus easdem partes, aùt corrumpi post diuisionem, quod est omninò falsum; aùt certe remanere connaturaliter etiam longo tempore, siuè extra omne subiectum per se solas, & sic essent veræ formæ totales; siuè in partibus corporis diuisis; quantitatiuis longè distantibus ab alijs, quod sanè spiritualem formam intellectiuam substantialem nimis vilificat, & indignum eius perfectione est. ex secundo verò, scilicet quod omnes partes illius formæ creentur simul in primo instanti, sed aliquæ tantum tunc actu informent aliæ verò non, sed solùm sint ijs præsentes; sequitur etiam nec dictam formam intellectiuam esse extensam totam, seù constantem ex partibus integrantibus, quæ omnes sint extra se inuicem in ordine ad se; siquidem multæ ex his sunt intime penetratæ connaturaliter cum alijs, & vna intra aliam in ordine ad se, quamuis non omnes informent materiam, quod etiam sapit quandam speciem intensionis. sequitur etiam multas partes substantiales formæ, quæ adhùc formæ sunt, esse actu in materia connaturaliter, & tamen ipsam actu tunc non informare. Imò etiam fieri potest, vt quandiù sunt tanquam formæ existentes connaturaliter in rerum natura nullam vnquam materiam informent, aùt sint informaturæ, & hoc absque vllo miraculo, puta si ille infans, in cuius materia erant absque informatione, nimis citò moriatur. Hoc autem videtur naturaliter repugnare naturæ, & conditioni formæ informatiuæ.

Quarta ratio. talis forma substantialis spiritualis constans ex partibus integrantibus penetrabilibus exigeret connaturaliter duas proprietates, seu conditiones in-

inuicem repugnantes. Nam formam petere connaturaliter esse totam in toto subiecto, ac loco, & totam in qualibet parte vtriusque, & adhùc petere connaturaliter esse totam in toto subiecto, ac loco, & secundum singulas partes eius esse in distinctis partibus subiecti, & similiter loci, est ipsam exigere connaturaliter duas proprietates inuicem repugnantes: sed dicta forma connaturaliter peteret illa duo; ergo exigeret connaturaliter duas proprietates inuicē repugnantes. Maior est clara, quia illi duo modi essendi in subiecto, & in loco excludunt se inuicem, saltèm connaturaliter: hoc enim ipso, quod forma est tota in toto subiecto, ac loco, & tota in qualibet parte, & puncto eorum, iam non quælibet pars talis formæ est solùm in parte certa vtriusque, & alia in alia, sed quælibet est in toto: & vice versa hoc ipso quod forma est tota in toto subiecto, ac loco, & vna pars eius est in vna parte subiecti, ac loci, & alia pars in alia parte, iam non quælibet eiusdē pars est in toto. Minor probatur. Illa forma esset substantia spiritualis, & simul esset constans ex partibus integrantibus penetrabilibus; ergo ob primum caput peteret connaturaliter esse totam in toto suo subiecto, ac loco, & totā in qualibet parte vtriusque; est enim proprietas, seù perfectio, ac conditio substantiarum spiritualium, vt ex eminentia excessus supra omnia materialia, quando sūt formæ alicuius compositi, sint totæ in toto subiecto, ac loco, & totæ in qualibet parte illorum, vt constat in animabus humanis, quando verò sunt omninò abstractæ, vt sunt Angeli, sint totæ in toto loco, & totæ in qualibet parte eius: ob secundum verò caput scilicet ob constitutionem ex partibus integrantibus extensionis peteret connaturaliter eadem forma esse totā quidem in toto subiecto, & loco, non tamen totam in qualibet parte eorum, sed secundum vnam partem suam in vna parte ipsorū, & secūdū aliā in alia, & sic deinceps, vt probaui in prima ratione ex eo, quia extreitas partium illius formæ in ordine ad se, est sub respectu ad perficiendū subiectum, & eius partes conformiter ad ipsas partes formæ: & etiam ex eo, quia & etiam forma habens partes extensionis vnam extra aliam in ordine ad se connaturaliter, & modo sibi maximè proportionato, est informatiua totius subiecti per se totam, & partium subiecti per suas tantum partes; & idem dic proportionaliter de modo essendi in loco; ergo dicta forma connaturaliter illa duo haberet.

Dices, primum illum modum essendi in subiecto tolli ab ea forma per extreitatem partium eius, à qua habent, vt vna ipsarum petat esse in vna tantum parte subiecti, & alia in alia, non verò quælibet in toto.

Sed contra. Tum quia sic è con-

contrariò alius dicet, secundum illum modum essendi in subiecto tolli ab ea forma per esse spirituale eius, ratione cuius habet, vt ipsa sit tota in toto, & tota secundum singulas sui partes in qualibet parte subiecti: Tum quia etiam si talis forma habet in se partes integrantes extensas, vnam extra aliã; non tamen hęc extensio, & extreitas tollit ab ea esse penetrabile cũ alijs rebus, etiam quantis; ergo neque tollet ab ea modum essendi totam in toto subiecto, ac loco, & totam in qualibet parte eorum; non enim habet extẽsio, & extreitas partium maiorem oppositionem cum modo, quo forma sit tota in toto subiecto, ac loco, & tota in qualibet parte illorum, quã cum eius penetrabilitate cũ alijs rebus: Tum quia verum quidem est, modum illum, quo forma illa sit tota in toto subiecto, ac loco, & tota in qualibet parte eorum tolli per extreitatem partium eius, vndè habet vt vna pars formæ connaturaliter petat esse in vna parte subiecti, & alia in alia, non verò quælibet in toto: sed verum etiam est eundem modum simul poni in eadem forma ob aliud caput, nempè ob esse eius spirituale, vndè habet, vt connaturaliter petat esse tota in toto, & tota in qualibet parte subiecti, ac loci: & hæc est repugnantia, quam diximus esse in illa forma connaturaliter. Nec dici potest, hunc modum essendi in toto subiecto, & loco, nempè per totalitatem omnimodam formæ, & singularum partium eius conuenire tantum formis spiritualibus existentibus, non autem omnibus spiritualibus possibilibus; nam contra est, quia longè certius est naturæ rerum spiritualium, vt sic, abstrahendo ab existentibus, & possibilibus, conuenire modum, quo connaturaliter sint toto in toto, & totę in qualibet parte subiecti, aût loci, quam quod aliquibus substantijs spiritualibus possibilibus possit conuenire compositio ex partibus integrantibus extensionis; quia hoc propinquius accedit ad esse corporeum, ac materiale, illud verò omninò recedit, vt de se cõstat; ergo, aût omnibus reb. spiritualibus etiam possibilibus neganda est dicta compositio, aût si hæc aliquibus possibilibus concedatur, potiori ratione ijsdem ob spiritualitatem concedendus est modus essendi, quo connaturaliter petant esse totæ in toto subiecto, aût loco, & totæ in qualibet parte eorũ.

CAPVT IV.

Responsiones ad argumenta posita cap. 1.

AD primum argumentum primæ opinionis pro partibus intensiuis, nego assumptum, scilicet quamlibet creaturam esse perfectionem essentialem per Dei potentiam diuisibilem; innumeræ enim

.n.creaturæ sūt omninò indiuisibiles.& ad primā probationē de Angelo eiusq; essentia concedo antecedēs, nimirū ꝙ nō infinite modice distet à nō graduū suæ speciei, sed tanta distātia finita,quanta est eius virtualis quantitas perfectionis.Sed nego consequētiā;hinc .n. nō sequitur talē Angeli essentiā cōtinere aliquam latitudinem perfectionis diuisibilis infra suam speciem , per continentiam scilicet formalem plurium graduum distinctorum à se inuicem separabilium:sed sufficit si se ipsa indiuisibiliter , seù sub indiuisibilitate, ac simplicitate exclusiua compositionis ex his gradibus , sit ita , vel ita perfecta , habens per æquiualentiā , aùt virtualiter latitudinem perfectionis,ad eum modum proportionaliter , quo Deus sub summa simplicitate habet omninò indiuisibiliter eminentē latitudinē suarū perfectionum[latitudo nīa, perfectionis]vt notat Molina 1. p. q. 10.a.1.disp. 4.[posita est in præstantia excellentia , atque , vt ita dicam,valore cuiusque naturæ]& addit, hanc quantitatem valoris , quæ coniuncta est cum summa, omnique ex parte perfecta simplicitate,ac diuisibilitate,appellari à Scoto latitudinem infinitam in entitate, & perfectione diuina.

Ad rationem Vgolini distinguo consequens : si enim velit , ex impartibilitate Angeli , seù Angelicæ essentiæ sequi, quod duo Angeli eiusdem speciei simul,aùt etiā infiniti, non essent aliqua latitudo per se vna perfectionis per se vnius essentialis intensiue magis quàm vnus Angelus solus , sic cōceditur consequentia : talis enim latitudo, ac perfectio nullo modo essent aliquid per se vnum intensiue , sed mera multitudo, atque aggregatum per accidens , ex rebus scilicet ex se omninò inuisibilibus ; cum tamen vnus Angelus esset verissimè vnum per se,etiam intensiue suo modo indiuisibiliter: si verò velit ex eo , quod Angeli essentia sit impartibilis , sequi quod duo,aùt plures, & etiam infiniti Angeli simul, non sint aliqua latitudo perfectionis , quæ tanquā vnum mere per accidens , & per aggregationem sit quid maius intensiue, idest maioris valoris , & existimationis , & extensiue adhùc per accidens quàm vnus Angelus solus , sic negatur consequentia ; impartibilitas enim vnius Angeli non habet vndè impedire possit huiusmodi aggregatum per accidens tali modo melius,ac maius. & cum dicitur, non posse Deum,si Angelus est impartibilis,quemlibet eorum vnire in tertium,vltro conceditur, loquendo de tertio , quod sit vnum ens substantiale per se ; hoc enim implicat in sua essentia constare ex pluribus substantijs , seù actibus per se completis quales sunt singuli Angeli . Neque hinc, seù ex hac inuisibilitate sequitur quēlibet Angelum fore actum purū deficit enim quilibet à puritate actus ex alijs capitibus ; vt quia

con-

constat ex esse, & essentia, tanquã ex actu, & potentia; existentia, & subsistentia; estque componibile cum varijs accidentibus, &c.

Ad aliam rationem concesso antecedenti, quod scilicet Angelus vnius speciei sit essentialiter, ac specifice perfectior Angelo speciei inferioris, nego consequentiam: hic enim excessus in essentiali perfectione vnius Angeli supra alium non oritur ex continentia formali plurium graduum, aùt perfectionum partialium essentialium distinctarum, ac separabilium, constituentium vnam latitudinem intensiuam graduale: Tũ quia Deus, qui maximè, & infinite excedit in perfectione omnes alias res, non ponitur talem graduum intensiuam latitudinem habere etiam à concedentibus gradus, & latitudines in alijs rebus, vt refert Alliacensis in 1. q. 14. a. 3. ergo proportionaliter dicendum de Angelis: Tum quia vel hi gradus sunt eiusdẽ rationis in his omnibus Angelis, vel sunt diuersæ: si primum, non differunt specie, sed solùm numero secundum maiorem, ac minorem intensionem intra eandem speciem, sicut albedo intensior, seù habens plures gradus intensionis, & albedo remissior habens pauciores: si secundum; ergo Angelus superior seù perfectior non est perfectior specifice per continentiam formalem plurium graduum, aùt partiũ essentialium supra alium; sed solũ quia est essentialiter constans ex gradibus, seù partibus specifice perfectioribus ex propria ratione, ac natura, quàm sint gradus alterius Angeli, etiam si in illo primo forent pauciores gradus secundũ numerum, in secundo verò plures sicut albedo remissa habens pauciores gradus intensionis, est specifice perfectior nigredine intensissima per plures numero gradus suæ intensionis. Vndè verò oriatur, seù sumatur excessus in perfectione essentiali vnius essentiæ creatæ supra aliam, infra fusè explicabitur. Nunc solùm potest dici, illud absolute esse essentialiter perfectius alio, quod est excedens in perfectionibus simpliciter aùt in proprietatibus ad eas maiorẽ affinitatẽ habentib. essẽtia igitur, quæ excedit alias, siuè quia habeat plures perfectiones simpliciter, siuè quia habeat vnam alijs, saltèm nostro modo intelligendi, perfectiorem, siuè quia fundet proprietates ipsis affiniores, est absolute perfectior essentialiter alia. Voco autem perfectionem simpliciter illam, quæ ex sua ratione est perfectio, nec includens, nec excludens imperfectionem, vt esse, subsistere, viuere, intelligere.

Ad secundam opinionem de animabus rationalibus nego, vnã esse perfectiorem alia indiuidualiter per hoc, quòd intra eandem speciem habeat plures indiuiduales gradus diuinitus diuisibiles, id enim iam probatum est, omninò repugnare. Diuersitas ergo, seù inæqualitas in perfectione indi-

diuiduali, ſi inter eas datur, quam ſanè aliqui negant, aliqui concedunt, habetur ex eo, quia vna ex ſe ipſa, & propria ratione indiuiduali eſt indiuiſibiliter maioris perfectionis, ac valoris, quàm alia per ordinem ad maiorem perſpicacitatem intelligendi, & ad vim celerius operandi, & maiorem virtutem penetrandi ex parte intellectus, & ad alios modos proportionales ex parte volũtatis, vt rectè Ruuius lib. 2. de anima c. 3. q. 3. de quo infra, vbi etiam dicetur de anima Chriſti. omnia autẽ illa abſurda, quę ex cõtraria opinione ſequuntur, & ab aduerſarijs admittuntur, iam fusè ſupra reiecta, & exploſa ſunt.

Ad argumenta deinde tertiæ opinionis de partibus integrantibus extenſiuis, antequam reſpondeatur, diſtingui debet in caſu noſtro duplex materia. vna proprie, ac ſtricte, nempè materia prima corporea, & ex hac aliqua entia dicuntur proprie materialia. Altera latius dicta, entitas nimirum conſtans ex partibus integrantibus quantitati commenſuratis, ac coextenſis, etiam ſi excludat à ſe materiam illam primam: & ex hac etiam dici poteſt aliquod ens verè materiale tanquam a materia prima æquiualenter, ob ſubiectionẽ ad quantitatem, quantumuis excludat a ſe illam aliam materiam: quo pacto aliqui volunt Cœlum eſſe ſimpliciter materiale, licet poſſit dici immateriale ob independentiam ab alia materia. Similiter partes integrantes extenſionis cogitari poſſunt duplicis generis. Primæ conſideratæ ſecundum rationem ſuam formalem componunt aliquod ens, ſeù potius modum extenſum per ſe, immediatè, & præciſe in ordine ad locũ ſeù ſpatium, aùt alium terminum extrinſecum extenſum; atque huiuſmodi partes ex ſua ratione formali non habent quod vna primo, & per ſe vllo modo prius, ſit extra aliam in ordine ad ſe, ſeù ſubiectiue, & ex hoc conſequenter, & ſecundario in ordine ad extrinſecum: ſed primo per ſe, & adæquate vna ſit extra aliam in ordine ad tale extrinſecum, in quantum ſcilicet vna pars huius entis ſic compoſiti eſt eſſentialiter addicta ad vniendum ipſum cum vna parte tantum dicti extrinſeci, & alia tantum cum alia, & ſic de reliquis: vndè tales partes dici poſſunt extenſiuæ, ſeù extreitatem habentes ſolùm ſubiectiue, per ſe loquendo. Nec re vera ipſæ habent ſe, vt quod vnitur alteri, ſed vt quo aliud vnitur, vt indicatum eſt ſupra: & huius generis ſunt partes vbicationis rerũ extenſæ; & partes vnionis formarum cum materijs, & ſimiles. Secundi verò generis partes extenſiuæ ſunt, quæ ex ſua ratione formali per ſe primo, & immediate componunt, aùt extendunt in ordine ad ſe, ſeù in ordine ad totum, ac ſubiectiue id, quod componũt, aùt quod afficiunt, & ad hunc effectum primariò ordinantur in

quodam primo signo, & ex hoc trahunt in alio signo extensionem, seù extreitatem in ordine ad locũ anteriori illi extensioni, seù extreitati correspondentem. & hinc est, quod hæ omnes secundæ partes nunquam possunt non solùm causare aliquod compositum indiuisibile, aùt actu inextensum in ordine ad se, quod clarum est; sed neque possunt supponere subiectum suum tanquam actu, & formaliter inextensum, aùt inextendibile in ordine ad se, imò neque tanquam extensum solùm virtualiter, sed necessariò exigunt essentialiter, ac supponunt ipsum, vt actualiter, & formaliter extẽsum, aùt extendibile per partes intrinsecam extreitatem in ordine ad se habentes. secus illæ primæ partes ipsæ enim spectatæ in communi ex sua ratione formali non supponũt omnes suum subiectũ extensũ formaliter actu, aùt extendibile in ordine ad se; sed aliquæ quidem supponunt ipsum hoc modo extensum, quales sunt partes extensiuæ vbicationum, aùt vnionum rebus corporeis inhærentium, ob quam rationem sunt etiam materialiter, & subiectiue extensę in se ipsis; aliæ verò non supponunt suum subiectum sic formaliter, & actu extensum, aùt extendibile, sed exigunt ipsum omninò inextensum, & indiuisibile formaliter; extensum verò, ac diuisibile solũ virtualiter: & huiusmodi sunt in opinione aliquorum partes extẽsiuæ vbicationum Angelorum existentium, & etiam partes vnionis receptæ subiectiue in animabus nostris rationalibus, & terminatæ ad corpus.

Ad primũ igitur argumentum nego assumptum: iam enim supra plures positæ sunt implicantiæ, ob quas substantiæ spirituali repugnet compositio ex partibus integrantibus extensiuis.

Ad secundũ dico, ab independentia à materia prima vniuersaliter non argui à nobis carentiam partium extensiuarum vniuersaliter, & quarumcunque, & in omnibus rebus. nam secundum aliquos Cœlum est independens à vera materia prima, & tamen habet partes extensiuas, etiam quantitatiue, ob dependentiam à materia prima æquiualenti: & in vbicationibus Angelicis est independentia à materia prima vera, & æquiualenti; & tamen, vt mult volunt in ijs non est carentia, sed positio partium extensiuarum primi generis; sicut etiam in vnione animæ rationalis; quæ vnio est cõposita ex partib. extẽsiuis non subiectiue, sed obiectiue, seù terminatiue, in quãtũ s. vna ex his partibus est addicta ad vniendum vnam, & eandem animam indiuisibilem in qua subiectatur vni parti corporis, & alia alij, & sic deinceps, & ob hoc non sunt partes quantitatiuæ, aùt quantificabiles. ab independentia igitur ab vtraque materia arguitur benè vniuersaliter

ter

ter in omni re sic independente carentia partium extensiuarum primi generis: quia hoc ipso quod sūt formaliter per se primo ordinatæ ad extendendū rē per extensionē, & extreitatem in ordine ad se, seù subiectiuam, iam consequenter trahunt cōnaturaliter extreitatem seù extensionem in ordine ad locum; vndè necessariò sunt partes quantitatiuæ, aùt quantificabiles vt fusè probatum est capite præcedenti. quia ergo substantia spiritualis, vt sic, est in esse suo independens à materia; rectè arguitur, ac censetur simpliciter incapax partium integrantium extensiuarum; non solùm quæ sint extensiuæ primi generis: scilicet terminatiue, seù obiectiue tantū hoc enim est contra dignitatem, ac perfectionem substantiæ præsertim spiritualis, vt ex se patet; sed etiam, quæ sint extensiuæ secundi generis; hoc enim ipso non possunt præscindere à ratione partium quantitatiuarum, aùt quantificabilium. Cum autem quęritur, cùr res composita non possit esse independens à materia, si sit sermo de compositione ex partibus extensiuis terminatiue, seù obiectiue tantum, hoc nos non negamus; sed nunc transeat: si verò agatur de compositione ex partibus extensiuis in ordine ad se, ac subiectiue, dicimus rationem cùr res taliter composita, non possit esse independens à materia, esse quia huiusmodi partes sunt necessariò quantitatiuę, aùt intrinsece per quantitatem quantificabiles in ordine ad se cum tractione, & exigentia extensionis localis correspondentis, atque adeò corporeæ, & à materia pendentes, aùt ipsam entitatiue constituentes. cum rursùs quæritur, quæ connexio inter hæc duo, Non dependet à materia; ergo caret partibus? dicimus, esto non sit connexio vniuersaliter inter independentiam à materia, & carentiam omnium partium, benè tamen esse semper connexionem inter dictam independentiam, & carentiam partium extensiuarum subiectiue, & in ordine ad se; per has enim res fieret corporea, & modo explicato dependens à materia; ...

Dices, hæc non valet, res est carens his partibus, ergo est independens à materia, cum animæ brutorum perfectorum sint indiuisibiles, & carentes partibus, & tamen secundum multos sint pēdentes à materia; ergo è contrario neque valet, res est indepēdens à materia; ergo est carens partibus.

Respondeo à communiori sententia negari primam consequentiam ex primo antecedenti; hoc enim ipso, quod res seù entitas aliqua est carens partibus extensiuis, iam est independens à materia negant autem dictas animas esse carentes partibus: sed tamen quicquid sit de illo primo antecedenti cum sua cōsequentia, negatur cōsequentia ex secundo. & ratio disparitatis est primo quia indepen-

dentia à materia, licet explicetur à nobis per negationẽ; tamẽ formaliter est ratio positiua, scilicet eleuatio, & eminentia, ac perfectio rei supra materiam, & omnia materialia, ac corporea, ac proindè excludens omnem compositionem ex partibus extensiuis in ordine ad se; & ideò benè valet, res est independens à materia; ergo est carens his partibus: at verò carẽtia harum partium est pura negatio earundem, quę non semper oritur ex tanta eminentia, & perfectione, sed ex simplici entitate, & cõditione rei, vt patet in puncto, & ideircò ex tali carentia non benè infertur dicta independentia à materia, benè enim potest res esse ab illa dependens ob aliã intrinsecam suam imperfectionem. secundo quia habitio, seu inclusio partium in ordine ad se extensiuarũ est quidem sufficiens ratio depẽdentiæ rei à materia, cum sit quid quantitatiuum, ac corporeum: & ideò quoties res est independens à materia necessariò est carens talibus partibus: non tamen eadem habitio est ratio adæquata talis dependentiæ; potest enim intelligi aliundè rem exigere hanc dependentiam, ex peculiari scilicet natura sua minus ex se ipsa perfecta, quã excedat quidem alia materialia per carentiam partium extensiuarum, non tamen per omnimodam immunitatem à materia: quò fit, vt plus requiratur ad hanc immunitatem, & independentiam, quàm ad carẽtiam dictarum partiũ. Tertio ipsa indepẽdẽtia formæ à materia potest intelligi esse, vel simpliciter, vt cum tota forma secundum se totam, & secundum omnia sui constitutiua est à materia tota, & singulis eius partibus independens in esse suo, sicut est Angelus, & anima rationalis: vel secũdum quid remotum, in quantum scilicet tota ipsa forma categorematiue, & collectiue est quidẽ dependẽs à tota materia similiter categorematice, ac collectiue sumpta, & à singulis eius partibus principalioribus; ab his enim separata non potest existere; est tamen independens à multis materiæ partibus minus principalibus, à quibus separata, adhuc remanet & conseruatur absque corruptione eius totius, aut alicuius intrinsece pertinentis ad ipsius constitutionem, vt constat in anima perfectorum brutorum adhuc in opinione ponentium eam indiuisibilem; cum tamen quæuis alia forma habens partes extensiuas in ordine ad se sit pendens tota à tota sua materia, & singulę partes eius à peculiaribus partibus materiæ; & sic benè valet dicere, res, seu forma est carens partibus his extensiuis; ergo est independens à materia vel simpliciter, vt est anima rationalis, vel secundum quid, vt animæ perfectorum brutorum, quæ diuersitas, stante vtrobique dicta carẽtia partium, oritur ex maiori, vel minori perfectione specifica, & entitatiua talium formarum propria.

Ad

Ad tertiũ transeat totum antecedens cum prima consequentia intellecta de partibus integrantibus extensiuis terminatiue, seù obiectiue tantum; licet intellecta de partibus extensiuis subiectiue, & in ordine ad se, sit mala consequentia. ex eo enim, quòd vbi Angelicum spirituale concedatur cõstare ex partib. prioris generis, male infertur constare etiam posse ex partibus posterioris. sed negatur consequentia de substantia spirituali intellectiua, tàm de primis, quàm de secundis partibus quia, vt dixi, substantia spiritualis est ex sua perfectione incapax ambarum, & in speciali partium extensiuarum secundi generis, nempè subiectiuè,& in ordine ad se. Vndè arguere sic, vbi Angelicum est spirituale, & extensum; ergo etiam substantia spiritualis potest esse simpliciter extensa, nil valet; tum quia æquiuocatur in ratione extensi, & fit transitus ab extensione longè minori, & imperfecta,& secundum quid,ad extensionem longe maiorem,& perfectiorem, & simpliciter, nempè ab extensione ex partibus extensiuis terminatiue, & obiectiue tantum ad extensionem ex partibus extẽsiuis subiectiue, & in ordine ad se: tum quia, quod hinc sequitur, prima extensio cum sit solum erga extrinsecum,& obiectiue,nullatenus violare potest spiritualitatem in ipso vbi, & remanet vndè hæc spiritualitas sumi possit, nempè subiectum spirituale formaliter inextensum, & extensum solùm virtualiter, hoc enim est ex sua perfectione sufficiens ad substentandum partes talis extensionis:at verò secunda extensio, quia est in ordine ad se, & subiectiue quoad intrinseca, necessariò violat, & omninò destruit spiritualitatem in substantia, nec remanet vllum caput spirituale vndè hæc spiritualitas trahi possit ad ipsam substantiam;nil enim tale assignari potest. & hoc totum est verum, siuè vbi Angelicum ponatur solũ fluens, & successiuum, & quasi in via,vt multi ponunt; siuè ponatur etiam permanens, & in quiete. Demum ex vbi Angelico extenso vtpotè accidente, aùt modo imperfecto etiam constante ex partibus formalibus, seù actualibus nõ sequuntur illa absurda, quę sequuntur ex substantia spirituali extensa per partes integrantes, vt quod hæ singulę per se seorsim forent supposita perfecta, & personæ, aùt formæ totales, & alia supra probata.

Ad quartũ de habitibus spiritualibus, transeat antecedens, quod tamen multi negant de habitibus scientificis, putantes eos esse simplices qualitates:sed negãda est consequentia: disparitas enim est ex dictis,tum quia extensio in habitibus illis non est ex partib.in ordine ad se,seù subiectiue extensiuis, cum vna intrinsece sit non extra, sed intra aliam, & solùm obiectiue, seù in ordine ad obiecta partialia, sint repræsenta-

tatiue extensę, siuè hi partiales habitus componant habitum, qui sit vnum accidens per se, siuè vnũ solùm per aggregationem proptèr ordinem ad vnum obiectum totale: tum quia, vt modo dixi, ex extensione in habitibus spiritualibus non sequuntur inconuenientia, ac repugnantię, sicut ex extensione in substantia spirituali.

Ad quintum concedo antecedens, quod scilicet aliquę res spirituales, vt sunt multæ qualitates possint habere partes intensionis; sed nego consequentiam, & paritatem de partibus extensionis, nẽpè subiectiue, & in ordine ad se. & ad probationem, qua dicitur, non esse, cùr hæ partes magis officiant, quã illæ, retorqueo in primis ipsã: si .n. partes extensionis nõ magis officiũt spiritualitati qualitatũ, quàm partes intensionis; ergo ambæ sunt illi æquè conuenientes, ac connaturales, & non magis hæ, quàm illæ; ergo rursùs sicut de facto dantur qualitates spirituales habentes partes intensionis, ita de facto dari debent qualitates habentes partes extensionis, imò etiam aliquę habentes vtrasque partes, vndè forent simul intensæ, & extensæ, ac proindè receptę in substantia spirituali similiter extẽsa, & sic non solùm ex extensione sed ex extensione qualitatum spiritualium quoque prius probaretur extensio substantiæ spiritualis actu existentis quàm vice versa: Hoc autem satis nouum, & inauditum videtur, nec ab aduersarijs admissum, qui solum in substantia spirituali possibili ponunt extensionem. Deindè verò do rationẽ, cùr partes extensionis magis officiant spiritualitati, quàm intensionis; quia nimirum partes extensionis, quę est in ordine ad se, ac subiectiue, de hac enim agitur, ponunt saltèm implicite, in re corporeitatem, ac materialitatem, quæ secundum omnes ex proprio conceptu opponitur directè, ac repugnat per se spiritualitati: ita vt non sit intelligibile aliquid directius, & immediatius; ac magis propriè illi repugnans: quid enim intelligi potest magis dissonum enti spirituali, quàm ipsum esse in se, ac subiectiue extensum intrinsece in ordine ad se, ac proindè cum exigentia extensionis in ordine locum, in qua ratione consumatur cõceptus corporeitatis, quæ sanè per se est destructiua spiritualitatis? At non sic partes intensionis: intensio enim magnam habet cum spiritualitate affinitatem, ac proportionem; quippè quę ponens omnimodam intraneitatem partium intra se inuicem, ponit etiam omnimodam simultatem, vndè quoad hoc res intensa, est ęquiualens entitati indiuisibili in quantum hæc est tota intra se ipsam, seu in se ipsa simul, & per cõsequẽs intẽsio, seù habitio partiũ intẽsionis nõ modo non est destructiua, sed potius est perfectiua spiritualitatis, & stabilitiua eius in sua simultate, & quoad hoc est quędã virtualis, ac ęquiualens indiuisibilitas, atque adeò spiritualitas. Deinde nego pror-

prorsùs vltimam argumenti consequentiam; ex capacitate enim partium intensionis in aliquibus qualitatibus spiritualibus, seu in re spirituali in communi quoad aliquas eius quasi species, malè, & perperam infertur capacitas partium extensiuarum in substantia, spirituali proptèr multa. Primo enim sicut si quis vniuersaliter ex capacitatę intensionis accidentis in communi male colligeret capacitatem intensionis in substantia in communi, quia potest esse specialis repugnantia intensionis in substantia in communi, quæ non est in accidenti; ita & multo magis ex capacitate intensionis in aliquibus accidentibus spiritualibus, male infertur capacitas extensionis, quę est longè differentis rationis, in substantia spirituali, ob specialem difficultatem, ac repugnantiam in hac repertam respectu extensionis, quæ non est in accidentibus respectu intensionis, quia intensio non est destructiua, sed perfectiua spiritualitatis; secus verò extensio in substantia, & in omni alio ente, vtpotè ponens extreitatem partium inferentem corporeitatem, aùt formaliter continentē. Secūdo ex intensione in qualitatib. spiritualib. quę accidētia sūt nō sequuntur illa absurda, quæ ex extensione in substantia spirituali necessariò inferuntur, & supra sunt numerata, vt patet considerantl.

Ad Sextum conceditur maior scilicet substantiæ spirituali, pręter alias rationes repugnare partes extensiuas ex eo, quia hæ forent quantitatiuę, aùt quantificabiles, atque adeò forent corporeę, vt fusè supra ostendi per mediatas consequentias. sed negatur minor, quod scilicet hę partes non forent tales, sed spirituales proptèr carentiam impenetrabilitatis, & habitionem, seù positionem penetrabilitatis naturalis cum alijs, hoc enim satis impugnatum est, & probatum dictam extensioné, & extreitatem non posse præscindere, saltèm implicite, & exercite à corporeitate, & impenetrabilitatē; neque proinde, sicut dantur, aut non repugnant partes extensionis quantitatiuæ, ac corporeæ, ita nec esse repugnantes alicui substantiæ spirituali partes extensionis spiritualēs. Ad id verò, quod additur in argumento, nempè magis esse proprium rei spiritualis habere indiuisibilitatem, quàm diuisibilitatem, licet hanc vtcunque possit habere, dico, id non posse asseri consequenter, & cohærenter ab aduersarijs; & patet hoc primo in his rationibus sūptis intensiue, nā absq; dubio dātur aliquę res spirituales ex natura sua indiuisibiles intensiue, & aliæ diuisibiles intēsiue.i. constantes ex partib. intēsionis, nō per miraculū, sed secūdū propriam naturā, ac cōnaturaliter, vt sūt multę qualitates naturales, & supernaturales; ergo primis reb. nō est magis propria indiuisibilitas intensiua, quàm secū-

dis sit propria diuisibilitas intensiua; neque his magis hęc officit, quam illa illis, sed ambabus est ęqualiter propria, & conueniens sua conditio; ergo rei spirituali in communi, quę sub se, tanquam genus, continet ambas res, non potest dici magis propria indiuisibilitas, quàm diuisibilitas, sed vtraque illi æqualiter permissiue conuenit, sicut generi æqualiter conueniunt species, & differentiæ eius contractiuę. Secũdo hoc patet in dictis rationibus sumptis extensiue, stante sententia aduersariorum: sicut enim secundum omnes, dantur res spirituales ex natura sua indiuisibiles extensiue & incompositæ; ita etiam per aduersarios dari possunt aliæ res spirituales ex exigentia propriæ naturæ, & essentiæ, & non per miraculum, aut supra earum connaturalitatem compositæ, & diuisibiles extensiue, alioquin ex se forent essentialiter simplices, & incompositę, ac compositionis incapaces: & hanc diuisibilitatem, ac compositionem aduersarij colligũt in particulari ex paritate compositionis intensiuę; dicentes cõpositionem extensiuam non magis officere rebus spiritualibus, quàm intensiuam; ergo necessariò sicut rebus spiritualibus, quæ sũt extensiue indiuisibiles, est omninò propria talis indiuisibilitas, ita alijs, quæ sunt diuisibiles, est omninò propria, & conueniens huiusmodi diuisibilitas, non minus, quàm alijs sit propria earum indiuisibilitas, sed vtrisque est æqualiter propria conditio illarum correspondens; ergo tandem rei spirituali in communi, cõpræhendenti sub se vtrasque substantias, non potest dici magis propria indiuisibilitas, quàm diuisibilitas, & dicere oppositum est non loqui cohærenter.

Tertio per aduersarios spiritualitas rei consistit in hoc, quod sit penetrabilis cum alijs; & potest esse æque connaturaliter penetrabilis, tàm si sit carens partibus extensiuis, atque adeò sit extensiue indiuisibilis, quàm si sit composita ex aliquo genere harum partium, ac proindè sit diuisibilis; alioquin si res habens has partes sit minus penetrabilis, iam hoc habet ex permistione impenetrabilitatis, & corporeitatis, & per consequens non est vere spiritualis, sed corporea; ergo incoherenter dicitur rei spirituali esse magis propriam indiuisibilitatem. Quarto aliud est, rem spiritualem indiuisibilem esse perfectioris speciei, quàm rem spiritualem diuisibilem, ex maiori accessu ad spiritualitatem increatam; hoc enim benè intelligi potest, sicut vnam speciem e. g. animalis esse perfectiorem alia: aliud verò est, rei spirituali in cõmuni, & de se indifferenti ad indiuisibilem, & diuisibilem esse magis propriam indiuisibilitatem, quàm diuisibilitatem; id enim falsum est, vtpotè eius indifferentiæ repugnans; sicut etiam falsum est, animali vt sic communi ad rationale,

&

& irrationale, eſſe magis propriã vnam ex his ſpeciebus, ac differentijs, quàm alteram.

Denique dicunt ſubſtantiæ ſpirituali diuiſibilitatem vtcumque poſſe conuenire, ac vtcumque in ordine ad potentiam abſolutam cohærere cum diuiſibilitate immortalitatem, & intellectualitatẽ; non dari tamen de facto animã ſpiritualem conſtantem ijs partibus, quia id patet ex auctoritate, & quia fortè illa non eſſet ſimul immortalis, intellectiua, &c. ſed certe hoc omninò infirmat, & eneruat opinionem de poſſibilitate talis ſubſtantiæ. nam in primis quod genus animæ ſpiritualis foret hoc, de qua dubitari poſſet an eſſet immortalis? ſic enim etiam de ea dubitari poſſet, an eſſet ſubſtantia ſpiritualis, quam certum eſt eſſe immortalem, & ferè certũ eſſe etiam intellectiuam. Deindè ſi ideò talis forma, ſeù anima ſpiritualis non datur de facto, quia fortè poſſet dubitari, eam non eſſe immortalem, cum tamen certum ſit animas omnes ſpirituales creatas, & creandas eſſe immortales; ergo neque de poſſibili creari poteſt anima ſpiritualis diuiſibilis, ac compoſita ex partibus integrantibus, quia ob vnum caput, nempè ob ſpiritualitatem ſubſtantialem, deberet eſſe omninò certum, eam fore immortalem; ob aliud verò nempè ob talem compoſitionem dubitari iure poſſet de eius immortalitate, quicquid ſit de intellectualitate.

Præterea. Cum dicitur, diuiſibilitatem vtcunque poſſe conuenire formæ ſubſtantiali ſpirituali, & cum ea cohærere, ly vtcunque, eſt ſine dubio additum diminuens, ac detrahens de veritate connaturalitate, & perfectione talis conuenientiæ, & cohærentiæ: clare enim oſtendit, eſſe inter ea diſconuenientiam, improportionẽ innaturalitatem, difficultatem, & aliquam repugnantiam; Hæc autẽ non poteſt eſſe hîc, niſi aperta implicantia, quod probatur ex eo quia ideò hîc intercedunt hæ cõditiones ſic oppoſitæ, quia ſubſtãtialis forma ſpiritualis eſt intrinſece, & formaliter ſimplex, incõpoſita, & indiuiſibilis; diuiſibilitas autẽ ſupponit in ea compoſitionem, excludendo ſimplicitatem, & clare excludit ſe ipſa formaliter indiuiſibilitatem; ergo hîc non poteſt eſſe, niſi aperta implicantia. Nec dicant talem formam ſpiritualem, non eſſe intrinſece, ac formaliter ſimplicem, incompoſitam, & indiuiſibilem, ſed indifferentem ad has rationes: nam contra eſt; quia hîc non agitur de ſubſtantia communi, & ſuperiori ad ſubſtantiam ſpiritualem ſimplicem, & ad aliã compoſitam ex partibus extenſiuis ſpiritualibus; illa enim communis eſt verè indifferens, & ratione præſcindens ab ambabus; ſed agitur determinate de ſubſtãtia ſpirituali conſtante ex dictis partibus, q̃ ſanè non poteſt eſſe ſic præſcindens, & indifferens, ſed verè à parte rei compoſita, & diuiſi-

bilis; & hanc apertè repugnat esse simplicem, & indiuisibilem, etiam per potentiam absolutam; nullatenus enim mutari possunt naturæ rerum simplices, & indiuisibiles in compositas, & diuisibiles, nec esse simul indiuisibiles intrinsece in sua substantia. neque etiam dici potest, substantiam spiritualē, de qua agitur, esse de se magis inclinantem ad indiuisibilitatem, sed tamen posse illi virtute diuina cōiungi diuisibilitatem, hoc enim quoque clare repugnant. Tum ex 2o quia substantia, de qua agimus, supponitur vt intrinsece cōposita ex partibus substantialibus integrantibus, alioquin sumus extra casum; ergo non potest ex se esse magis inclinās ad simplicitatē, & indiuisibilitatem: Tum quia hæc substantia, si produceretur, esset verè actus existens à parte rei ergo necessariò à parte rei esset actu simplex, & indiuisibilis, non autem tantummodo magis inclinans ad indiuisibilitatem; vel actu in se composita, & indiuisibilis; ac proindè non esset magis inclinans ad indiuisibilitatem, sed ad diuisibilitatem: Tum ex eo, quia repugnaret euidenter illi apponi, seù coniungi diuisibilitatem, ac cōpositionem ex partibus integrantibus substantialibus absque variatione essentiali eius: vndè si quæ compositio, aùt diuisibilitas de potentia absoluta posset illi addi, esset mera extensio, quæ ex supradictis esset vera quantitas constans ex partibus accidentalibus extensiuis, remanente illa substantia in se intrinsece inuariata, & indiuisibili; ad diuisionem talis extensionis usad eum modum, quo se haberet Angelus, si in eo Deus poneret subiectiue quantitatem, vt aliqui volunt fieri posse, quod sanè est extra propositum nostrum.

Restat igitur, vt cum dicitur, diuisibilitatem posse cohærere vtcunque cum ea substantia spirituali, ly vtcunque non possit intelligi, nisi in quantum idem est, quod fictitie, seù per fictionem intellectus, & ex consequenti substantia spiritualis diuisibilis, ac cōstans ex partibus integrantibus extensiuis, erit quid fictitium.

CAPVT V.

Dubium incidens. Vndè sumatur inter res creatas excessus perfectionis vnius supra aliam.

HAec difficultas huc reiecta est, vt accuratius tractari possit; videtur enim mihi res digna diligenti examine; nec multū apud modernos agitata, sed apud antiquiores; quorum aliqui hunc excessum, seù maioritatem perfectionis ex pluralitate perfectionū simpliciter; alij penes multitudinem graduum; alij penes excessum ad summum; alij penes recessum ab imo: alij penes perfe-

ctio-

ctionem operationum constituūt.

Prima ergò opinio est Ioannis de Ripa apud Alliacensem in 1. q. 13. a. 3. qui nomine perfectionis simpliciter videtur intelligere perfectionem, quæ nec includit, nec excludit imperfectionem, vt supra; dat enim exemplum de essentia, vita & intelligentia; quas perfectiones vult reperiri in eodem supposito creato, nempè homine distinctas formaliter, licet identificatas realiter, additque, quod [in quolibet tali supposito finito prima denominatio est intensior, quàm secūda, & secunda, quàm tertia, & sic deinceps; & quælibet est in infinitum intensibilis; sicut linea vbicunque inciperetur, posset in infinitum protendi versus orientē: nec aliqua pars illius denominationis est indiuisibilis, sicut nec aliqua pars lineæ] & illi gradus, seù partes eiusdem denominationis secundum eum non differunt realiter, nec formaliter, sed ex natura rei strictè sūpta. & ex his infert, quod[homo est plus ens, seù esse, quàm viuens, vel vita, & plus vita, quàm intelligentia] & ita dixisset de qualibet specie finita cui competerent istæ tres denominationes. In specie tamen infinita, quam ponebat possibilem, dicebat quamlibet denominationem esse finitam, & per consequens æque intensam. Infert deindè[maiorem, vel minorem perfectionem specierum attendendam esse in hoc, quia habet plures, vel pauciores denominationes perfectionis simpliciter, & quia quodlibet suppositum speciei superioris, est perfectius, & intensius in qualibet denominatione, qua conuenit cum supposito speciei inferioris, quàm illud suppositum inferius] & secundum hanc viam in eadem specie vnum suppositum potest esse perfectius alio secundum quod potest habere maiorem latitudinem denominationis proprię speciei in qua nō concurrit cum specie inferiori. & hæc esse potest huius opinionis probatio. Atq; hæc opinio videtur esse fere eadē cū illa quam refert Marsilius in 1. q. 1. a. 2. par. 5. dicēs aliquos velle, quod [in rebus dependentibus hoc simpliciter est perfectius, cui conueniunt plura prædicata sumpta ab essentia rei perfectionem simpliciter exprimentia: vel cui conueniunt plures denominationes perfectionis simpliciter: illud verò imperfectius, cui pauciores.] vocāt autem denominationes perfectionis simpliciter, quæ cuicumque conuenirent nullam imperfectionem importarent, & est sumpta ab essentia rei e. g. intelligere sequitur essentiam hominis, & cuicunque conuenit nullam imperfectionem in eo dicit [nam & Deo conuenit, in quo imperfectio non cadit: similiter sunt, cognoscere, viuere, & esse vndè esse, primam, viuere secundā cognoscere tertiam, & intelligere quartam ponūt denominationem perfectionis simpliciter: sequuntur enim essentias rerum, quibus conueniunt, & nullam imperfectionem

nem dicunt]

Sed contra hanc opinionem.

Arguitur. & primo quod dicitur, & supponitur, dictas denominationes perfectionis simpliciter esse in infinitum intensibiles, & primam esse intensiorem, quàm secundam, & secundam quàm tertiam, & sic deinceps, & quod proptèr hoc homo sit plus ens, seù esse, quàm viuens, vel vita, & plus vita, quàm intelligentia, fictitium quid est, & supra satis impugnatum, cum varijs rationibus ostensum est, substantiarum essentias non posse esse compositas ex gradibus, seù partibus intensiuis, & in eas diuisibiles: & in speciali constat in casu nostro, quia data tali compositione in vno homine posset hic diuidi in plura, ac plura supposita humana: quia ex prima perfectione simpliciter posset separari diuinitus vnus gradus entis ab alijs eiusdem; & à secunda perfectione, nempè vita, vnus gradus viuentis ab alijs similibus; & à tertia perfectione, nempè intelligentia, vnus gradus intelligentis ab alijs similibus; ergo ex his gradibus simul inter se vnitis, seù realiter identificatis, siquidem illæ tres perfectiones, quæ vtique forent substantię, atque adeò per se existentes, dicũtur esse idem realiter, iam habetur vnum suppositum; ergo similiter ex ijsdem perfectionibus sumi poterunt alij tres gradibus, ex quibus vnitis fiet aliud suppositum, & sic deinceps, quandoquidem in singulis perfectionibus ponuntur plures gradus in infinitum diuisibiles, sicut partes lineæ. Atque hinc etiam sequitur si dictæ perfectiones sunt in infinitum intensibiles, posse Deum addere singulis plures, & plures gradus ijs proportionatos, vt enti plures gradus entis, vitæ plures gradus vitæ, & intelligẽtię plures gradus intelligentiæ, qui gradus necessariò forent substantiæ, componerent enim hominis essentiam ergo hi gradus vniti inter se essent re vera vnus homo, seù vnum suppositum humanum; nam in eorũ additione adderentur etiam nouæ perfectiones simpliciter, constituentes hominem; ergo possent à Deo illi primo homini addi plures homines, aùt hominum naturæ, vnum hominem cum illo constituentes. & explico magis. nam si hę perfectiones simpliciter sunt compositæ singulæ ex proprijs gradibus intensiuis, & sunt idem inter se realiter, ac proindè ab inuicem inseparabiles; quęro, an quælibet perfectio secundum se totam distributiue, & secundum singulos suos gradus sit identificata alij toti perfectioni, ita vt singuli gradus vnius sint idem cum omnibus, & singulis gradibus alterius; an vero sit tota collectiue identificata alij toti perfectioni collectiue, singuli verò gradus vnius non sint identificati cum singulis alterius, sed certi cum certis, ac determinatis tantum. Si primum; ergo implicat, quod quælibet perfectio sit constans ex pluribus

bus suis gradibus diuisibilibus à se inuicem, repugnat enim vnum ex his gradibus existere separatū ab alio eiusdem perfectionis, quia omnes, & singuli identificantur cū omnibus, & sigulis gradibus alterius perfectionis, & ab his ponuntur inseparabiles; ergo necessariò sunt etiam identificati inter se, & inseparabiles; quæ enim sunt eadem vni tertio in creatis, sunt eadem inter se, &c. si dicatur secundum; ergo vnus gradus vnius perfectionis cum separatur ab alio gradu eiusdem, non potest sumi solus, sed necessariò sumi debet simul cum gradu secundæ perfectionis, & etiam cū gradu tertiæ perfectionis vtpotè sibi identificatis, & ita similiter, quilibet gradus primæ perfectionis debet accipi simul cum gradibus aliarum perfectionum, qui illi sunt identificati, ergo quilibet gradus est re vera triplicis perfectionis ob dictam identitatem; ergo quia quilibet gradus est substantialis, quilibet est per se subsistens ac proindè est suppositum humanum, & ex consequenti in vno homine sunt plura supposita à se inuicem diuisibilia, vndè impossibile est ea fuisse inter se vnibilia in vnum, ex alibi probatis. & similiter si illæ perfectiones simpliciter sunt intensibiles, iam possunt à Deo augeri per additionem nouorum, ac nouorum graduum antiquis consimilium, & consequenter per noua, ac noua supposita humana, quod etiā implicat, essent. n. supposita huamna ex propria ratione inunibilia: seù potius essent supposita ob vnum caput, quia supponuntur vnibilia; & ob aliud caput non essent supposita, quia ex natura sua sunt inunibilia. Atque vis huius argumenti facilius intelligi potest in Angelo.

Arguitur secundo excessus perfectionis vnius rei supra aliam nō potest vniuersaliter sumi ab ea ratione, quæ non est vniuersalis omnibus rebus, inter quas est talis excessus, vt ex se constat: sed habere plures perfectiones simpliciter, seù plures denominationes talis perfectionis non est huiusmodi ratio vniuersalis; ergo, &c. Minor probatur: quia licet hæc ratio reperiatur inter aliquas res, homo enim habet plures ex his perfectionibus, quàm bruta, cum supra illa habeat esse intellectiuum, & sic etiam proportionaliter Angelus; tamen non ita est vbique; Tū quia inter elementa est excessus in perfectione essentiali secundum omnes; & tamen nullum ex his habet plures perfectiones simpliciter, quàm aliud; omnia enim habent esse, & quod sint substantiæ, supposita, & si quod est aliud simile: nec assignari potest vlla perfectio simpliciter, quæ sit in vno, & non in alio. similiter innumerabilia sūt mista, quę se excedunt in perfectione specifica, non autem in habere plures, vel pauciores perfectiones simpliciter, vt bruta inter se comparata, & lapides inter se. Tum quia, vt rectè

Mar-

Marsilius loco citato [æqualia prædicata denominationis perfectionis simpliciter non inferunt perfectiones æquales ; ergo nec plura alicui conuenire, infert in illo esse perfectionem maiorem : sicut enim æquale ad æquale, ita magis ad magis : vt sicut æqualiter alba, habent necessariò æqualem albedinem, eo modo, quo æqualis: ita magis album necessariò habet magis albedinem eo modo, quò albius] Tum demum quia tales perfectiones simpliciter paucæ admodum sunt, vt esse, substantia, viuere, cognoscere, intelligere, & si quod aliud est; differentiæ verò rerum in perfectionibus se se excedentium, multo plures, imò innumerabiles sunt, vt clarū est in lapidibus, piscibus maris, &c. vndè etiam patet, ex pluralitate perfectionum simpliciter nō solùm non posse sumi excessum in perfectionibus specificis rerum; sed neque excessum gradualem in intensione accidentium: dantur enim in calore summo, & in calore medio totidem denominationes essentialis perfectionis simpliciter ; & tamen vnus est duplo perfectior indiuidualiter, seù intēsiue, quàm alius. Ad hæc addit idem auctor, plures tales perfectiones simpliciter conuenire multis minus perfectis, nam viuere conuenit plantis, & cognoscere conuenit brutis, non autem Cœlo soli, aliisque syderibus, quæ tamē sunt essentialiter perfectiora secūdum ipsum omnibus plantis, & plurimis brutis. quod tamen non approbo, alibi discutiendum.

Arguitur tertio, quia dicta sententia neque est vniuersalis circa excessum in perfectione inter omnia entia creata, quia non extenditur ad excessum circa accidentia ad inuicem, sed solùm ad excessum circa substantias; ergo inquirenda & assignanda ratio vniuersalior.

Ratio autem, seù probatio pro illa sententia soluitur ex dictis negatur enim ex pluritate perfectionum simpliciter sumi posse excessum inter res in perfectione essentiali, siuè tales perfectiones simpliciter ponantur intensiores in rebus perfectioribus, quàm in minus perfectis, siuè non : iam enim est ostensum, etiam stante inter plurimas res æqualitate in numero perfectionum simpliciter, posse illas esse inæquales in perfectione essentiali, & vnam alia perfectiorem.

Intensio verò illa, seù intensionis latitudo iam reiecta est : & ob hanc rationem dici non potest suppositum speciei superioris esse pefectius, & intensius in qualibet denominatione, in qua conuenit cum supposito speciei inferioris quàm illud suppositum inferius. Nec in eodem specie vnum suppositum potest esse pefectius alio ob maiorem latitudinem denominationis, propriæ speciei, in qua non concurrit cum specie inferiori.

Secunda opinio est Alliacensis loc.

lac. cit. vbi negat distinctionem formalem, & distinguit duplicem perfectionem, nempè perfectionẽ simpliciter, & perfectionem secũdum quid. & primam dicit esse perfectionem, vel rem significatã per aliquem terminum, quem non stat ab aliquo remoueri, & illud est summum bonum. Perfectio verò secundum quid strictè sumendo, est perfectio, vel res creata significata per aliquem terminũ quem non stat ab aliquo remoueri, & illud esse, & non esse minus perfectũ quã illud p illũ significatum: v. g. de primo vita in Deo est perfectio simpliciter, & iste terminus vita, est denominatio perfectionis simpliciter: de secundo verò, vita creata est perfectio secũdum quid, & iste terminus vita creata est denominatio perfectionis secundum quid. & secundum istum modum sola diuina perfectio est perfectio simpliciter: perfectio autem creata consimilis denominationis perfectionis diuinæ est perfectio secundum quid] & ex his deindè deducit, terminos specificos de prædicamento substantiæ, vt homo, leo, lapis, & alij exprimentes finitam limitationẽ essendi non esse denominationes perfectionis secundum quid. quia talis terminus potest negari ab aliquo ente creato, tamen hoc nõ non erit minus perfectum, quam perfectio creata significata per illum: sicut Angelus non est homo, nec est minus perfectus: & ideò res inquit [significata per talẽ terminum, potest vocari perfectio limitata, & talis, & talis terminus denominatio limitatæ perfectionis] & demum, quod ad rem nostram facit concludit idem auctor illud commune dictum, omnia sunt magis, vel minus perfecta secundum, quòd magis, vel minus appropinquant, vel distant à primo, non debere intelligi de propinquitate, vel distantia perfectionali secundum maiorem, vel minorem excessum perfectionis diuinæ ad alia entia, quia infinitè excedit, sed de propinquitate, vel distantia à Deo secundum maiorem, vel minorem conuenientiã vel similitudinem in pluribus, vel paucioribus denominationib. perfectionis cum eo, seù secundum quod rei conueniunt plures denominationes perfectionis, quarũ consimiles conueniunt Deo. & hæc est probatio huius sententiæ; quia nimirum per hoc cõcluditur res perfectior, & magis appropinquare Deo.

Impugnatur tamen hæc etiam sententia primò quia neq; ipsa potest esse vniuersalis; dantur enim plurima entia habentia totidem denominationes illarũ perfectionum, & tamen adhùc inæqualia in essentiali perfectione cum excessu vnius supra aliud, vt dictum est de elementis inter se comparatis, & de brutis inter se, & lapidibus inter se. Nec verò potest dici, omnia illa, quæ sunt æqualia in numero talium denominationum, esse etiam æqualia in perfe-

ctio-

ctione essentiali quantumuis species, inter se differant; id enim est omninò absurdum, & fallum cum satis aperte constet ex tanta multitudine, & varietate accidentium, & proprietatum adeò differentiũ, ac difformium ijs conuenientium, ea in suis essentijs, ac naturis, & in essentiali perfectione esse prorsùs inæqualia, quicquid nunc sit, an dari possint entia differentia specie, & tamen in essentiali perfectione æqualia; hoc enim est alterius speculationis. Odoratus quidem est hoc idem auctor in fine quæstionis dicens[licet sint aliquę duæ res, & totidem conueniant denominationes perfectionis simpliciter vni sicut alteri, tamen proprie loquendo de specie, nõ proptèr hoc sequitur, quod sint eiusdem speciei, quia stat quod aliqua illarum non sit proprie in specie, sed de prædicamento substantiæ, vt patet de homine, & anima alterius, &c.] addit tamẽ illas res nõ esse diuersarum specierum, & esse essentialiter æque perfectas verũ hoc non posset dicere vniuersaliter de omnibus rebus habentibus totidem perfectiones, vt constat ex dictis secundo impugnatur, quia Deo conueniunt plures perfectiones simpliciter ratione distinctæ; ergo explicari debet, respectu quarum attendi debeat maior, aut minor conuenientia rerum creatarum in denominationibus perfectionum: quod tamen ille non explicauit, de quo latius infra. & hinc etiam patet ad pro-

bationem pro illa sententia ...
tam.

Tertia opinio est Dionys...
sterciensis in 2. dist. 1. q. 3. du...
2. puncto 2. vbi tria dicit. prim...
est [cuiuslibet indiuidui perfe...
penes accessum ad summum ...
sua specie, & penes distantia...
à non gradu suæ speciei secun...
aliquod certum mensuratum, ...
tenditur] & probatur ex eo, q...
quodlibet indiuiduum est ta...
perfectionis, quanta est partici...
tio denominatiua ipsius in sua ...
cie, quæ participatio talis men...
ratur penes accessum ad prim...
suæ speciei, & penes distantia...
à non gradu suæ speciei; tum q...
his positis, benè intelligitur hal...
ri perfectionis proportionem. A...
dit tamen, notanter se dixisse...
pra, secundum aliquod certu...
mensuratum, quia secundum ...
certum omnes gradus æquali...
distant à non gradu. Secundo d...
[cuiuslibet speciei perfectio ...
nes plurificationem essentialiu...
perfectionum suo generi comp...
tentium respectu alterius speci...
penitus est attendenda. Proba...
sic, illa species alicuius generis ...
perfectior alia, cui conuenit p...
fectior differentia: quia, cui conu...
nit perfectior differentia, neces...
riò plures competunt essential...
perfectiones generi competent...
declaratur exemplo. nam anim...
competit vegetatiuum, sẽsitiuu...
& intellectiuum: sed certum e...
quod species animalis est perf...
ctior, quæ plures huiusmodi pe...
fe-

fectiones continet, quàm quæ cõtinet pauciores, ergo. Tertio dicit, [cuiuslibet generis perfectio per maiorem imitationem primi entis, & distantiam à non ente, est simpliciter attendenda] probat secundam partem, quia quanto magis distat aliquid ab imperfectione, tanto magis distat à non gradu entis; Primam verò partem probat ex Anselmo Menologij c. 31. cuius ratio hæc ferè est. quia quãto alicui speciei denominatiuæ conueniunt plures perfectiones simpliciter conuenientes simpliciter primo enti, talis species est perfectior, & magis distat à non gradu entis, &c.

Sed tamen illud primum de indiuiduis reijcitur, tum quia videtur supponere in omnibus indiuiduis esse latitudinem graduum participationis denominatiuæ de sua specie, quod supra refutatum est: licet enim talis latitudo detur in qualitatibus suscipientibus magis, & minus, non tamen datur in omnibus rebus: tum quia supponit, in qualibet rerum specie dari primum, seu summum indiuiduũ, quod possit esse mensura cæterorum, quod gratis, & diuinando dicitur: imò videtur supponi, quod nullum dari possit indiuiduũ maius, seu perfectius ipso in tali specie, quod tamen est incertum: tum quia inter indiuidua vnius infimæ speciei benè potest intelligi inæqualitas perfectionis indiuidualis, non per maiorem accessum ad vnum ex ipsis, quod sit summum, sed per ordinem ad operationes aliquo modo perfectiores, aùt ad aliquid simile, vt dixi supra de animabus rationalibus. Deindè tota series indiuiduorum in qua-uis specie est mensurabilis in indiuiduali perfectione; ergo per nihil in ipsa contentum debet mensurari, sed per aliquid aliud. Secũdum etiam de speciebus non concludit tum quia licet aliqua species contineat plures perfectiones suo generi competentes, quàm alia sub eodem genere contenta; nõ propterea illa erit essentialiter perfectior, nisi tales sint perfectiones simpliciter: & ob hoc homo est essentialiter perfectior omnibus alijs speciebus animalis, non quia continet plures perfectiones qualescunque, sed quia continet plures perfectiones simpliciter, inter quas est intellectiuitas; vndè etiã si aliquod brutum contineret plures perfectiones non simpliciter, quàm homo, non idcirco esset specifice perfectius: tum quia ex sępè dictis multę species vnius generis continent totidem perfectiones simpliciter, & tamen vna est essentialiter perfectior alia; & idem accideret si præter has continerent etiam totidem perfectiones secũdum quid, modo hæ forēt inęquales, & vna perfectior alia. Vndè ad rationem pro illa sententia allatam, conceditur maior quoad primam partem, sed negatur quoad secundam; nõ enim cui conuenit perfectior differētia, necessariò semper competunt plures essen-

siales perfectiones simpliciter generi suo competentes, nisi quando illa differentia est etiam perfectio simpliciter, vt accidit in homine in ratione intellectiui in comparatione ad bruta: secus verò est, si talis differentia sit perfectio secũdum quid; tunc enim rei, cui ipsi conuenit, nec necessariò competunt plures perfectiones simpliciter, nec secundum quid.

Tertium denique, quod dicit, eget maiori explicatione, in quo scilicet consistat illa determinatio primi entis, & respectu quarum perfectionum diuinarum intelligi debeat.

Quarta opinio refertur à Marsilio in 1.q.1.a.2.p.5. & est dicentium [perfectiones rerum essẽtiales penes lineam rectã imaginatã procedere à non gradu perfectionis ad perfectionem simpliciter dictã, scilicet diuinã; ita quod illud, quod altius collocatur in hac linea essentialiter perfectius sit. nam 8. metaph. dicitur, quod species rerũ sunt sicut numeri: in numeris autẽ maior numerus est, qui plus ab vnitate protensus est. & ex his quidam dicunt, hoc esse perfectius, quod plus recedit in hac linea à non gradu: alij verò, quod magis accedit ad gradum summum] Ipse tamen hanc sentẽtiam impugnat tum quia omnes perfectiones dependentes infinite distant à gradu summo, seù à primo ente; ergo proprie vna earum non plus accedit, quàm alia; quia infinitarum distantiarum non videtur vna maior, quam alia: tum q proprie de vi sermonis nullus recessus à non gradu, cum o[...] recessus sit à termino positiuo: quia in tali linea à non gradu p[...] fectionis inchoata, & in Deo m[...] nata, linea terminata ad pun[...] altiorem includit sub se omne[...] neas terminatas ad quemlibet [...]ctum inferiorem, sicut in num[...] quilibet terminatus ad vnitate[...] à prima vnitate distantiorem, [...] nes species numerorum in se c[...] tinet terminatas ad vnitates i[...] riores: at non sic est in perfectio[...] bus specierum; vna enim spe[...] non continet in se aliam, vt [...] equum, &c. & potest etiam [...] plius vrgeri, quia in Deo, seù primo ente, præter perfectio[...] creaturis incõmunicabiles, e[...] per participationem, vt sunt e[...] ens à se, esse ens per essentiam, actum purum habere plenit[...] nem essendi, esse infinitum in [...] ne entis, esse primum ens, ess[...] compræhensibile, & similes, aliæ perfectiones simpliciter [...] plices communicabiles partic[...] tiue, & per imitationem, vt ess[...] se actum, esse substantiam, seù independens substentatiue, a[...] hæsiuè, esse viuens, esse cogn[...] esse intellectiuum, esse incorr[...] bile, seù immortale, esse cogn[...] bile per se tãtum per intellect[...] esse principium actiuum, seù [...] ratiuum, & alia similia; ergo [...] do, perfectiones essentiales re[...] creaturum, seù excessum inte[...] sas sumi debere, ac mensurar[...]

ne

nes maiorem accessum ad Deum, est insufficientem rationem assignare; nam fieri potest, vt vna res magis accedat, & habeat maiorē similitudinem ad ipsum sub vna ratione, & alia sub alia: vndè Cœli magis accedunt ad Deum sub ratione incorruptibilis, & ratione principij generalis omnium generabilium, & in ratione impassibilis, quàm homines, & plantæ, & bruta, quæ tamen magis accedunt ad eundem sumptum sub ratione viuentis: Rursùs Materia prima est similior Deo in ratione incorruptibilis, forma verò in ratione actus: & anima rationalis magis cum Deo conuenit in ratione immaterialitatis, compositum verò substantiale in ratione entis completi; sic etiam Angeli similiores sunt Deo in gradu immaterialitatis, corporea verò in ratione principij productiui substantiarum: & demum substantiæ creatæ magis accedunt ad Deum in ratione per se stantis, & independentis quàm omnia accidentia; gratia verò sanctificans, & charitas, & alia similia accidentia supernaturalia sunt illi propinquiora, tanquā spectantia ad ordinem diuinum, & supernaturalem.

Vltima sententia est eiusdem Marsilij ibidem concl. 14. dicentis [valdè probabile videri, quod sumenda sit tanquam à posteriori perfectio diuersarum rerum penes diuersitatem operationum debitarum ipsis secundum suam speciem essentialem] & probat, quia quoad nos penes hoc dicimus alterum altero perfectius, penes quod nobis notus sit vnius super alterum excessus; potentiæ enim nobis ignotæ sunt ex 9. metaph. nisi in quātum ipsarum opera videmus, & actus. Deindè verò sic concludi: [videtur quod à priori sumatur distinctio perfectionis rerum dependentium essentialiter in per se subsistentibus, siuè substantijs suppositalibus penes plus recedere à pura potentia, & magis participare de actu; vt scilicet illud dicatur minus perfectum, quod magis accedit ad puram potentiā: illud verò perfectius, quod magis ab ea recedit, & plus attingit actū] & probat ex eo quia pura potentia in substantijs est minimę perfectionis, quia minimè de actu primo, qui purissimus est, participat; perfectio autem simpliciter dicta, scilicet diuina, est purus actus. quanto ergo substantia magis elongatur à minima substantia, & perfectione, & quanto magis accedit ad maximam substantiarū perfectionem, tanto videtur esse perfectior, & dignior: sed quanto plus recedit à pura potentia, & magis participat de actu, tanto magis recedit à minima perfectione substantiarum, & suo modo magis accedit ad maximam earū perfectionem; ergo, &c. Minor patet, quia materia, seù pura potētia est minima perfectio; itē Deus est purus actus, qui est summa perfectio; ergo ad actum magis ire, magis est ad perfectionem ve-

nire: & hinc colligit, minimæ perfectionis post materiam primam inter substantias per se subsistentes, esse terram, quia post materiā primam est maximè passiua; deindè elementa minus perfecta esse quam mista, quia sunt eorum materia. Deindè inter generabilia perfectissimum esse hominem, quia ad nullum generabile supra se vt materia ordinatur: & demum alia media inter hominem, materiā, & elementa, se habere medio modo: quanto enim ad plura generabilia super se ordinantur, tanto magis materialia sunt; & cœteris paribus, minus perfecta: quanto autem ad pauciora, tanto magis participare de actu, & videri nobiliora: & sic proportionaliter posse aliquem discurrere, de intelligentijs.

Sed tamen circa primum verū est perfectionem rerum sumi posse à posteriori ex diuersitate illa operationum; nihilominus explicari debet, qualis sit excessus vnius rei supra aliam in ipsis operationibus: nam vel is consistit in maiori nobilitate, seù perfectione ipsarum operationum, vel in pluralitate, ac maiori diuersitate: si primum, ergo transfertur difficultas à perfectione essentiæ ad perfectionem operationum, & videri debet, quomodo vna operatio possit esse perfectior alia, & in quo consistat hìc excessus; si dicas alterum, declarari debet, quomodo vniuersaliter vna res potens in plures, ac magis diuersas operationes, sit perfectior alia non ad potente. Circa secundum verò ratione à priori, licet re vera, q sunt potentialiora sint minus p fecta actualioribus; sicut etiam la media, quæ vt materia ad pl supra se ordinantur, sint cęt paribus, minus perfecta, quæ v ad pauciora, sint perfectiora; ta innumeræ res sunt, quarum vr est perfectior essentialiter alia, semper, & vniuersaliter app quo modo vna sit actualior, al potentialior; & vna ordinetur t quam materia ad plura supra s alia verò ad pauciora; vt con in tanta multitudine, ac diuers te specierum brutorum, & lapi & hinc etiam patet, insufficier explicari ab alijs dictum exce per hoc, quod vna creatura m accedat ad Deum participa magis rationem formalē alic perfectionis diuinę: nam & ad debet explicari, quænam sit perfectio diuina: & insuper v Magis in participando sum quasi extensiue scilicet per ha re, seù participare plures pe ctiones, & hos iam satis impu tum est, quia non potest esse uersaliter verum: vel stat int ue, ita vt creatura perfectior intensiue participet de vna p ctione diuina habendo plures dus illius participatiue, quàm & hoc etiam supponit, sing perfectiones simpliciter in cre ris habere suos gradus, qui s nantur actu distincti, supra refecti sunt; si solùm virtute,

æqu

æquiualenter, iam sequitur inæqualitatē in pesectionibus creaturarum non solùm haberi per differentias cōstitutiuas ipsarum, sed etiam per rationes ipsas superiores, aùt genericas, nempè per rationem substantiæ, per esse viuens, per esse cognoscens, &c. quod vniuersaliter falsum, aùt saltèm valdè dubium est.

CAPVT VI.

Notanda pro dubij solutione.

PRo resolutione nato primo, hic agi de excessu in perfectione, non quidem pure morali sed entitatiua, intrinseca, & physica vnius naturæ, seù essentiæ creatæ supra aliam, quæ tamen sæpè completur per existimationem, aùt valorem moralem rationabilē omnium sapientum, aùt multorū. Hæc autem perfectio non est nisi ipsa bonitas intrinseca, & entitatiua rei, secundum quam ipsa est bona, non quidem respectiuè, seù sub relatione appetibilitatis, & conuenientiæ ad alterum, sed absolutè, & intrinsece, & in se ipsa intransitiue; & patet hoc ex eo, quia in tantum res dicitur hoc modo bona in se absolutè, in quātum ipsa est habens in se omnia, quæ sunt ei debita, & conuenientia secundum propriam naturam, quicquid sit de appetibilitate, & conuenientia ad alterum: & profecto hoc ipsum importat ipsa intrinseca, & entitatiua perfectio rei, seù rem esse intrinsece in sua entitate perfectam, tum quia non apparet per quid aliud possit hoc melius importari; tum quia perfectio entitatiua rei nō videtur esse aliud, quàm intrinsecus valor, ac pretium eius, ac proindè bonitas intrinseca eiusdem; Tum quia ipsa nominis ethimologia hoc ostendit; perfectum enim idem est ac consummate factum ex S.Th. 1. part. q. 4. art. 1. quod quidem proprie dicitur solùm de rebus factis, seù creatis: tunc enim in his aliquid dicitur perfectum, quando ita reductum est ad actum, vt omnia habeat, quæ sunt debita, ac conuenientia eius naturæ. & indè trāslatum est vocabulum ad omne id, quod est in actu habens omnia, quæ naturæ talis rei accōmodata sunt, siuè illud sit factum, siuè non factum. & hoc modo rationem boni, seù bonitatis explicāt communiter Doctores. vnde idem S. Thom. de verit. q. 8. a. 3. ad 11. ponens ex mente Aristotelis in rebus plures gradus perfectionis, omnes explicat per varios gradus boinitatis, & de veritate q. 21. a. 1. ad 8. [Dicendum, inquit, secundum Boetium, quod iustum, & sapiens, & alia huiusmodi sunt quædam specialia bona, cum sint quædam speciales perfectiones: bonum autem aliquid perfectum absolute designat] & 1. part. q. 5. a. 5. vnum quodque dicitur bonum, in

in quantum est perfectum] & Riccardus in 2. dist. 1. de 5. principali q. 2. [De ratione, inquit, bonitatis est ratio entitatis, & ratio perfectionis: bonitas enim est entitas sub ratione qua perfecta. & paulo post sicut bonum conuertitur cũ ente, ita aliqua ratio perfectionis inuenitur in omni ente, quia ratio perfectionis est habitio entitatis, quam res habere debet] Aureolus in 1. dist. 19. quæst. de veritate a. 2. proposit. 3. [de ratione boni, & perfecti est, quod includatur omne, quod est debitum] Henricus in sum. tom. 2. a. 42. q. 2. [esse est bonitas, & perfectio essendi est bonitas essendi] Molina 1. part. q. 5. disput. vn. ait [in omnibus entitatiua eorum perfectio, atque eorundem bonitas idem prorsùs sunt] Tanta ergo est bonitas cuiusque rei, quãta est latitudo quoad gradus valoris essentialis entitatis, qua perficitur. verum est tamen, perfectionem posse aliquo modo distingui per rationem à bonitate, quia primo saltèm aspectu importat aliquid paulo expressius, quod non sic importat bonitas: tunc enim res dicitur bona bonitate absoluta, quando habet ea, quæ ipsi sunt debita: dicitur verò perfecta, quãdo ita illa habet, vt nihil eorum ipsi desit; aùt habet ea meliori, & conuenientiori modo, & cum quadam sufficientia: proptèr quod perfectio entitatiua cum est totalis, vocatur ab aliquibus entitatiua integritas. & Henric. loc. cit. art. 44. q. 2. [perfectum addit super

rationem boni simpliciter acc
ti rationem collectionis, & c
summationis in bonitate] qua
bonũ absolutè dictum nõ expli
suo nomine, & hinc est, quod p
fectio potest cadere etiam sup
ipsam bonitatem. & ideò S. T
in 2. d. 15. q. 3. a. 3. loquens de b
nitate Dei, ait [quãuis bonitas I
manifestetur in hoc quod e
communicauit per creationem
bus, tamen perfectio boni
ostenditur in hoc, quod rebus
ditis Deus non eget, sed in se i
sufficientiam habet]

Noto secundo ex Caietan
part. q. 4. a. 1. in quærendo an
quid sit perfectum, non quæri
habeat omnes perfectiones,
determinate, siuè indeterminat
sed significare modũ essendi o
mũ secundũ quãcunq; rationẽ
malẽ extenso tamẽ iã ab vsu vo
lo, perfectionẽ supponere pro t
aùt ratione formali actuante
quid, vt patet cum dicimus, qu
sapientia est perfectio, &c. &
dicit Bannes ibidem perfectio
scilicet sumi dupliciter [primo
quãlibet forma quomodoli
actuante rem ipsam, & sic dici
perfecta sapientia, virtus, & all
do: secundo, vt significat optim
modum essendi, & optimum st
rei, aùt formę cuiuslibet: & sic
pientia dicitur perfecta, quan
est in optimo statu, & modo se
bendi] Atque hinc fit, vt nõ sol
dicatur rei perfectio, ipsa cõlu
mata, ac completa, & adæqua
rei bonitas, sed etiam singulæ e
ra-

rationes formales, & partes, seù quasi partes, dici possint bonitates ac perfectiones eiusdem, nempè inadequatæ. sunt autem perfectiones aliquæ accidentales aliquæ essentiales, de quibus hic præcipuè agitur. nec perfectiones essentiales addunt aliquid à parte rei supra essentiam, sicut bonitas entitatiua, vt probatur in Metaphysicis, sed est ipsamet essentia. Differt tamen ab ea secundum rationem, vt aduertit Soncinas 10. metaphys. q. 4. dicen. [non esse aliud nobilitatem formę, quam ipsa forma, loquendo de nobilitate essentiali; eius enim nobilitas est eius entitas: differunt tamē ratione entitas, & nobilita] & Mayronis in 1. dist. 13. q. 1. loquens de perfectione essentiali rerum, quā vocat quantitatem, nimirum virtutis, seù perfectionalem, dicit [in creaturis certum esse quod quidditas aliqua præcedit ordine naturæ quantitatem. Anima enim præcedit suam quantitatem: sic sequitur quod in illo signo non erit anima perfectior corpore: & non est inconueniens illud quod sit dare signum, in quo nec sit perfectior, nec imperfectior, quia quidditatiue, nec est perfectior, nec imperfectior, sicut nec equinitas in primo signo est vna, vel plures] & ratio esse potest, quia perfectio, vt sic, in nulla re importat naturam, seù primam entitatem, sed modum eius, quia, vt notat Curiel 1. 2. q. 110. a. 3. dub. 2. [semper se habet, vt qualitas modalis respectu rei, cui tribuitur. Vasquez etiam 1. par. q. 5. a. 2. dist. 23. cap. 7. ait [de qualibet re nos prius cognoscere entitatem illius quàm id, quod per modum affectionis, & proprietatis de ipsa concipimus, qualis est ratio boni & perfecti] Dicitur ergo perfectio essentialis, in quantum se habet vt consequens; seù concomitans essentiam. Porrò sicut creaturæ; ita & earum perfectiones sunt participationes quędam perfectionum diuinarum: Hæ autem triplicis rationis sunt; quędam enim abstractè in sua ratione spectatæ, præcisiue se habent ad creatum, & increatum, vt sunt esse, ratio substantiæ, viuere, intelligere, & similes: & hæ etiam modo connaturali, substātijs creatis per sui participationem sunt communicabiles Aliæ sunt, quæ considératę in sua formali ratione, inuoluunt aliquid proprium Dei, ipsique addictum, quæ proindè sunt omninò creaturis omnibus incommunicabiles tàm modo connaturali, quàm supernaturali, vt esse ens à se, esse simpliciter infinitum in ratione entis, esse ens per essentiam, esse actum purum, esse incomprehensibile, & similia. Aliæ demum sūt, quæ in sua ratione spectatæ important aliquid soli Deo connaturale, & sunt incommunicabiles substantijs creatis modo connaturali; communicabiles verò modo supernaturali per sui participationem, quales sunt gradus intellectiuus Dei in se ipso intuitiuè, lumen

men gloriæ, visio beata, charitas esse gratum, seù amabile Deo amore charitatis, esse naturam diuini suppositi modo substantiali, qui communicabilis est substātiæ createç per vnionem hypostaticā, &c. & perfectiones quidem primi generis sūt analogice communes Deo, & creaturis, & dicūtur perfectiones simpliciter, sicut perfectiones propriæ creaturarum dicuntur perfectiones secundum quid; quas omnes iam supra dictū est varie à Doctoribus explicari & ambæ perfectiones habent inter se latitudinem: sicut enim inter perfectiones secundum quid, vna est maior, alia minor, vt discursiuū rugibile, hinnibile, &c. Ita etiam inter perfectiones simpliciter, vna est maior, alia verò minor, vel secundum rem, vel secundum nostrum modum concipiendi, iuxta varias rerum naturas. Vndè etiam in Deo hoc notari solet. nam Sanctus August. 15. de Trinit. cap. 5. postquam dixit Deum esse viuentem, sapientem, potētem, speciosū [sapiens, inquit, eligitur, quia melior est sapiens, quàm fortis Sapien. 6.] & Riccard. vbi supra[rationem bonitatis nobiliorē dicit esse quàm aliquam aliam, quia de ratione bonitatis est ratio entitatis, & ratio perfectionis: deindè bonitatem præfert veritati [quia ratio bonitatis est bona per se ipsam: ratio autem veritatis non est bona, nisi per rationem bonitatis] & Suarez de gratia par. 3. lib. 6. c. 13. [Quamuis, inquit, in Deo, sicut

in re, omnia sunt idem, ita e
sint æque perfecta? nihilom
secundum rationem, vnum a
butum est excellentius alio, &
intellectus concipitur, vt altiu
tributum, quàm voluntas. &
desma de perfectione diuin. q
a. 14. ait [esse in Deo est excel
tior, & actualior ratio, quàm v
re, & intelligere: imò est supre
& actualissima ratio omnium
paulo post, viuere, perfectior,
actualior ratio est, quàm intell
re, & ibid. a. 10. dicit ration
vniuersaliorem, & magis abs
ctam abstractione formali, sim
citer esse perfectiorem] quod
omnes admittunt. sic etiam e
intellectiuum est quid nostro
do concipiendi excellentius,
esse actiuum, seù efficiens, qu
per hoc Deus est operatiuu
extra, per illud est producti
ad intra. Mayronus tamen in
34. q. 1. sentit, vnam perfection
simpliciter, non esse meliorem
tera, etiam quando sunt diuers
tionis, sicut intellectus, & vol
tas, alioquin si hæ perfectiones
cundum suas rationes form
se excederent, sic etiam forent
excedentes in Deo, quod dicit
falsum. sed certe id foret fals
si excessus poneretur in re ips
seù secundum rem in Deo, no
autem si ponatur solùm secun
nostrum modum intelligendi.

Noto tertio cum Bannes 1. p
q. 4. art. 2. simpliciter, & absolu
loquendo, nullam essentiam cr
turæ seclusa actualitate essend

eſſe bonam abſolutè, quia omnis eſſentia creaturæ, prout diſtinguitur ab eſſe, habet rationem potentiæ, & non actus, ex S. Thom. 1. part. q. 4. a. 1. ad 3. ergo non eſt bona, nec bonitas abſolute, ſed tantũ in potentia. & 1. con. gen. cap. 3. [eſſe, inquit, actu, boni rationem conſtituit] & de verit. q. 21. a. 5. loquens de bonitate creata, docet, [eſſentialem bonitatem non attendi ſecundũ conſiderationẽ naturæ abſolutã, ſed ſecundũ eſſe ipſius: humanitas enim non habet rationem boni, vel bonitatis, niſi in quãtum eſſe habet] & paulo inferius dicit [creaturam non ſolùm eſſe à Deo ſecundum eſſentiam ſuã, ſed ſecundum eſſe ſuum in quo præcipuè conſiſtit ratio bonitatis ſubſtantialis, &c.] & proportionaliter ad hoc q. citata a. 2. docet [ſicut materia prima eſt ens in potentia, & non in actu, ita eſſe perfectam in potentia, & non in actu, bonam in potentia, & non in actu] & conformiter ad hæc diſcurrit opuſculo 15. cap. 6. de ente in potentia, & in actu, dicẽs, [comparatur materia ad formam, ſicut potentia ad actum. manifeſtum, eſt autem, quòd potentia eſt minus ens, quã actus; non enim dicitur potentia ens, niſi ſecundum ordinem ad actum: vndè non ſimpliciter dicimus eſſe, quæ ſunt in potentia, ſed ſolùm, quæ ſunt in actu] & ſic etiã Henricus 1. part. ſum. dicit [verum eſt quod à quolibet modo entis res dicitur aliquo modo eſſe: eſſe tamen ſimpliciter, & abſolute non dicitur res aliqua, niſi ab eo, quò eſt ens exiſtens in effectu in rerũ natura] Mayronus tamen in prologo q. 10. circa finem contra ſentit, [licet, inquiens, de ente in potẽtia dicatur, quod non ſit ens ſimpliciter, & de ente in actu, quod ſit ens ſimpliciter, ſecũdum quod ly eſſe dicit ſecundum adiacens: tamen alio modo accipiendo, eſſe prout dicit tertium adiacens ſecũdum quod eſt copula reſpectu entis, vel ſubſtantiæ, vel aliorum prædicatorum eſſentialium, benè dico, quod ens in potentia eſt ſimpliciter ens, & ſimpliciter ſubſtantia, ſicut ens in actu: & iſta eſt vera, homo in potentia eſt ſimpliciter homo: & iſta falſa, homo in potentia, ſecundum quid eſt homo, & ſic de alijs. verum quia eſſe ſeu ens de ſecundo adiacente, ſeu participialiter ſumptũ, quod eſt ipſa exiſtentia in actu, ſpeciali modo reſpicit eſſentiam, ſeu gradum eſſentię, vt ſic, quia ſe habet vt complementũ, & actualitas, & integritas eius ex Caiet. mox citando, cõplẽs, & actuãs primo, & immediate ipſã, proptèr quod ambo continentur intra latitudinem eſſendi alios verò gradus, puta ſubſtantiã, humanitatem, & ſimiles, cõplet, & actuat, ſeu conſtituit in actu, quaſi ſecundariò, & mediate, in quantũ ſcilicet tales gradus imbibunt intra ſe rationem formalem eſſentię; ideò ens, ſeu eſſe, vt ſic, ſi ſolùm ſit in potentia, & non in actu exiſtẽs, nec de ſecundo adiacente, quamuis ſit de tertio adiacente, & poſſit di-

dici, ens est ens; tamen non est ens simpliciter; sed tantum secundum quid; & incomplete ex defectu complementi, & actualitatis sibi primo, & immediate correspondentis intra latitudinem essendi; secus est de substantia, & homine sumptis in potentia, & absque esse secundi adiacentis, seù absque existentia in actu; sed sub tertio adiacente; potest enim dici, substantia in potentia, est simpliciter substātia, & homo in potentia, est simpliciter homo; quia in his attendūtur sola prædicata quidditatiua, ad quæ, vt talia, non habet esse existentię dictum primum specialem respectum, qui sit intra eādem latitudinem essendi. posset etiam quis dicere substantiam in potentia non esse substantiam, nec hominem in potentia esse hominem, sicut Caietan. lib. 3. de anima tex. 15. dixit [intelligibile in potentia vt dicitur de sensibili, non est intelligibile, sicut nec homo in potentia est homo.] Atque hinc reijcitur quod dicit Vasquez 1. part. disput. 24. a. 3. cap. 2. nempè [rerū essentias esse per se ipsas bonas simpliciter, quia simpliciter entia dicūtur] re. n. vera præter dicta negari nō potest, res cū sunt in puro statu essentiæ dici esse in statu possibilitatis absolutè, & simpliciter, & plus de suo substantiali esse habere, quando actu existunt; & in hoc statu magis opponi non entibus, seù chimæris; ergo in hoc statu vere sunt simpliciter entia, ac bona; in altero verò solū secundū quid. Nec verò ad hoc refert, an esse, seù actus essendi, seù existentia sit potior ratio, ac forma constituens res vt sint bonæ, ac perfectæ in actu, vt putant multi Thomistæ, dicentes existentiam esse perfectiorem essentiæ: an verò solùm sit conditio requisita, vt re sint in actu entitatiuo, ac proind sint bonæ, & perfectæ in actu, v volunt alij, inter quos Molina 1 part q. 6. disp. 2. qui putant, essentiam esse perfectiorem, & melio rem existentia, atque adeò re creatas quando existunt esse bo nas non solùm bonitate existētia sed etiam, imò multo magis, bon tate essentiæ. & quod dictum e de bono, seù bonitate rerum, di debet de perfectione. Vndè rec Caietanus 1. part. q. 6. a. 3. ten [rem posse dici dupliciter perf ctam, scilicet simpliciter, & secu dum quid. & quandiù res non e in rerum natura, quodque esse h beat, siuè obiectiuum, siuè quidd tatiuum, siuè in causa, non dicit esse perfecta simpliciter, sed sec dum quid, idest in tali esse. secu dum autem esse in rerum natur dicitur perfecta esse simplicit quoad perfectionem substantial & propterea esse est de integrit te primæ perfectionis cuiusque rei, non vt pars quidditatis, sed actualitas eiusdem] Nec dica res secundum suas essentias cor paratas, graduari simpliciter perfectionibus essentialibus, pr ptèr quod aqua est essentialit perfectior, quam terra, & aer q aqua.

aqua; & ignis, quàm aer, concedit enim idem auctor res graduari ex suis essentijs in perfectionē simpliciter, non completiue, sed radicaliter: vel simpliciter graduari ex suis essentijs, non præscindēdo ab esse earum, imò includendo ordines ad ipsum. & hinc

Noto quarto ipsas rerum essentias secundum se esse talis conditionis, vt aliquæ ex se habeant maiorem aliquam propinquitatem ad actualitatem existentiæ, quàm aliæ. nam essentiæ, & naturæ formarum substantialium, siuè sint partes essentiales, siuè tota, adhùc in statu essentiæ dicuntur actus, vtpotè suo modo principia actualitatis existentiæ, saltèm completę: secus verò essentiæ materiarum primarum; hę enim dicuntur purę potentiæ. & in hoc sensu potest intelligi quod dicit Ledesma de perfect. dict. q. 4. a. 8. circa secundā conclusionem, videlicet, [quod licet omnes creaturæ, quantumuis actuales, sint potentia respectu actus essendi, qui est vltima actualitas, tamen vna creatura propinquior est actui essēdi, quàm alia. Nam quanuis creaturæ, quæ non sunt pura potentia, vt materia prima, sint potentiæ respectu actus essendi, habent tamen in sua essentia aptitudinem ratione actualitatis, quam includunt, ad actum essendi, &c. & paulo inferius, & quia creaturæ perfectiores habent magis admistum actualitatis, indè est quod habent maiorem aptitudinem ad actum essendi, & consequenter maiorem etiam propinquitatem] ob quam etiam ratione m Caietanus de ente, & ess. cap. 6. q. 14. §. ad profundiorem, dicit [quia vnumquodque quanto est propinquius actualissimo, tanto est actualius, & quanto remotius ab illo, tanto est potentialius, idcirco inter prædicata quidditatiua talis est ordo, quod propinquius ipsi esse, est actualius, rēmotius verò potentialius] & ob hoc etiam S. Thom. de poten. q. 7. art. 2. ad 9. dixit, [esse est actualius omnium actuum, & propter hoc est perfectio omniū perfectionū] Atque hinc etiam fit, vt aliæ res actuatę, aùt actuabiles ab existentia, & ipsi similes in actuando, dicantur etiam actualitates; vnde dici solet in ratione intelligentis, vltimam actualitatem esse intelligere; & in ratione viuētis, vltimam actualitatem, esse actum vitalem, ob quod Aristot. dixit Viuere in viuentibus est esse, idest vltima actualitas secundum aliquos. Actio quoque, seù causalitas agētis dicitur à multis actualitas agētis in eo, quod agēs est, siuè actuet ipsum secundum rem, siue solùm secundum modum significandi; & sic in diuersis rerum generibus diuersæ dantur actualitates. quò etiam fit, vt ipsæ etiam formales rationes, seù formalitates inadęquatæ, spectantes ad vnam, & eandem rem, vt ordine quodam actuatæ, aùt actuabiles per existētiam, & actuatiuę, sint actualitates quędam, ac per hoc singulæ dici pos-

possunt perfectiones, nimirum inadæquatæ. vndè Herueus q. 18. de vnitate formar. ad 38. dixit [genus, vel differentiam non esse formas, sed dicere diuersas perfectiones formales] & aliquæ quidem sunt actualitates simpliciter, aliquæ secundum quid, sicut & perfectiones. formæ quoque dicuntur actus ex Arist. 9. metaph. tex. 17. & S. Thom. q. vnica de spirit. creatur. a. 1. ad 1. & ratio est, quia actus est id, quo aliquid est; per formam verò res sunt. verùm est, tamen, quòd aduertit Gillius lib. 2. Theolog. tract. 1. de essentia Dei cap. 11. perfectam rationem actus consistere in ipso esse; & formas in abstracto significatas, non importare esse; ex Auicenna enim 5. metaph. equinitas e.g. est tantùm equinitas, abstrahēs ab esse, & nō esse, & omni eo, quod nō est intrinsece cū ratione eius formali; & ideò quamuis formæ ad constituta per eas, habeant rationem actus; simpliciter tamen in se propriè, & complete non sunt actus, quia nō sunt ipsū esse, in quo præcipuè cōsistit ratio actus; sunt ergo actus inchoatiuè. Atque hinc habes, cum S. Thom. 1. p. q. 4. a. 1. dicit [sicut materia, in quantum huiusmodi est in potentia, ita agens in quantum huiusmodi, esse actu: & secundum hoc dicitur aliquid esse perfectum, secundum quod est actu] intelligi debere non modo de actu existentiæ, sed etiam de alio genere actus, seu actualitatis, formæ, ita vt intrinseca mensura actiuitatis, & perfectionis sit iusmodi actus, & actualitas. H tamen non sequitur, omne hab plures actualitates qualescun esse simpliciter actualius o habente pauciores, alioquin geli inferiores, qui secūdū S. habent plures species intellig les, & egent pluribus operati bus, quàm superiores, essent actualiores; imò etiam ijs actualiores forent homines, & bruta habentia plures poten cognitiuas, quæ certè sunt co omnes. intelligitur ergo de bente plures actualitates sim citer, aut sub modo vnitiori, simpliciori; à potentialitati elongatiori.

Notò vltimo, aliquos dis guere perfectionem rei à prin palitate dignitate, nobilitate de Mayronius in 1. d. 34. q. 1. art dicit ordinem eminentiæ inter sentias creaturarum [aliquan attendi secundum maiorem p fectionem, aliquandò secundu maiorem, vel minorem princi litatem: quicquid autem sit i alijs, in relationibus non esse cundum perfectionem, sed sec dum principalitatem] & ibide a. 9. de relationibus agens de vn ne verbi, quā sētit esse respectu dicit [vnam relationem, vel vn respectum posse aliam excede in dignitate, sed non in perfect ne; licet ergo hęc vnio dignio alijs per tempus ortis; non tam est perfectior, quia non est per ctio] & in 3. d. 1. q. 2 tenere, inqu ar-

arcem eminētiæ dicit perfectionē, & tale est absolutum: sed tenere arcem dignitatis, non semper dicit perfectionem: sic vnio incarnationis tenet arcem dignitatis] & sic explicat dictum Bernardi dicentis, illam vnionem tenere arcē inter omnes alias vnionēs. & in 1. dist. 2. q. 5. tenet [in genere relationis esse excessum sine quantitate virtutis, quia relatio, nec est finita, nec infinita, nullam enim habet quantitatē, sed solùm esse excessum in eis secundum principale] & in 3. dist. 3. q. 10. ad 3. quærit an tertia entitas scilicet humanitas, vt præscindit, & differt realiter ab anima sit nobilior anima, & respondet sic [Non est inconueniens, quod sit nobilior: tamē anima erit perfectior: eo quod anima aliquid continet, quod est perfectio simpliciter, scilicet intellectū, & voluntatem] Alij tamen, quantum vidi communiter vtuntur his vocibus indifferenter pro eodem nisi quod hæc vox dignitas, videtur clarius connotare moralem existimabilitatem rei extrinsecám, & in ordine ad nos: imò ipsemet Mayronus quodlib. q. 10. initio, dicit humanitatem ex materia, & forma resultantem, esse vtraque perfectiorem: Tum quia in essentialiter ordinatis eiusdem generis semper posterius est perfectius: Tum quia materia, & forma sunt propter compositum, sicut materia propter formam. Porrò quoad gradus perfectionis possumus cōsiderare res, aùt comparando vnū ordinem cum alio, vt spiritualem cum corporeo, conferendo vnum genus subalternum cum alio; aùt vnam speciem cum alia specie, aùt substantiam cum accidente; aùt supernaturalia cum naturalibus. & potest quæri, quæ nam in excessu perfectionis inter res sit mēsura intrinseca, quæ sit extrinseca, & exemplaris secundum se, quæ verò sit extrinseca in ordine ad nos.

CAPVT VII.

Explicatur ratio ex qua sumitur externa perfectio inter res creatas.

Dico itaque primò substantias ordinis spiritualis esse absolute intrinsece perfectiores substantijs corporeis per hoc, quod illæ habent in se intrinsece plures perfectiones simpliciter. probatur primo, quia re verà illæ substantiæ sunt intrinsece entia, sunt substantiæ, seù res per se existentes, seù in hæsiuè independentes, sunt actus sunt spiritus, sunt viuētes, sunt cognoscitiuę, sunt intellectiuæ, vt nunc suppono, qui gradus communiter dicuntur perfectiones simpliciter saltèm ratione inter se distinctæ: substantiæ verò corporeæ, vt patet non habent tot gradus perfectionum; nec aliquid eminētius, vt clarum est, ergo illæ sunt

sunt perfectiores absolute; quia tunc benè dici possunt aliquæ res absolutè perfectiores alijs, quando spectatę in sua essentia omnibus pensatis includunt plures perfectiones tales, quæ in sua ratione formali nullam inuoluunt imperfectionem, nec in illis alijs apparet aliquid eminentius, ergo etiam per hoc ipsum, seù per hanc ipsam inclusionem sunt absolute perfectiores: est enim per se ipsam sufficiens ratio maioris perfectionis omnibus attentis, vt ex terminis ipsis constat. Secundo pluralitas dictarum perfectionum ponit per se ipsam, maiorē imitationem primi entis, ac primi boni seù perfecti per plures similitudines, bonitates, ac participationes ipsius; ergo res in se includens plures ex his perfectionibus est ob hoc ipsum absolute perfectior alijs: quia hoc ipso magis, seù in pluribus accedit ad diuinas perfectiones. Antecedens clarum est, quia omnes perfectiones in creaturis repertæ, sunt similitudines imitationes, & participationes primi entis, ac sūmi boni. vndè Dion. cap. 5. de diu. nom. loquens de Deo, ait [oportet, ea, quæ maioribus donis ex eo participant, & meliora esse, & reliquis excellere] in maioribus autem includuntur etiam plura, vt patet consideranti in casu nostro. & August. lib. 2. de liber. arbit. agens de esse, viuere intelligere [Non dubito, inquit, id excellentius iudicare, cui omnia insunt] & Albert. lib. 1. de intellectu tract. 1. cap. 3. [Inter... satā, inquit, est nobili prim... pinquius, quod est causa, ... pluribus bonitatibus, & nob... bus appropinquat] deindè ... intellectiuum pluribus bon... bus, & nobilitatibus appr... quare primo cognitiuo, & p... cto. & S. Thom. q. 20. de ve... ad 3. sic ait [Participantibus i... creto, quanto aliquid est ... compositum, non dico com... tione materiali, sed per recept... plurium participationum, ... in pluribus Deo assimilatur]

Tertio probatur quia vniue... ter inter substantias illa est a... lute perfectior, quæ est intrin... actualior, sed substantia spirit... per hoc, quod habet plures p... ctiones simpliciter, est intrin... actualior; ergo, &c. Maior vid... satis recepta, vndè S. Thom. ... sim perfectionem explicat ... actualitatem; & maiorem pe... ctionem sumit à maiori actua... tate. nā quodlibet 3. q. 3. a. 7. [... to, inquit, natura intellectuali... superior, tanto est magis actu... vtpotè Deo similior, qui est ac... purus] & 1. part. q. 4. a. 1. [secūd... hoc dicitur aliquid esse perfect... secundum quod est actu] & o... scul. 3. cap. 74. [quia vnumqu... que in tantum nobile, & perfe... est, in quantum ad diuinam sim... tudinem accedit. Deus autem ... actus purus absque potentiæ p... mistione necesse est, ea, quę s... suprema in entibus, magis ess... actu, & minus de potentia hab...

quæ

quæ autem inferiora sunt, magis potentia esse] & 1.con. gent. cap. 28. ait, [vnumquodque perfectū est, in quantum est actus: imperfectum verò, secundum quod est in potentia, cum priuatione actus] & & Ferrariens.ibi [Imperfectio, ait, non conuenit potentiæ, nisi ratione priuationis, priuatio enim imperfectio quædam est, sicut forma est perfectio,] & idem S. Tho.cap. 39. ait [Perfectum est aliquid, secundum quod est actu; ergo imperfectum erit secundum quod est deficiens ab actu] & Aegid. in in 2.dist. 17.q.1.a. 1.dicit [semper actus videtur habere rationem perfectionis, & formæ, potentia imperfectionis, & materiæ, accipiendo materiam large pro quocunque materiali] &c. & d. 3. part.1.q.2.num.5. vult [esse differenti à inter entia, vel p plus habere deactualitate, vel potentialitate vel per magis, & minus distare ab ente primo] ratio autem à priori affertur clarius à Caietan.lib. 1. de anima tex. 7. §. circa calcem vbi [Radix, inquit, omnis perfectionis actus est: radix verò imperfectionis est potentia: quia quicquid mali, aùt imperfectionis alicui contingit, non nisi proptèr potentiam quæ in eo est, euenire potest: secūdum enim, quod actu quis habet, detrimentum nullum patitur, in quantum huiusmodi : sed accidit vel priuari re habita, vel non habere habendam proptèr naturam potentię. Vndè omnia entia, quia habent aliquid perfectionis, & aliquid imperfectionis, dicuntur composita ex actu, & potentia excepto Deo] & demum concludit [actum, & potentiam opponi priuatiue, vt radicem perfectionis, & imperfectionis, imò vt radices habitus, & priuationis, scilicet esse & non esse possibilis alicui: quantum enim res habet de actu, tantū habet de esse, & quantum habet de potentia, tantum de non esse vt patet] Minor verò scilicet quod substantia spiritualis sit ob plures illas perfectiones actualior, ostenditur. Tum quia inter substantias tunc vna est actualior, cum est remotior à materia, & potētialitatibus, & propinquior actui puro, vt notum est: substantia autem spiritualis, saltèm ratione spiritualitatis, & intellectiuitatis immediatè præsupponentis immaterialitatē, est remotior à materia, & potentialitatibus, & propinquior actui puro, quā substātia corporea; ergo, &c. Tum quia singuli illi gradus, qui dicuntur perfectiones simpliciter, sunt quædam actualitates; vt dictum est; nec enim important aùt includunt in se veram potentialitatem, etiam per rationem cū fundamento in re, cum sint etiam in Deo considerataæ abstracte in sua ratione formali; ergo substantia spiritualis habens plures illas perfectiones, habet etiam intrinsece plures actualitates simpliciter; ergo per hanc ipsam talium rationum pluralitatem, est intrinsece actualior, est enim ipsa ex suo cōceptu sufficiens ratio, cùr aliquid

sit actualius, idque non merè extensiue, sed intensiue, non quidem quoad gradus intensionis, secundum quos qualitas dicitur intensa; sed quoad maiorem valorem, & æstimabilitatem, ac pretium essentiale.

Obijces primo quia homo est substãtia corporea, & minus perfectus, quam Angelus; & tamen homo videtur habere plures perfectiones simpliciter; est enim ens substantia, actus, ac spiritus quoad animam, viuens, intellectiuus, & cognitiuus per plures potentias cognitiuas, nempè sensus, potentia autem cognitiua, vt sic, est perfectio simpliciter, cum sit in Deo; ergo, &c.

Respondeo negò antecedens Angelus enim habet plures perfectiones simpliciter præter dictas est enim actus, ac spiritus secundum se totum, non sic homo: est actus absolute, & totalis excludẽs respectum ad corpus; non sic homo, aùt anima: est non solùm intellectiuus, sed etiam intellectiuus absque discursu, & absque compositione, quæ sunt perfectiones simpliciter, cum sint in Deo; non sic vero homo, aùt anima. Nec potentiæ sensitiuæ sunt perfectiones simpliciter, sed secundum quid, ac diminutè. & licet potentia cognitiua, vt sic, sit perfectio simpliciter; tamen hoc habet, quia est saluabilis in potentia cognitiua intellectiua tanquam in specie peculiari cognitiui, quæ adhuc est maxima perfectio simpliciter; non sic verò se habet in potentia cognit sensitiua; vndè multiplicatio sitiuitatis non multiplicat p ctionem simpliciter. Nec eodem modo, non posse sa esse cognitiuum, aùt esse int ctiuum, aùt aliam perfection simpliciter, in creaturis, quia creaturum violat illam simpli tem: est enim dispar ratio, q perfectio simpliciter, non re creaturam tanquam speciem fectionis simpliciter, seù tanq aliam subordinatam perfect simpliciter, sed tanquam subie seù quasi subiectum, quod pr dè saluat, ac relinquit talem pe ctionem in sua natura inuiolat & per accidens iungitur ipsi. hæc adde intellectum æquiua eminenter, & per excessum p tijs sensitiuis, est enim aptus tiori modo cognoscere quic possunt cognoscere tales poter ac proindè intellectus est virtu quasi plures perfectiones sim citer per inadæquatos concep & ob hoc ait S. Thom. de ver. 9.a.4 ad 12. [secundum Augu visus, & auditus solummodo terius differunt, interius autem idem in mente, quia in mente est aliud videre, & audire, sed sensu exteriori tantum; Vndè a Angelum, qui sola mente vi non differt audire, & videre.] conformiter ad hoc Durand. 2. dist. 3. q. 7. ait [vnica intelle Angeli, quæ est intellectiua cacior est, quam nostra du cognitio sensitiua videlicet, &

rel

tellectiua.

Obijc. secundo quia omne ens spirituale est absolute perfectius omni ente corporeo; & tamen nō omne ens spirituale habet plures perfectiones simpliciter, quàm omne ens corporeum, vt patet in accidentibus spiritualibus comparatis ad substantias corporeas; ergo substantiæ spirituales non sunt ob pluralitaté dictarum perfectionum absolute corporeis perfectiores. Antecedens probatur, quia ordo spiritualis est ex genere suo altior, & perfectior ordine corporeo; ergo omne ens spirituale est perfectius omni ente corporeo, quia omnes species contentæ sub genere, aùt quasi genere perfectioris necessariò sunt perfectiores omnibus speciebus generis inferioris.

Respondeo primo nego antecedens quoad primam partem: nā saltèm aliqua accidentia spiritualia sunt non quidem magis, sed minus perfecta, quàm quæuis substantia corporea, præsertim viuens; & tales sunt relationes spirituales prædicamentales, motus locales, & vbicationes Angelorum, quis enim hoc negetꝰ & sic etiam esse videntur multa alia. Ad probationem dato antecedenti, nego consequentiam: neque.n.semper omnes species generis superioris sunt perfectiores omnibus speciebus inferioris, sed aliquando est oppositum: nam opinio, cum sit habitus intellectualis, est secundū multos species generis perfectioris, quàm iustitia, quæ est habitus voluntatis; & tamen iustitia secundum speciem est perfectior, quàm opinio: & charitas est perfectior fide, quæ est virtus intellectualis: & Cœlum secundum multos, est perfectius multis viuentibus, etiam si viuens in communi sit genus perfectius non viuente. Sat ergo est ad genus perfectius, quod præstantissima species eius sit perfectior præstantissima specie generis inferioris.

Respondeo secundò transeat antecedens quoad primam partē, & concedo quoad secundam, deindè nego consequentiam. quia pluralitas perfectionum simpliciter, est sufficiēs ratio maioris perfectionis absolutè ita, vt res habēs plures tales perfectiones, sit absolute perfectior re habente pauciores, saltèm cum sunt in eodem ordine naturali; non tamen dicta ploralitas est ratio præcisa, & adæquata semper talis maioritatis, vt infra.

Obijc. tertio quia sequitur, substantiam spiritualem esse absolute perfectiorem omni accidente, etiā supernaturali, atque adeò etiam gratia sanctificante, vtpotè non habente tot perfectiones simpliciter, nec tātā actualitatē: consequens autem in primis est contra S.Tho. qui in 4. dist. 49.q.1.a.2.q. 1. ad 5. dicit[gratiā licet in ratione accidentis sit minus perfecta, tamen quatenus ordinatur ad aliquid extra, idest ad perfectius vniendam animam cum Deo, esse

perfectiorem: quo etiam modo docet beatitudinem creatam, & gratiam, & huiusmodi esse aliquid nobilius natura animæ cui inhærent] & 1. 2. q. 110. a. 2. ad 2. dicit gratiam non excedere perfectionem substantiæ creatæ quantum ad modum essendi, quia gratia supposito, quod sit accidens, inhæret, substantia verò est per se, & perfectius est esse per se, quàm inhærere, & 1. 2. q. 113. art. 9. docet iustificationem impij, quia terminatur ad bonum æternum diuinæ participationis, esse maius opus, quantum ad magnitudinem termini, quàm creationem Cœli, & terræ, quæ terminatur ad bonũ naturæ mutabilis] & 1. 2. q. 23. a. 2. ad 3. [omne, inquit, accidens secundum suum esse, est inferius substantia, quia substantia est ens per se, accidens autem in alio: sed secundum rationem suæ speciei accidens quidem, quod causatur ex principijs subiecti, est indignius subiecto, sicut effectus causa: accidens autem, quod causatur ex participatione alicuius superioris naturæ, est dignius subiecto in quantum est similitudo superioris naturæ, sicut lux diaphano.] & hoc modo charitas est dignior anima, in quantum est participatio quædam Spiritus Sancti. & idem est de gratia: & ratio est, quia gratia appellatur simpliciter, & sine addito participatio diuinæ naturæ, & consortium ipsius; nulla verò alia natura creata quantũuis sit participatio diuinæ bonitatis, sic appellatur, vt patet ex Sanctorum, & Theologorum, 1. Petri 1. & ex eo, quia quate accipimus gratiam, dicimur re nerari in filios Dei, vndè gratia quodammodo ipsa natura di scilicet participata; ergo, &c.

Respondeo in sententia di tium gratiam, in ratione acci tis, & veluti materialiter, & se dum quid esse minus perfecta quàm substantia; absolute tam esse perfectiorem formaliter s dum suam speciem omni sub tia, negari debere consequenti benè enim potest vna substan ob pluralitatem perfectionu simpliciter, & maiorem actu tatem intelligi absolute perfec alia, quia sunt eiusdem ordinis turalis, & in substantia mi actuali nulla potest reperiri, assignari eminentior ratio, aùt dus; & idem etiam conting spectu accidentium naturaliu at non sic est in respectu ad a dentia supernaturalia, quia sunt diuersi, & altioris ordini pernaturalis, qui est super om naturam, ac naturalia; saltèm e in aliquo ex his reperiri potes quis gradus excellentior, ac nentior omni illa multitudine fectionum, & actualitate subs tiæ: qui gradus in dicta grati expressa, & maior participati similitudo, & consortium di naturæ, ob quod ea dicitur e ordinis diuini. & Ledesma de perfect. q. 4. a. 6. concl. 1. dicit[tiam esse veluti effectum vni

D.

Dei, non tamen omninò, & totaliter vniuocum. in sententia verò dicētium, substantiam, vt sic, & omnem substantiam, quia est ens simpliciter, & per se esse absolute perfectiorem omnibus accidentibus etiam supernaturalibus, etiam gratia, quæ est ens secūdum quid, & in alio, concedenda est consequentia; Nec S. Thom. locis citatis absolute præfert gratiam animæ vt notat Suarez de gratia part. 3. lib. 6. cap. 13. nec explicat quis excessus sit maior, neque absolute loquendo quæ sit entitas perfectior, gratia, vel anima. & Caietanus a. 3. citato [Charitatem inquit nobiliorem secūdum quid ponit, in quantum scilicet est altioris ordinis secundum rationem suæ speciei, quia scilicet est diuini ordinis, participatio enim est connaturalium soli Deo] Nec refert, quod gratia sit dicta Dei participatio, quia non est nisi accidentalis, & accidentaliter tantum est regeneratio hominū in filios Dei adoptiuos, & est tota per se ordinata vt quo ad substātiā spiritualem, se habentem vt quod. ob quā etiā rationē Toletanus in 1. d. 1. q. 1. a. 4. putat falsū, quod dilectio Dei meritoria sit simpliciter nobilior, quā substantia, & subdit [aliquid acceptatur à Deo sicut terminus, vel subiectum acceptationis: & sic creatura rationalis acceptatur ad æternam beatitudinem. Aliquid sicut medium: & sic omnis actus meritorius est Deo acceptus. Aliquid sicut præmium, vt beatitudo formalis: illud quod maximè acceptatur à Deo primo modo, est simpliciter nobilius eo, quod maximè acceptatur secundo, & tertio modo, quia creatura rationalis est simpliciter nobilior quocunque actu meritorio, & beatitudine sua formali] &. Alensis part. 3. q. 69. m. 2. a. 2. dixit gratiam creatā quoad quid, esse nobiliorem spiritu creato, & non simpliciter: in quantum enim comparatur ad animam, vt agens in eam, nobilior est: sed secundum quod comparatur ad animam velut dispositio ipsius, sic est ignobilior, & habet rationem ignobilioris, quia dispositio non est nobilior substantia, quā disponit, quia cedit in ipsam. quod etiam de charitate dixit Dionys. Carthusia. in 1. d. 17 q. 1. potius est id, quo placetur Deo, quam id, quod placet Deo: estque ordinata ad intellectualem essentiam potius, quam è contra: intellectualis quippè natura per charitatem placet Deo, & charitas est medium placendi. & in 2. d. 25. q. 1. [charitas, inquit, & gratia, quantum ad esse suum formale, quo rationalem perficiunt creaturam, sunt ea quodammodo præstantiores, non tamen simpliciter] & ob hoc etiam Scotus in 3. dist. 13. q. 4. §. si tertio modo. dixit [Totum genus substantiæ excedit totum genus qualitatis: nec est inconueniens, quod minima substāstantia in perfectione naturali excedat accidens quodcunque, licet aliquod accidens, vt in perfectio-

ne supernaturali, hoc est in coniũgendo obiecto supernaturali, excedat substantiam: tale enim accidens non dicitur ex se perfectum, sed ex hoc, quod coniũgit immediate cum obiecto perfecto] & in 4.dist.49.q.7.dixit, [substantia est magis ens quocunque accidente 7. metaph. tex. cap. 4. ergo essentia Angeli, vel animæ est simpliciter perfectius sua beatitudine inhærente, quæ est accidens] & S. Thom. de ente, & essentia agens de essentia vniuersaliter, [quia, inquit, absolute, & primo dicitur de substantijs, & posterius secundum quid de accidentibus, inde est; quod essentia propriè, & verè est in substantijs, sed in accidentibus quodammodo, & secundum entis] & in 1.dist.17.q.1.a.1. vbi etiã Capreol. [dicitur, inquit, simpliciter dignius esse, quod secundum suum esse est nobilius. & hoc modo anima Christi, & anima cuiuslibet iusti est nobilior, quàm charitas creata, quæ habet esse accidentis. sed secundum quid charitas est nobilior, quàm anima Christi: in quolibet enim genere actus est nobilior potentia, quantum ad illud genus] & dictæ opinioni de excessu substantiæ spiritualis supra gratiam fauere potest hęc noua ratio. quia natura creata, quæ intrinsece est apta, saltem remote, & fundamentaliter, ad esse verè, & realiter, ac substantialiter natura Dei per eleuationem, & vnionem hypostaticam, est absolute perfectior omni re, quæ non est sic apta: sed natura, seu substantia spiritualis est tali modo apt[a] vt suppono ex materia de incarn[a]tione; gratia verò non est res ta[lis] cum sit accidens; ergo natura, [seu] substantia spiritualis est absolu[te] perfectior gratia. Maior vide[tur] clara ex terminis ipsis: natur[a] enim creata taliter apta, ita pot[est] venire in consortium cum diui[na] & increata natura, vt simul cũ i[psa] possit esse connatura, vt sic dica[tur] vnius, & eiusdem Dei, seu diui[næ] personæ in vtraque subsistentis, sumpta in concreto quando completa, sit verus Deus: insu[per] natura talis recipit ex tali cons[or]tio, & vnione dignitatem, ac [no]bilitatem moralem infinitam, qua perfectione longè abest qu[æ]cunque alia res creata, quæ no[n] est tali modo apta; ergo, &c. N[on] refert, quod maior perfectio in res non videatur sumi ex ijs, q[uæ] conueniunt obedientialiter, & [per] eleuationem; id enim est verum cum eleuatio est ad genus cau[sæ] mere efficientis, vtpotè extrins[ece] pure. secus est, cum est in gene[re] formæ, aût quasi formæ, quia t[unc] natura concurrit vt forma, dan[s] se ipsam formaliter supposito sumenti, & eleuanti; vt est in re [no]stra. & hinc fit, vt in communi opinione dicẽre, posse à Deo a[ssu]mi hypostaticè omnem substan[tiam] creatam, etiam non cognoscit[iuam] quæuis ex his sit absolutè per[fe]ctior dicta gratia, si spectetur [sub]stãtia vt prædicto modo eleuab[ilis] licet aliter sit dicendum, atten

solùm natura, & eius connaturalibus, non spectato ordine ad illā eleuationem; in quo etiam sensu, & ratione vna substantia creata est perfectior alia, & quælibet ex his est minus perfecta, quàm gratia: quo pacto intelligendi sunt, qui gratiam substantiæ creatæ præferunt. quin imò ipsa substātia spiritualis, etiam secundum assūptibilitatem, est aliquo modo perfectior, quā substantia incognitiua corporea, quia illa vtpotè intellectiua est assumptibilis cum maiori affinitate ad naturam diuinā, nempè in ratione spiritus, & insuper in vnam personam, vt formaliter diuina persona est, & non tantum, vt suppositum; non sic verò est natura corporea, vt ex se patet. Atque ex dictis

Infertur substantias spirituales etiam ex ratione gradus intellectiui præcise esse perfectiores absolute alijs substantijs non intellectiuis; & hoc ideò, quia hic gradus est præcipua, ac summa perfectio inter perfectiones creaturis saltèm, vt connaturali modo communicabiles. quod probans S. Thom. 1. con. gen. cap. 44. ratione 5. vt ostendat Deum esse intelligentem, [inter perfectiones, inquit rerum, potissima est, quod aliquid sit intellectiuum: nā per hoc ipsum est quodāmodo omnia, habens in se omnes perfectiones. Deus igitur est intelligēs] & Bānes 1. p. q. 50. a. 1. inter omnes gradus entitatis, quos noster intellectus, potest in Deo distinguere, supremum absolute, & simpliciter dicit esse gradum intellectualem, & hāc esse sententiam S. Augustini toto lib. 14. de Trinit. qui hoc probat tum ex eo, quia ideò homo dicitur factus ad imaginem Dei, non verò inferiores creaturæ, quia ipse assimilatur Deo in gradu intellectualitatis; ergo hic gradus est proprijssimus Dei, & supremus in natura diuina: Tum quia 1. Ioann. 3. dicitur in patria nos fore similes Deo, quia videbimus eum sicuti est; ergo operatio, per quā magis assimilamur Deo, est operatio intellectualis; ergo gradus intellectualis, cuius est hęc operatio est Deo maxime proprius, & in natura diuina supremus. sed de hoc agitur cum de constitutiuo Dei. fauet etiam nobis, quod docet Albertus de intellectu lib. 1. tract. 1. cap. 3. nempè fontem, & originem cognitionis vitæ in tàm varijs, ac diuersis cognitiuis, quæ vtique sunt entia valdè perfecta. & saltèm sæpissimè sunt perfectiora non cognitiuis, esse intellectiuum, seù naturā aliquam intellectualem: & explicat hoc exemplo, quæ enim inquit perfectiua sunt visus, videmus omnia causari ab eo, quod per se ipsum, & perfectissime est visibile: omnis enim diuersitas colorum causatur à luce, & diuersitas colorum prouenit ex multiformi perfectione opaci, & terminati corporis cum diaphano, cuius per se actus est lumen; similiter ergo ab eo, quod est perfectissimè cogni-

gnitiuum fluit omnis cognitio, & omnis diuersitas cognitionum prouenit ex multiformi obumbratione cognitiui luminis irradiantis super ea, quæ sunt cognitiua in diuersitate animalium] fauet etiam clare Scotus in 4. dist. 12. q. 2. §. contra istam rationem vbi docet aliquid forte posse esse primo perfecto propinquius secundum vnam perfectionem, & non secũdum aliam, vt Cœlum est propinquius Deo in necessitate essendi quocunque corruptibili, & natura Angelica magis appropinquat naturę diuinę in esse intellectuali, & post hanc intellectus noster: & post hunc natura sensitiua, quæ magis appropinquat intellectuali quàm non sensitiua, & in hoc ordine propinquior est Deo musca, quàm Cœlum, & demum subdit, [Dico ergo quod quandocunque in primo concurrunt perfectiones qualitercunque distinctæ, vel disparatę, illud est simpliciter perfectius, quod est sibi propinquius secundum illud, quod habet rationem perfectioris. sicut secundũ philosophum 3. Topic. cap. 4. non sequitur, simiam esse meliorem equo, licet sit similior homini: quia non est homini similior in conditionibus nobilioribus simpliciter. conditio autem nobilior simpliciter in primo est intellectualitas, quàm necessitas essendi, eo modo intelligendo, magis, quo est ibi distinctio] quod autem aliqui dicunt, de esse diuino, quod scilicet sit perfectissimum inter omnia, intelligunt de esse diui sumpto interminate, tum qua nus est actualitas omnium per ctionum; tum quatenus simplicissimum, & amplissimu in continentia continens in s quasi partes sui virtuales omr rationes entis, & omnem grad essendi, nempè esse viuens, es cognitiuum, esse intellectiuu esse sapiens, &c. in quo sensu Thom. in tract. de ente, & essent & apud Capreol. in 1. d. 8. q. 3. 1. contra primam conclus. di [Deum quamuis sit esse tantur non oportere, quod ei deficia reliquæ perfectiones, & nobilit tes] & Gillius lib. 2. tract. 1. de e sentia Dei in se cap. 14. dixit ip esse interminatum ponit, vt rati nem per se primo constituenten naturam diuinam, & cõcludit si gula esse pefectionum determin tarũ v. g. vitę, sapientiæ, iustitię nc se habere ad totum, ac intermin tum esse Dei tanquam inferior ad superius; sed tanquam part virtuales ad totum integrum, a que perfectum, si ita loqui licet quod nostro intelligendi mod coalescit ex esse omnium, ac si gularum perfectionum diuin rum.

Dico secundo inter substanti pure intellectuales vniuersalit vnam non esse absolute intrinsec perfectiorem alia per plures pe fectiones simpliciter, sed per suar differentiam constitutiuam actu liorem, seu vnitiorem, magisque proportionatam, & affinem perfe ctio-

ctionibus ſimpliciter. Prima pars probatur, quia omnis quidem ſubſtantia purè intellectualis habet plures perfectiones ſimpliciter quàm anima intellectiua, nempè eſſe totum, eſſe ens completũ, & formam inunibilem materiæ non tamen plures, quàm alia ſimiliter pure intellectualis, ſed vt patere poteſt conſideranti, ſaltèm plerunque, habent ſingulæ totidẽ ſeù pares iam ſupra numeratas; licet dicere quis poſſet, eam ſubſtantiam, quæ nunc eſt ſuprema inter intellectuales, habere inſuper aliam peculiarem perfectionem ſimpliciter, nempè eſſe menſuram perfectionis aliarum, quæ ratio eſt perfectio ſimpliciter, cum ſit etiam in Deo. ſecũda pars probatur. quia inter ſubſtantias purè intellectuales illæ ſunt intrinſece abſolutè perfectiores, quæ radicaliter ſunt intellectiuę perfectiori, ac excellentiori modo, nempè per vniuerſaliores, & pauciores ſpecies, aùt intelligere clarius, ac limpidius, aùt per intelligere plura ſimul, ac diſtinctius, aùt per pauciores, & efficaciores operationes, quam poſſint aliæ eadẽ prorsùs obiecta; aùt quia connaturaliter ſit ijs debita cognitio plurium poſſibilium ordinis naturalis, quam alijs, iuxta varias Doctorum ſententias, non enim apparet alius, aùt aptior modus ponendi dictum exceſſum in perfectione inter ſubſtantias intellectiuas, vt ſic: ſed ipſas eſſe ſic perfectiores aliquo ex his modis, aùt omnibus, eſt eſſe abſolute, & intrinſece perfectiores per propriam differentiam conſtitutiuam actualiorem, ſeù vnitiorem, & magis proportionatam perfectionib. ſimpliciter; ergo per hanc ſunt perfectiores, &c. Minor probatur, quia non ex alio, quàm ex propria differentia vltimo coſtitutiua habent quòd ſint taliter intellectiuæ eorundem obiectorum, quorum ſũt etiam intellectiuæ aliæ ſubſtantiæ minus perfectæ; ergo differentia huiuſmodi eſt ſine dubio cum maiori actualitate, & vnitione; eſt etenim cum maiori receſſu à cõpoſitionibus realibus, & potẽtialitatibus, & cum maiori acceſſu ad actum purum, ſeù primum intellectiuum, & cum maiori proportione ad perfectiones ſimpliciter quia gradus perfectionis, per quã excedunt alias ſubſtantias minus perfectas, manifeſte eſt ſimilior, ac propinquior cuilibet perfectioni ſimpliciter, quàm ſit gradus perfectionis minoris inferioribus conueniens. idque ſemper in ordine ad eundem ambitum eorũdem obiectorum. Vndè egregie S.Th. de ſpirituali creat. q. 2. a. 6. ad 3. [quanto, inquit, huiuſmodi formæ ſubſiſtentes perfectiores fuerint tanto paucioribus participant ad ſui perfectionem, vtpotè in eſſentia ſua plus perfectionis habentes] Nec obſtat, quòd quæſt. 9. de anima dicat [formas perfectiores habere plures operationes, & magis diuerſas quàm formas minus perfectas] loquitur enim de formis,

mis, quę sunt partes essentiales compositorum; hę enim cum in multiplicitate potent aium, & operationum excedunt alias circa alia, & alia diuersa obiecta; iam etiam excedunt in perfectione; cuiusmodi sunt animæ, supra alias formas naturales ad vnum magis determinatas, ac limitatas circa minorem ambitum obiectorum.

Obijcies primo res corporeæ, quo sunt compositiores compositione reali, eo sunt perfectiores, vt patet in mistis comparatiue ad elementa; ergo sic etiam substantiæ spirituales, quò sunt compositiores realiter; siuè compositione accidentali, siuè substantiali, eò sunt perfectiores.

Respondeo dato antecedenti, nego consequentiam, & disparitas affertur ex Herueo in 2. dist. 3. q. 3. vbi [in istis, inquit corporalibus quanto aliquod est compositius compositione rei, tanto est perfectius. & huius ratio est, quia in corporibus per compositionem receditur à potentia passiua, & tenditur ad actum; sicut patet, quod primo receditur à materia prima per formam simplicis elementi, & deindè per formam misti, & sic deinceps vsque ad hominem: sed in Angelis per compositionem receditur ab actu puro, & tenditur ad potentialitatem, & ideò tenditur ad imperfectionē. Vndè in Angelis inuenitur maior compositio magis recedendo à primo actu, qui est Deus] & de rebus corporalibus idem explicat Zumel 1. par. q. 3. a. 7. dicens [Istæ res materiales complentur ex vnione plurium, habentque materiam, per cuius actualitatem perficiuntur: idest quanto materia magis actuatur, tanto res euadit perfectior, licet simul euadat magis composita. quia illa maior actuatio materiæ est per plures actus substantiales, vel accidentales, vel per vnum includentē plures gradus: ideò in his rebus materialibus, & compositis, sunt perfectiores res ob id quod eorū materia magis actuatur. nam quātò magis habent de actu, tanto magis actuatur materia, &c. quare non in omni ordine rerum semper magis composita, sunt perfectiora minus compositis, sed solū in eo ordine, in quo perfectiora non possunt habere suas perfectiones vnitas in aliquo simpliciori, seù contentas in ipso sub indistinctione proptèr materiæ imperfectionem, & earum maiorem limitationem; proptèr quod S. Tho. 1. part. q. 6. a. 4. dixit [apud nos magis composita, esse perfectiora] at in ordine substantiarum spiritualium, quia simplices sunt proptèr gradum spiritualitatis, benè possunt esse sic constitutæ, vt aliquæ sint exigitiuæ simpliciorum perfectionum, & efficaciorum, in quibus tanquam in superioribus plures perfectiones, quæ reperiuntur diuisæ in inferioribus, & sunt limitatiores, contineantur vnitim, & sub indistinctione vsque ad primum intellectiuum. Imò hoc

etiam

etiam accidit in potentijs animæ; vt enim dicit S. Tho. 2.cont.gent. cap.74. [Diuersa, quæ in inferiori ordine potentiarum pertinent ad diuersas potentias, in superiori ordine pertinent ad vnam; sicut sensus communis appræhendit sensata omnium sensuũ propriorum]

Instabis.operationes cognitiuæ, vt sunt intellectiones, communiter dicuntur salus, & perfectio; & intelligere dicitur actus perfecti; ergo quò substantia cognitiua est capacior plurium harum operationum, & plurium concurrentiũ ad ipsas,& plurium compositionũ ex ijs, eò perfectior in se arguitur; constat enim illa bruta, quæ sunt capaciora plurium sensationum, & diuersi generis, & plurium sensuum, & specierum sensibilium, & plurium compositionum ex ipsis, esse in se perfectiora alijs capacibus tantum pauciorum.

Respond.dato antecedenti,nego consequẽtiam.primo quia sicut ex eo, quod forma substantialis sit perfectio materiæ primæ non sequitur materiam,quò capacior est plurium formarum, & compositionum ex his eò esse in se perfectiorem; sed solùm esse magis, seù pluries extẽsiue perfectibilem per eas suo modo; alioquin materia inferior, vtpotè plurium formarũ capax esset perfectior simpliciter materia Cœlesti non adeò capaci in communiori opinione; ita nec in casu nostro sequitur nisi substantiam illam capaciorem, esse magis, seù pluries perfectibilem, &c. Secundo quia bona esset consequentia si substantia pauciorum cognitionum capacior nõ esset in eo ordine, in quo plures perfectiones possint esse vnitim, in vna operatione simpliciori, & actualiori; non sic verò est in proposito, sed opposito modo, vt iam dictum est. Tertio quia fieri potest, vt illæ pauciores operationes substantiæ minus capacis, sint intrinsecè clariores, & perfectiores, quàm operationes illæ plures substantiæ capacioris, & sic melius fortasse esset habere pauciores actus meliores, quàm plures minus bonos,seù minus perfectos Quarto quia re vera tunc substãtia cognitiua capax plurium operationum cognitiuarũ, est intrinsece perfectior,quando hæc capacitas oritur ex maiori amplitudine,illimitatione,ac maiori sphæra, seù pluralitate obiectorum eius supra numerũ obiectorum alterius substantiæ: & ob hanc rationem bruta aliqua,quia illimitatiora sunt,& ampliora in obiectis, habentia scilicet plura, ac magis diuersa obiecta, quàm alia, indè est,quod illa,vt possint attingere tot, ac tam diuersa obiecta, sint capaciora, & indigentiora pluriũ operationum, & potentiarum sensitiuarũ,& sic sunt perfectiora, quàm alia bruta limitatiora, & habentia pauciora obiecta. At verò quando substantiæ cognitiuæ sunt pares circa obiecta, idest natę versari circa eadem prorsùs obiecta,& totam eorum amplitudinẽ,

quales hic supponimus esse omnes substantias intellectiuas, vtpotè illimitatas circa obiecta, secus accidit: nam quæ absolutè sunt capaciores, & indigentiores plurium operationum, specierum intentionalium, & compositionum ad intelligendum, habito respectu ad totam latitudinem obiectorū, sunt necessariò minus perfectæ, quia magis potentiales, & minus actuales, magisque limitatæ, & restrictæ in actibus suis: quæ verò sunt capaces, & indigentes pauciorum operationum, aliorumque concurrentium, sunt magis intrinsece perfectę, quia minus potentiales, magis actuales, & magis illimitatæ in modo tendendi in obiecta, quia exigunt ex natura sua species, & actus vniuersaliores, & in repræsentando clariores, & etiam potentias intellectiuas in operando efficaciores, ac subtiliores. simile quid est videre in quibusdam cognitiuis natis attingere eadem obiecta; aliqua enim egent pluribus actibus ad cognoscendū vnum, & idem obiectum propter potentiam cognitiuam minus efficacem, aùt defectum, & indispositionem alicuius organi: alia verò ob contrariam rationem egēt paucioribus, & ideò arguitur perfectio maior.

Obijcies secundo. substantiæ spirituales, quæ sunt perfectiores possunt dici esse tales ex eo, quia sunt aptæ connaturaliter coexistere spatio maiori, quàm aliæ minus perfectæ; ergo non quia sunt actualiores modo explicato.

Respondeo transeat antecedēs, & nego consequentiam: benè enim potest intelligi, esse perfectiores ob vtrunque caput, nec est vndè vnum caput pugnet cum altero; vndè quà tales substantiæ sūt intellectiuæ, possunt dici perfectiores iuxta primam viam; quia verò sunt spirituales, iuxta secundam, quę etiam est quædam specialis actualitas, & maior vis continendi locum suum modo connaturali, & absque indigentia, & receptione nouæ, ac specialis replicationis, cui necessariò subiacerent substantiæ minus perfectæ, si vellent correspondere toti illi loco maiori, quàm sit locus proprius, & accomodatus virtuti ipsarum.

CAPVT VIII.

De excessu in perfectione inter substantias purè materiales.

QVamuis excessus inter aliquas ex his substantijs supra alias possit sumi penes continentiam plurium perfectionum simpliciter, ob quam rationem viuentia, saltèm aliqua, excedunt aùt omnia, aùt plurima non viuētia; & sensitiua excedunt non sensitiua, saltèm vt plurimum per ipsum gradum viuentis, & gradum cognoscitiui: tamen talem excessum

sum non posse hoc modo esse vniuersalem inter omnia corporea, quæ se excedunt, in superioribus probatum est. & sane, quamuis in omnibus rebus difficillimum, & forte impossibile nobis sit cognoscere, & explicare, vndè sumendus sit dictus excessus, quia rerũ essentiæ, & differentiæ sunt nobis ignotæ; vndè Hieronymus Angestus lib. de causis lib. de materia proprietate 11. dixit [pro statu isto confusam rem esse graduationem perfectionum essentialiũ] & Dionys. Cistercienses in 2. d. 1. q. 3. dub. 2. dixit pertinentia ad istam materiam demonstrari non posse: mihi tamen difficilius videtur, id posse cognoscere, & explicare inter res pure corporeas inter se comparata, quàm inter substantias intellectiuas, non modo in comparatione ad corporea, id enim notius est, sed spectatas inter se inuicem: quia habemus aliqua principia, per quæ aliquo modo cognoscamus differentias ipsarũ, & excessum vnius supra aliam in actualitatibus maioribus, aùt minoribus, & in recessibus à potentialitatibus, & compositionibus, & vario accessu ad actum purum, quæ principia sunt varij intelligẽdi modi supra explicati, iuxta mẽtem S. Thomæ 1. par. q. 50. a. 4. ad 1. dicentis [omnes Angelos differre specie secundum diuersos gradus naturæ intellectiuæ] at in substantijs corporeis similia media non habemus ad cognoscendum vniuersaliter varietatem inter ipsarum actualitates, & accessus ad primum ens, nec reperitur ibi vna series accidentium, quæ quasi eiusdem tenoris, vt sic dicã, vniformiter differmiter varietur vt accidit in gradibus intelligendi naturæ intellectiuæ. In hoc itaque puncto

Aliqui possent dicere, excessũ in his non ex alia mensura intrinseca, ac formali sumi, quàm ex propria cuiusque natura, quæ ex se ipsa, suaque ratione, & connaturalibus habet, quod sit maioris virtutis, valoris, ac pretij entitatiui, & physicæ dignitatis, & æstimabilitatis, quàm alia: licet hæc maioritas sit, vt plurimum, nobis ignota, & occulta. & probari hoc potest

Primo quia non videtur, quo modo assignari possit conceptus magis germanus, directus, facilis, ac verus huiusmodi excessuum in perfectionibus inter entia: quid enim est vnum ens esse entitatiuè perfectius alio, quàm esse melius, hoc est in essentia sua, & connaturalibus esse maioris pretij, valoris entitatiui, ac fundamentalis æstimabilitatis ex natura sua, quàm aliud?

Secundo quia hic modus explicandi talem excessum est vniuersalissimus omnibus non solũ substantijs corporeis, sed etiam omnibus alijs rebus; ergo optimus.

Tertio quia quælibet res, cum habet omnia, quæ ipsi sunt debita, iam est bona, & perfecta, & ta-

tamen non quælibet res est nobilis, & digna, sed multæ sunt viles, & ignobiles, multæ verò dicũtur nobiles, & dignæ, seù excellẽtes; ergo hęc nobilitas, & dignitas, & excellentia aliquarum rerum supra alias, non est nisi ipsas esse maioris valoris, virtutis, ac pretij entitatiui, &c. ergo similiter hoc ipsum est, eas esse perfectiores alijs.

Quarto omnia entia habentia quicquid est ipsis debitum, & cõnaturale, sunt æqualiter perfecta æqualitate proportionis, quæ in hoc consistit, quod vna res tãtum habet de hoc, quod sibi debetur, quantum alia de eo, quod sibi debetur; & tamen non omnia sunt æqualiter perfecta æqualitate virtutis, & commensurationis; non dicuntur autem aliqua esse minus perfecta, eò quod ijs desit aliquod ex sibi debitis, aùt habeat pauciora; alia verò perfectiora, eo quod ijs nihil desit, sed plus insit, id enim nõ est necessarium; ergo aliqua dicuntur minus perfecta, quia contenta in ijs sunt minoris pretij entitatiui, alia perfectiora quia maioris, &c.

Quinto probatur. Cum vnum ens dicitur absolutè perfectius alio, id intelligi de perfectione intensiuà debet, hic enim videtur esse communis conceptus: sed nõ potest intelligi de perfectione intensiua, quæ fiat per additionem gradus ad gradum, aùt per maiorem radicationem in subiecto, hęc enim solis conuenit qualitatibus; ergo debet intelligi de perfectione alterius rationis, & vniuersalioris; ergo de perfectione, seù intensione importante meliorem, seù maiorem virtutem physicam, & pretium, & dignitatem entitatiuã, quia alia non superest. & secundũ hanc plures Angeli specie diuersi, quia inter se nõ possũt facere intẽsionem, verè dicuntur esse quid melius, quàm vnus solus Angelus; quia totum quasi conflatum ex ipsis, est maioris valoris, & pretij, quàm singuli.

Sexto maioritas, seù melioritas perfectionis non potest sumi ex pluralitate perfectionũ simpliciter, quia non vniuersalis, vt supra, & quia est potius perfectio extensiua, quàm intensiua. Nec potest attendi ex maiori actualitate, & exclusione compositionum; tum quia forma est actualior composito, vtpotè includente constitutiue materiam, quod tamen in opinione communiori est absolutè perfectius; licet Suessanus 7. metaph. disp. 5. dicat, pro mente etiã Aristotelis formam esse perfectione priorem composito, & magis ens illo: tum quia accidentia sunt actualiora, quàm materia prima, cum sint actus quidam, & tamen secundum omnes materia est ipsa simpliciter perfectior, & in substantia per se subsistente constitutiue inclusa, licet dictus auctor in codicillo de sensu agente §. ad instantias, velit materiam esse viliorem simpliciter, & absolutè calore, & quacunque forma acciden-

ta-

tali; quamuis secũdum quid ideſt vt in prædicamento ſubſtantiæ, ſit nobilior] Tum quia in ſubſtantijs corporeis, quæ ſunt compoſitiores, atque adeò includunt plures potentialitates ad plures formas cum minori actualitate, ſunt perfectiores: Imò in ipſis Angelis ſicut maior ſimplicitas nõ eſt proptèr pauciores compoſitiones, ſed aliundè, ita nec maior actualitas: ac proindè ab ipſa non ſumitur maioritas perfectionis, ſicut nec à ſimplicitate prout importãte pauciores compoſitiones. Vndè S. Bonau. in 1. diſt. 3. in explicatione textus [Maior, inquit, ſimplicitas eſt in Angelo non proptèr paucitatem compoſitionis, ſed proptèr acceſſum maiorẽ ad ſumme ſimplex. hoc autem eſt proptèr maiorem nobilitatem formæ, ſicut ignis poteſt dici in corporalibus ſimplicior aere] Tum quia maior actualitas in creatis ſumitur per maiorem acceſſum ad actum purum; actus autem purus eſt in Deo ratio primi efficiẽtis, primi exẽplaris, & vltimi finis; nã ex S. Th. de potentia q. 7. a. 1. ad 3. [Per vnum, & idem Deus in ratione diuerſarũ cauſarum ſe habet: quia per hoc quod eſt actus purus, eſt agens, & eſt exemplar omnium formarum, & eſt bonitas pura, & per conſequens omnium finis] ergo non eſt maior ratio cur actualitas maior vt afferẽs maiorem perfectionem, ſumatur vt excluſiua plurium compoſitionum, & potentialitatũ, non verò vt ponens maiorem actiuitatem, ſeù vniuerſaliorem vim agendi; ergo benè poterit ens creatum, quod eſt vniuerſalius in agendo, eſſe abſolute perfectius alijs, & ſic Cœlum erit perfectius omnibus alijs pure corporeis, etiã viuentibus, quod tamen non eſt communiter receptum.

Septimo. ſicut ſe habet maior perfectio moralis ad maius pretiũ morale, ad maiorem virtutem, valorem, & dignitatem moralem, ſeù ſecundum exiſtimationem; ita ſe habet maior perfectio entitatiua, ſeù phyſica ad maius pretium ſimiliter entitatiuum, & ad maiorem virtutem valoris etiam entitatiuam, & phyſicam; ſeù ſecundũ fundamentalem exiſtimabilitatẽ: ſed prima ita ſe habet, vt ſit ipſummet pretium morale, virtus, ac valor, & dignitas ipſa moralis; ergo ſecunda ita ſe habet, vt ſit ipſummet pretium entitatiuum, & virtus, ac dignitas entitatiua, ac phyſica, &c. Hoc autem pretium entitatiuum, & phyſicum eſt ipſamet natura rerum, quæ apud intellectum benè, ac diſtinctè ipſam cognoſcentem, ſtatim apparet, & exiſtimatur eſſe pretij, ac valoris phyſici maioris in vno ente, quàm in alio.

Octauo. inter perfectiones ſimpliciter vna eſt maior, ſeù perfectior alia, aùt ex natura rei, aùt noſtro intelligendi modo: vndè ſecundum aliquos eſſe eſt perfectio maior omnibus; viuere perfectius eſt, quàm cognoſcere; & cognoſcere quàm intelligere; ſe-

cundum alios verò est è cõtrario: sic etiam intellectum aliqui præferunt voluntati, & intelligere ipsi velle, seù diligere; & veritatẽ præferunt bonitati; alij tenent oppositum; proptèr quod Toletanus in 1.d.3. q.2.a.3. [sicut formaliter inquit cognoscere dicit perfectionem simpliciter, ita & diligere: & si istæ duæ perfectiones comparentur ad inuicem patet, quod dilectio excedit cognitionem] Scotus verò in 1.dist.8.q.1.[actualitas ait, est perfectio simpliciter, & simplicitas est perfectio simpliciter. simpliciter autem actualitas est perfectior simpliciter] Deindè Paulus scriptor in 1.d.8.q. 1. dicit [in perfectionibus simpliciter esse gradus, quia quædam sunt alijs perfectiores, vt actualitas simplicitate] Sed vna perfectio simpliciter, non potest esse maior, aùt perfectior alia per continentiam plurium perfectionum simpliciter alioquin abitur in infinitum, neque per maiorẽ actualitatẽ; quia non semper apparet, nec est vndè veritas e. g. dici debeat actualior, quàm bonitas,& sic de alijs; ergo necessariò vna est perfectior alia, quia vna ex natura, & ratione sua est maioris,seù melioris pretij,valoris,ac dignitatis entitatiuæ quod loquendo de talibus perfectionibus indicauit Scotus loc.cit. dicẽs [supponatur, quod aliquis ordo perfectionis sit inter eas, ita quod vna ex ratione sui est perfectior alia præcise sumpta] ergo sic etiã debet vniuersaliter dici de omnib. substantijs, & rebus, quod vna sit ex natura, & ratione sui perfectior, idest melioris pretij, ac valoris entitatiui quàm alia; nec est quærenda alia ratio: & idem etiã patet in differentijs constitutiuis rerum, quæ sunt perfectiones secundum quid. Imò etiam accidit vt aliquæ perfectiones secundum quid sint maioris perfectionis quàm aliquæ perfectiones simpliciter, vt angelus e. g. est perfectio secundum quid, spiritus verò simpliciter,& tamen Angelus est perfectior, quia se habet vt determinans spiritum. quod etiam notauit Paulus scriptor in primo dist. 2.q. 4.[non omne inquiens,simpliciter perfectum, est nobilius non simpliciter perfecto, quia sapiẽtia est simpliciter perfectio, & Angelus nõ; et tamen Angelus est nobilior sapientia] & Mayronus in 1. dist. 34.dicit dubium esse satis arduum scilicet vtrum omnis perfectio simpliciter sit melior quacunque perfectione secundum quid & affert argumẽta pro vtraque parte.

Vltimo aliquid esse nobilius alio dupliciter potest intelligi, vno modo quantum ad naturam, secũdum quem modum, vt vult Aug. 11. de ciuit. cap. 16. nobilior est pulex quàm nummus: altero quãtum ad vsum, secundum quem modum, vt vult similiter August. nobilior est nummus, quã pulex, quam distinctionem ponunt aliqui apud Riccard. in 3. dist. 23. de 8. principali q. 1. Primo modo dicunt cognitionem propheticam

de articulis fidei nobiliorem esse, quam cognitionem fidei, quia de eodem, de quo est fides, cognitio prophetica est euidentior: secundo modo cognitio fidei nobilior est, plus enim confert vsus eius ad æquisitionem vitæ æternæ. sic etiã idem auctor in 3.dist.37.q.7.dicit [secundum August. quædam præponuntur alijs ordine naturæ, vt sentientia non sentientibus: quędã quantum ad vsum pro nostra vtilitate; & sic quædam non sentientia quibusdam sentientibus præponuntur; quis.n.domi suæ nõ panem habere, quàm mures; nummos, quàm pulices malit? quæ autem primo modo præponenda sunt, simpliciter nobiliora sunt: quæ aũt secundo modo, sunt nobiliora secundum quid, &c.] ergo necessariò, quę nobiliora sunt ordine naturæ, seù secundum naturam, ideò talia sunt, quia ratione naturę sunt secundum illũ maioris pretij, seù valoris entitatiui, &c. sic etiam potest distingui de nobilioribus in ordine ad se, & de nobilioribus in ordine ad nos, idest in ordine ad nostram apprehẽsionem, & æstimationem: sæpè enim quæ re vera sunt nobiliora primo modo, sunt minus nobilia secundo modo in ordine ad nos, & sic vice versa.

Sed tamen hæc opinio est insufficiens. nam hic licet possimus vti hoc vocabulo pretij ipsius rei, tamen non agitur de pretio, aũt valore morali, neque in ordine ad moralem existimationem extrinsecam, sed de physico, & entitatiuo, qui fundare quidem illam potest, sed tamen conuenit rebus etiã in ordine ad se ipsas, & in ratione entis, & in latitudine, seù maioritate bonitatis entitatiuæ; secundũ quam vna res excedit aliam ex sua natura; ergo explicari adhùc debet, per quid tale pretium, seù latitudo, ac maioritas habeatur. Deinde explicare excessum in perfectione physica inter res per excessum in pretio, quod etiam sit, & dicatur physicum, est declarare idem prorsùs per idem, aũt per æque ignotum: imò si quod est discrimen, potius est per hoc, quod excessus pretij fundatur in excessu perfectionis; ideò enim vna res est maioris pretij physici, quia est maioris perfectionis, quàm alia. Denique hic agitur de excessu in perfectione in genere entis, ac bonitatis entitatiuæ, per hanc enim vna res dicitur simpliciter perfectior alia; ergo vt sciatur, quo modo aũt per quid vna res excedat aliam in genere entis, ac bonitatis, scire oportet quomodo habeat plus de ente, ac de bonitate vna, quàm alia; vndè etiam fiet, quod habeat plus pretij, ac valoris. Proptèr quod concedo ētiam posse dici, vnam rem esse maioris pretij quàm aliam, sicut, & perfectionis. Atque hinc patet ad argumenta contraria.

Ad primum nego conceptum illum esse germanum, ac directũ, est enim adhùc obscurus, & insufficiens ad declarandum excessum

in perfectione. conceptus autem germanior, ac directior, & clarior partim est declaratus, partim declarabitur infra.

Ad secundum modus ille foret quidem vniuersalissimus, sed tamen est insufficiens, &c.

Ad tertiũ dato antecedenti, nego consequentiam, quia pretium illud, & valor insufficienter explicant illum excessum dignitatis, & excellentiæ vnius rei supra aliam, cum sint aliquid obscurius, & potius metaphoricum.

Ad quartum. perfectiora non dicuntur aliqua, ex eo quia habeãt plura, quàm ijs sint debita, nec quia sunt maioris pretij, sed quia habent plures bonitates, formalitates, & actualitates sibi debitas quàm habeant res minus perfectæ, quæ vtique contentæ sunt paucioribus, aùt sub minori actualitate, & minus formalibus.

Ad quintũ, & sextũ. maioritas perfectionis interdum sumitur ex pluralitate perfectionum simpliciter, quæ non est proprie extensiua, sed similitudinarie est intensiua, cùm tendat ad perficiendum vnum, & idem indiuisibiliter, & apud intellectum distincte, & exacte cognoscentem fundet morale maius pretium, & existimationem, quæ aliquid intensiuũ censetur. Interdum etiam sumitur ex aliqua maiori actualitate vnius rei supra aliam extraneam, & omninò disparatum. Nec obstat quod forma sit actualior suo composito, quod tamẽ est ea perfectius; quia compositum non est res extranea à sua forma, vtpotè in ipso constitutiuè inclusa. Nec rursùs obstat quod accidentia sint actualiora, quam materia prima, & tamen imperfectiora; quia accidentia, sicut non sunt ens simpliciter, sed entis, ita nec sũt actus simpliciter, seù actualiora, sed solùm secundum quid, & diminute. Nec ést verum, quod in substantijs corporeis saltèm sublunaribus, quæ sunt compositiores, atque adeò potentialiores, sint minus actuales; sunt enim re vera actualiores, quia earum materia est magis recedens à potentialitate, vtpotè per plures formas actuatas, re, aùt virtute distinctas: in Angelis verò maior simplicitas est ob pauciores compositiones, quia his opponitur, & sic etiam maior actualitas; atque adeò perfectio, quæ ibi attenditur per maiorem accessum ad actum purum, vt dictum est supra; nec ibi est materia, quæ actuari magis, ac magis possit. & sanè est difficilè intelligere, quomodo in Angelis maior simplicitas non sit proptèr paucitatẽ compositionis, sed proptèr accessum maiorem ad summe simplex, qui fit ex nobilitate formæ, cum summa simplicitas directè sit exclusiua qualiscunque realis compositionis, & maior accessus ad actum purum non possit intelligi absque maiori recessu à potẽtialitatibus: nec refert, quod actus purus sit suo modo ratio primi efficientis in Deo, & exemplaris,

&

& finis; hinc enim non sequitur, quod in creatis maior actualitas, atque adeò maior perfectio sumatur per maiorem accessum ad actum purum vt ponentem maiorē actiuitatem, seù vniuersaliorem agendi, sed vt excludentem plures compositiones, & potentialitatas; hoc enim expressius, & immediatius, ac directius importat, & nominat actus purus, vt scilicet sit actus ab omni labe potentialitatis immunis: & quamuis de ratione eius sit habere omnem modum actualitatis; tamen, vt notat Gillius lib. 2. tract. 1. de essentia Dei cap. 10. [eius ratio non consistit formaliter in habendo omnem rationem actualitatis, sed in habendo actualitatem sine mistura potentialitatis] sicut actus mistus est, cui admiscetur aliquid potentiæ. & ob hanc rationem Mayronus in 1. dist. 8. q. 7. dixit [summe simplex, quod non est in se aliquo modo compositum: nec aliquid sibi componibile, nec ipsum alicui, & istud esse actum purum] vnde ab actu puro, qui scilicet est simpliciter purus, & in omni genere, est remouenda omnis tenuissima ratio potentialitatis.

Ad septimū est disparitas; nam pretium mere morale, & perfectio similiter mere moralis conueniunt rebus ab extrinseco; vndè extrinseca existimatio apprecians & imponens pretiū, imponere hoc ipso censetur etiam perfectionem: & sic benè possunt coincidere in idem formaliter, nec tale pretiū aduentitium potest intelligi esse aliud, quàm moralis ipsa, & aduentitia perfectio, nec vice versa; & intelligendo vnum, scilicet pretium, statim intelligitur aliud, scilicet perfectio, & idē per vtrinq; applicatur, & sūt omninò synonima: at perfectio entitatiua, & physica rerum, secundum quam vna excedit à parte rei aliam, est omninò rebus intrinseca, & consistit in ipsamet latitudine bonitatis entitatiuę vnius rei supra aliam, nec est pendens ab appretiante, seù pretium aduentitium imponente, & ideò non potest dici, aùt esse formaliter idem quod pretium aliquod vtpotè ignotius, & insufficiens ad explicandum illius naturam, & per quid habeatur prędictus excessus.

Ad octauum dici potest primo esse disparitatem inter perfectiones simpliciter, & substantias perfectas constantes, aùt compleas ex ijs. nam perfectiones, cum sint primæ rationes, & veluti partes essendi, & perficiendi, non possunt se excedere per continentiam plurimum perfectionum, aut bonitatū, & actualitatum, aùt necesseriò per formalem maiorem actualitatem: at verò substantiæ, cum sint totæ, aùt quasi tota respectu illarum, benè possunt intelligi se excedere per dictam continentiam, aùt actualitatē, ipsæ autem perfectiones excedent se quia ex natura, & ratione sua vna est alia perfectior, seù melior, ac maior secundum quantitatem virtutis, siue hæc vo-

ce-

cetur maius pretium entitatiuum, ac valor, siuè non. Dici potest secundo vnam ex his perfectionibus esse actualiorē similitudinariè quàm aliam, per maiorem scilicet similitudinem ad maiorem actualitatem in abstractione formali, in quantum vna nihil prorsùs imperfectionis includens in sua ratione, est abstractior, ac simplicior: quo pacto multi volunt, gradum perfectionis viuentis vtpotè abstractiorem esse maiorē perfectionem, quàm gradum cognitiui, & hunc maiorem perfectionem, quàm gradum intellectiui; & perfectionem veritatis esse maiorem quàm bonitatem, quia veritas est abstractior, & motiua potentię abstractioris, nempè intellectiuæ, habentis pro obiecto suo præcipuo abstractissimas quidditates rerū; cum bonitas non sit abstracta, vtpotè non potens ad efficacem actum mouere voluntatem, nisi in ordine ad esse existentiæ: licet alij velint, gradum cognitiuum esse perfectiorem gradu viuentis, & gradum intellectiuum gradu cognitiui, & bonitatem veritate ob alias rationes, sicut & voluntatem intellectu. Nec dicas cum his auctoribus perfectionem consistere in bonitate entitatiua, & eius latitudine, ac proindè bonitatem necessariò esse semper maiorem perfectionem veritate, cum bonitas sit bona per se ipsam, veritas verò sit bona per bonitatem. nam hic latet æquiuocatio: cum enim dicitur perfectio consistere in bonitate, non sumitur bonitas respectiua, consistens in ratione conuenientiæ, seù appetibilitatis obiecti voluntatis, sed absoluta quæ ex supra dictis est integritas rei habentis scilicet quicquid est sibi debitum, in quo sensu etiam veritas est bonitas quædam, cum habeat quicquid est sibi debitum & sic de alijs. quod videtur indicasse Ricc. in 3. dist. 23. de secundo principali q. 3. cum dixit [Quamuis illud idem secundum rem, quod est bonū sit verum, & è cōuerso, tamen ratio veritatis non est ratio bonitatis, nec è conuerso, quamuis ratio sit bona in quantū habet quod habere debet; & ratio bonitatis sit vera, in quantum suo exemplari est conformis.

Ad vltimum satis patet ex dictis, ea s. quæ secundum naturam nobiliora sunt posse quidem dici esse maioris pretij, seù valoris entitatiui; non tamen per hoc explicari sufficienter vniuersaliter per quod habeatur talis excessus.

Dicendum igitur substantias purè corporeas se in perfectione excedentes, cum excessus non est per plures perfectiones simpliciter excedere adhùc se per maiorem actualitatem: sic excedunt bruta perfectiora alia bruta, & plantæ alias minus perfectas plantas, & inanimæ alias inanimas minus perfectas. Probatur quia vniuersaliter imperfectio, & minor perfectio in entitate, seù entitatiua seù in ratione entis, habetur formaliter per defectum, ac diminutio-

tionem in entitate, seù bonitate entitatiua, seù per habere minus de ipsa non.n.aliter,aìt melius explicari potest; ergo inter res,illæ, quæ minus habent de entitate,seù bonitate entitatiue, per hoc ipsum sunt in se imperfectiores, & hæc est tota, & adæquata radix talis imperfectionis; ergo è contrario illæ res quæ plus habent in se de entitate, seù bonitate entitatiua, per hūc ipsum excessum, seu plus habere,sunt in se entitatiuæ perfectiores,tāquā per rationē adequatā huius excessus; ergo etiam hoc verū est vniuersaliter inter substātias ad se inuicem comparatas, quod s. quæ sunt intrinsece perfectiores alijs, hūc excessum habeāt per habere plus de entitate, seù bonitate entitatiua: Tum sic subsumo: sed substantiæ nunquam possunt plus de entitate, seù bonitate entitatiua supra alias habere nisi per maiorem actualitatem supra illas;ergo ita semper est in prędictis substantijs, etiam quando perfectiores non habent excessum per plures perfectiones simpliciter.

Huc vsque Auctor morte præuentus. Tanti autem viri obseruantia vetuit ne quis operi complendo manum adiungeret.

Index Disputationum, & Capitum.

FINIS.

